UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

Visual Library

Th. 1001a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONCILIORVM

TOMVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. XLIV.

Ferdinandus Dei et Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus Paderbornensis
Coadjutor Monasteriensis, S. R. I. Princeps, Comes pyrmontanus &c.
Theodoriano Societatis Iesv Collegio
Paderbornæ donavit
Anno 1673
29 Decemb.

INDEX CONCILIORVM
QVÆ IN HOC TOMO XXVII. CONTINENTVR.

Pontifices.	*Anni Christi.*	*Concilia.*	
GELASIVS P. II.	1118	Concilium Capuanum.	*pag.* 15
		Concilium Colonienſe.	15
		Concilium Frideſlarienſe.	16
	1119	Concilium Viennenſe.	16
CALLISTVS P. II.	1119	Concilium Rhemenſe.	28
	1120	Concilium Neapolitanum.	48
	1122	CONCILIVM LATERANENSE I.	32
		Concilium Romanum I.	49
	1123	Concilium Romanum II.	50
	1124	Concilium Toloſanum.	51
HONORIVS P. II.	1124		
	1125	Concilium Londonienſe I.	56
	1127	Concilium Trecenſe.	61
		Concilium Londonienſe II.	85
	1128	Concilium Rauennate.	88
INNOCENT. P. II.	1130	Concilium Claromontanum.	102
		Concilium Stampenſe.	102
		Concilium Iotrenſe.	104
	1131	Concilium Rhemenſe.	111
		Concilium Leodienſe.	113
		Concilium Moguntinum.	114
	1132	Concilium Placentinum.	115
	1134	Concilium Piſanum.	115
	1136	Concilium Sueſſionenſe.	116
	1138	Concilium Northamtonienſe.	118
		Concilium Londonienſe.	119
	1139	CONCILIVM LATERANENSE II.	120
		Concilium Vvintonienſe I.	137
	1140	Concilium Senonenſe.	141
	1142	Concilium Vvintonienſe II.	148
		Concilium Antiochenum.	150
	1143	Concilium Hieroſolymitanum.	153
CÆLESTINVS P. II.	1143	Concilium Londonienſe.	155
LVCIVS P. II.	1144		
EVGENIVS P. III.	1145	Concilium Vizeliacum.	181
	1146	Concilium Carnotenſe.	182

	1147	Concilium Parisiense.	184
	1148	Concilium Rhemense.	187
		Concilium Treuirense.	213
	1151	Concilium Floridi.	215
ANASTASIVS P. IV.	1153		
HADRIANVS P. IV.	1154		
ALEXANDER P. III.	1159		
	1160	Conciliabulum Papiense.	323
	1161	Concilium Anglicum.	350
		Concilium Beluacense.	350
		Conciliabulum Laudense.	351
	1162	Concilium Londonienſe.	352
	1163	Concilium Turonense.	352
	1164	Conciliabulum Clarendonense.	370
		Conciliabulum Northamtonienſe.	379
	1168	Concilium Lateranense.	385
	1171	Concilium Casselanum.	387
	1172	Concilium Abrincatense.	388
	1175	Concilium Londonienſe.	394
	1176	Concilium Gallicanum.	402
	1177	Concilium Venetum.	413
	1179	CONCILIVM LATERANENSE III. GENERALE.	434

INDEX EPISTOLARVM.

GELASII *papæ II. vita.* pag. 1
Epistola I. Gelasii papæ II. ad Gallos. 8
Epistola II. Gelasii papæ II. ad Bernardum episcopum Toletanum. 9
Epistola III. Gelasii papæ II. ad clerum & plebem Romanam. 10
Epistola IV. Gelasii papæ II. ad Gualterum archiepiscopum Rauennatem. 10
Epistola V. Gelasii papæ II. ad exercitum Christianorum ciuitatem Cæsarauguſtanam obsidentem. 12

CALLISTI *papæ II. vita.* 16
Epistola I. Callisti papæ II. ad Adalbertum archiepiscopum Moguntinum. 20
Epistola II. Callisti papæ II. ad Stephanum abbatem Cistercienſem. 20
Epistola III. Callisti papæ II. ad canonicos Viennenſes. 22
Epistola IV. Callisti papæ II. ad episcopos & clerum Galliæ. 24
Epistola V. Callisti papæ II. ad Henricum imperatorem. 24
Epistola VI. Callisti papæ II. ad Pelagium episcopum Bracarenſem. 24
Epistola VII. Callisti papæ II. ad Ottonem episcopum Bambergenſem. 25
Epistola VIII. Callisti papæ II. ad eumdem. 27

HONORII *papæ II. vita.* 51
Epistola I. Honorii papæ II. ad Petrum abbatem Cluniacenſem. 54
Epistola II. Honorii papæ II. ad Tyrios. 54
Epistola III. Honorii papæ II. ad Guaremundum archiepiscopum Hierosolymitanum. 55
Epistola IV. Honorii papæ II. ad regem Daniæ. 55

INNOCENTII *papæ II. vita.* 88
Epistola I. Innocentii papæ II. ad Rainaldum Rhemenſem, Hugonem Rothomagenſem, Hugonem Turonenſem, archiepiscopos, & eorum ſuffraganeos. 90
Epistola II. Innocentii papæ II. ad Lotharium & Richizam. 91
Epistola III. Innocentii papæ II. ad Attonem episcopum Piſtorienſem. 92
Epistola IV. Innocentii papæ II. ad Vvilielmum patriarcham Hierosolymitanum. 94
Epistola V. Innocentii papæ II. ad eumdem. 95
Epistola VI. Innocentii papæ II. ad Gerardum Tripolitanum, R. Tortoſanum, & H. Byblitanum episcopos. 96
Epistola VII. Innocentii papæ II. ad Radulphum patriarcham Antiochenum. 97
Epistola VIII. Innocentii papæ II. ad Balduinum Berycenſem, Bernardum Sidonienſem, & Ioannem Ptolemaidenſem episcopos. 97
Epistola IX. Innocentii papæ II. ad Rogerium Siciliæ regem. 98

Epistola X. Innocentii papæ II. ad Henricum Senonensem & Rainaldum Rhemensem archiepiscopos. 100
Epistola XI. Innocentii papæ II. ad Samsonem Rhemensem, Henricum Senonensem archiepiscopos & Bernardum abbatẽ Claræuallensem. 100
Epistola XII. Innocentii papæ II. ad Stephanum sancti Memmii abbatem. 101

CÆLESTINI *papæ II. vita.* 154

LVCII *papæ II. vita.* 156
Epistola I. Lucii papæ II. ad Petrum abbatem Cluniacensem. 157
Epistola II. Lucii papæ II. ad regem Conradum. 158
Epistola III. Lucii papæ II. ad Raimundum Toletanum. 159

EVGENII *papæ III. vita.* 159
Epistola I. Eugenii papæ III. ad Ludouicum VII. regem Galliarum. 166
Epistola II. Eugenii papæ III. ad Theobaldum archiepiscopum Cantuariensem. 169
Epistola III. Eugenii papæ III. ad Hildegardem abbatissam. 170
Epistola IV. Eugenii papæ III. ad vniuersum clerum Romanum. 170
Epistola V. Eugenii papæ III. ad archipresbyterum tituli S. Marci. 171
Epistola VI. Eugenii papæ III. ad Conradum regem Romanorum. 171
Epistola VII. Eugenii papæ III. ad Engelbertum episcopum & canonicos Bambergensis ecclesiæ. 173
Epistola VIII. Eugenii papæ III. ad episcopos Germaniæ. 174
Epistola IX. Eugenii papæ III. ad canonicos sancti Petri Romæ. 176
Epistola X. Eugenii papæ III. ad Arnoldum archiepiscopum Coloniensem. 179

ANASTASII *papæ IV. vita.* 215

HADRIANI *papæ IV. vita.* 216
Epistola I. Hadriani papæ IV. ad Henricum II. regem Angliæ. 219
Epistola II. Hadriani papæ IV. ad Fridericum imperatorem. 221
Epistola III. Hadriani papæ IV. ad episcopos Galliæ & Germaniæ. 223
Epistola IV. Hadriani papæ IV. ad Fridericum imperatorem. 225
Rescriptum Friderici imperatoris ad Hadrianum papam. 226
Epistola V. Hadriani papæ IV. ad Fridericum imperatorem. 228
Epistola VI. Hadriani papæ IV. ad eumdem. 229
Epistola VII. Hadriani papæ IV. ad Basilium archiepiscopum Thessalonicensem. 230
Epistola VIII. Hadriani papæ IV. ad Vilielmum regem Siciliæ. 232
Epistola IX. Hadriani papæ IV. ad rectores Romanæ fraternitatis. 233

ALEXANDRI *papæ III. vita.* 234
Epistola I. Alexandri papæ III. ad Gerardum episcopum & canonicos Bononienses. 238

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epistola II. Alexandri papæ III. ad Arnulphũ Lexouiensem episcopũ. 242
Epistola III. Alexandri papæ III. ad clerum Angliæ. 243
Epistola IV. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 244
Epistola V. Alexandri papæ III. ad eumdem. 244
Epistola Thomæ Cantuariensis archiepiscopi ad Alexandrum papam. 246
Epistola VI. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem & reliquos Angliæ episcopos. 247
Epistola VII. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 248
Epistola VIII. Alexandri papæ III. ad eumdem. 248
Epistola IX. Alexandri papæ III. ad eumdem. 250
Epistola X. Alexandri papæ III. ad Henricum II. regem Angliæ. 250
Epistola XI. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 252
Epistola XII. Alexandri papæ III. ad Gilbertũ episcopũ Londoniẽsem. 253
Epistola XIII. Alexandri papæ III. ad eumdem. 254
Epistola XIV. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 256
Epistola Thomæ Cantuariensis ad Londonienſem & ceteros sibi subiectos Angliæ episcopos. 257
Epistola XV. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 259
Epistola XVI. Alexandri papæ III. ad eumdem. 260
Epistola XVII. Alexandri papæ III. ad omnes episcopos Angliæ. 260
Epistola XVIII. Alexandri papæ III. ad Thomam episcopum Cantuariensem. 261
Epistola XIX. Alexandri papæ III. ad Henricum II. regem Angliæ. 263
Epistola XX. Alexandri papæ III. ad Ludouicum VII. regem Francorum. 264
Epistola XXI. Alexandri papæ III. ad Vvilielmum & Oddonem cardinales legatos. 265
Epistola XXII. Alexandri papæ III. ad eosdem. 267
Epistola XXIII. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 268
Epistola XXIV. Alexandri papæ III. ad Vvilielmum & Oddonem cardinales legatos. 269
Epistola XXV. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 270
Epistola XXVI. Alexandri papæ III. ad Henricum II. regem Angliæ. 272
Epistola XXVII. Alexandri papæ III. ad eumdem. 273
Epistola XXVIII. Alexandri papæ III. ad omnes episcopos Angliæ. 274
Epistola XXIX. Alexandri papæ III. ad Henricum II. regem Angliæ. 275
Epistola XXX. Alexandri papæ III. ad eumdem. 276
Epistola XXXI. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 278
Epistola XXXII. Alexandri papæ III. ad Soldanum Iconii. 279

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epistola XXXIII. Alexandri papæ III. ad Rogerum archiepiscopum Eboracensem. 288
Epistola XXXIV. Alexandri papæ III. ad eumdem. 288
Epistola XXXV. Alexandri papæ III. ad Gilbertum episcopum Londoniensem. 289
Epistola XXXVI. Alexandri papæ III. ad Vvilielmum archiepiscopum Senonensem. 290
Epistola XXXVII. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 291
Epistola XXXVIII. Alexandri papæ III. ad Rogerum archiepiscopum Eboracensem & Hugonem Dunelmensem episcopum. 292
Epistola XXXIX. Alexandri papæ III. ad Senonensem & Rothomagensem archiepiscopos. 295
Epistola XL. Alexandri papæ III. ad Thomam archiepiscopum Cantuariensem. 296
Epistola XLI. Alexandri papæ III. ad Henricum II. regem Angliæ. 297
Epistola XLII. Alexandri papæ III. ad archiepiscopum Bituricensem, & episcopum Niuernensem. 298
Epistola XLIII. Alexandri papæ III. ad monachos ecclesiæ Cantuariensis. 299
Epistola XLIV. Alexandri papæ III. ad omnes fideles. 300
Epistola XLV. Alexandri papæ III. ad Petrum Cassinatem abbatem. 301
Epistola XLVI. Alexandri papæ III. ad Richardum archiepiscopum Cantuariensem. 301
Epistola XLVII. Alexandri papæ III. ad Rogerum archiepiscopum Eboracensem. 301
Epistola XLVIII. Alexandri papæ III. ad regem Indorum. 302
Epistola XLIX. Alexandri papæ III. ad Hugonem. 304
Epistola L. Alexandri papæ III. ad omnes episcopos. 305
Epistola LI. Alexandri papæ III. ad Vvilielmum archiepiscopum Senonensem. 305
Epistola LII. Alexandri papæ III. ad Philippum archiepiscopum Colonienſem. 306
Epistola LIII. Alexandri papæ III. ad clericos Alexandrinæ ecclesiæ. 309
Epistola LIV. Alexandri papæ III. ad eosdem. 310
Epistola LV. Alexandri papæ III. ad episcopos Scotiæ. 311
Epistola LVI. Alexandri papæ III. ad eosdem. 312
Epistola LVII. Alexandri papæ III. ad Vvilielmum regem Scotorum. 313
Epistola LVIII. Alexandri papæ III. ad Casimirum ducem Poloniæ. 314
Epistola LIX. Alexandri papæ III. ad omnes principes. 315
Epistola LX. Alexandri papæ III. ad omnes prælatos. 318
Epistola LXI. Alexandri papæ III. ad Richardum archiepiscopum Cantuariensem & eius suffraganeos. 319
Epistola LXII. Alexandri papæ III. ad Rogerum archiepiscopum Eboracensem & Hugonem Dunelmensem episcopum. 320
Epistola LXIII. Alexandri papæ III. ad Rogerum Vvigornienſem episcopum. 322

VITA

Anno Christi 1118.

VITA ET EPISTOLÆ GELASII PAPÆ II.

GELASIVS secundus, natione Campanus, patria Caietanus, Ioannes antea nominatus, a puero optimis disciplinis imbutus, in monasterio Cassinensi sub Oderisio abbate sanctissimo vitam religiosam professus, ab Vrbano secundo Romam ad munus cancellariæ euocatus, virtutumque merito a Paschale in numerum cardinalium adscitus, a clero, senatu populoque Romano, conuocatis & congregatis omnibus quos Pandulphus huius temporis scriptor enumerat cardinalibus, pari voto ac desiderio, inuitus ac renitens, Spiritus sancti gratia mediante, electus est pontifex octauo Kalendas Februarii, anno Christi Redemptoris 1118. tempore Henrici imperatoris quarti, & regis Germanorum eius nominis quinti. Hunc Vrspergensis prudentem & venerandum virum nominat, qui in Romana ecclesia semper irreprehensibiliter Paschali pontifici collaborauerit, quique cunctorum catholicorum vnanimi consensu rite consecratus fuerit. Sed quæ post eius electionem tristia ac sacrilega subsecuta sint, Pandulphus qui aderat enarrat his verbis:

Gelasius quando pontifex factus?

Qualis Gelasius.

Hæc audiens inimicus pacis atque turbator iam fatus Cencius Frangipanis (erat hic inhærens factioni Henrici schismatici imperatoris) more draconis immanissimi sibilans, & ab imis pectoribus trahens longa suspiria, accinctus retro gladio, sine mora cucurrit, valuas ac fores fregit, ecclesiam furibundus introiit, inde, custode remoto,

Gelasius papa a schismaticis dira patitur.

papam per gulam accepit, distraxit pugnis, calcibus percussit, & tamquam brutum animal intra limen ecclesiæ acriter calcaribus cruentauit, vt latro tantum dominum per capillos & brachia, Iesu bono interim in naui dormiente, detraxit, atque domum vsque deduxit, vbi eum catenauit, & clausit. Tunc de præfatis episcopis, cardinalibus, ac clericis, & multis de populo qui conuenerant, alii ab apparitoribus Cencii modo simili vinciuntur, alii de caballis ac mulis capite verso præcipitantur, & inauditis vndique miseriis affliguntur, donec aliqui semiuiui in domum tandem propriam remearunt: malo suo venit, qui fugere cito non potuit. Facta autem hac voce, conuenit multitudo Romana, Petrus præfectus vrbis, Petrus Leonis cum suis, Stephanus Northmannus cum suis, Stephanus de Thebaldo cum suis, Stephanus de Berizone cum suis, Stephanus Quadralis cum suis, Buccaporcina cum suis, Bouisco cum suis, Berizasi cum suis. Regiones duodecim ciuitatis Romanæ, Transtiberini & Insulani arma corripiunt, cum ingenti strepitu Capitolium scandunt, nuntios ad Frangipanes iterato remandant, papam captum repetunt & exoptant, nihil moræ. Territus Frangipanis, præsertim dominus Leo impietate subdola pius, papam illico reddidit, pedes eius amplexans clamat irremissius: Domine miserere. Et sic pacatis inimicis vrgentibus, vt iterum ecclesiam duris cornibus ventilaret, euasit. Tunc sanctus papa leuatur, niueum ascendit caballum, coronatur, & tota ciuitas coronatur cum eo; per Sacram viam gradiens, Lateranum ascendit; bannis, & insignibus aliis eum præcedentibus pariter, atque iuxta Romanum ritum moremque sequentibus. Sedit itaque papa, vt videbatur, in pace. Frequentabant eum comites & barones, & qui pro responsis aliquibus veniebant, recipiebantur benigne, donec finito negotio, pro quo cuncti conuenerant, accepta benedictione, redirent: tamquam a patre filii benignius per omnia tractabantur. Itaque curia tota in pace habebat omnia quæ per Dei gratiam possidebat. Rediere omnes hinc & illinc extra Vrbem morantes. Rediit & inter alios Hugo magnus ac nimium honorabilis apostolorum presbyter cardinalis a Circæa arce, quam ei ob rabiem Teutonicam

Romani catholici liberant papam a schismaticis.

Gelasius liberatus procedit in Lateranum.

præcauendam, ad omnia prouidus quondam Paſchalis papa homini nobili & illuſtri nouiter commendauerat, quamque papa nouus (quod vtinam non feciſſet, nam paulo poſtmodum pœnituit) reddi Terracinenſibus per nuntios apiceſque mandauit. Omnibus igitur congregatis, vndique conferebatur ab illis, quando certis temporibus papa & promoueri pariter & conſecrari deberet; equidem diaconus & non presbyter erat. Sed antiquus hoſtis, ſicut fecerat olim in cælo, pacem tantam in longum nulla durare penitus ratione permiſit. Nam dum hæc agerentur, quidam intempeſtæ noctis ſilentio ad iam fatum egregium dominum Hugonem cardinalem directus eſt, ab vno videlicet, cui exinde non parua copia inerat amicorum, qui Henricum, dictum imperatorem Romanum, armatum contra papam ad ſancti Petri porticum diceret aduentaſſe: quod moraretur, non opus eſſe. Papa per cardinalem præſciuit. Et ſicut iam pene ſenio & infirmitate confectus fugere tam repente non poterat, manibus abducitur famulorum, & ſic caballo eiectus ad *dominum Bulgamini in nocte ipſa confugiens latuit. Fugimus & omnes cum eo. Mane autem facto turbati omnes & ſtupefacti, quia neque tute manere in Vrbe, neque per terram vndique ſpinis ſeptam fugere poteramus, fit nempe conſilium, vt fugam caperemus per mare: quod & factum eſt. Siquidem in flumen Tiberis maturato intrauimus, & per galeas duas in portum vſque deſcendimus: ibique cælum, terra, mare, & pene omnia quæ in eis ſunt, aduerſum nos pariter coniurarunt. Nam cælum graues pluuias, grandines, tonitrua, coruſcationes & fulmina frequentabat: mare ſimul & Tiberis iam diris tempeſtatibus vicario rebellabant, vt vix in portu viui remanere poſſemus, nedum mare intrare. Interea ſæua ſuperbia per ripam Alemanorum barbaries tela contra nos mixta toxico iaciebat; minitabantur etiam nos inter aquas natantes piceo igne cremare, niſi papam & nos in eorum manibus dederemus. Et, credo, capti eſſemus, ſi nox & ira fluminis illos non impediuiſſet. Quid ad hæc? Quid miſerrimi facerent? Ceperunt, imo cepit dominus Hugo cardinalis & presbyter papam noſtrum in collum, & ad caſtrum ſancti Pauli Ardeam ſic de nocte portauit.

*domum

Immenſa pietas.

Die vero altero in aurora rediere Teutonici, prædam de nobis facere gestientes. Iuratum est eis tandem, quia papa fugisset: & sic, Deo gratias, recesserunt a nobis. Interim retentauimus, si mare adhuc valeremus intrare: papam nocte deduximus. Cum non sine periculo maris nos fluctus attigimus, die tertio ripæ Tarracinensi viui vix applicauimus, & in quarto portum Caietæ intrauimus: vbi ab illis hominibus nimis honorifice susceptì fuimus, & benigne tractati. His compertis, *ait auctor chronici Cassinensis*, Henricus imperator Romam festinus aduenit: atque ad electum nuntios dirigens, petebat vt quæ Paschalis papa fœdera inter ecclesiam Romanumque imperium fecerat sua auctoritate firmaret: alioquin alium ipse in sede beati Petri constitueret. Videns electus sibi & imperatori salua fide conuenire non posse, mare per Tiberim ingressus cum episcopis & cardinalibus aliisque Romanæ ecclesiæ clericis, ac præfecto Romanæ vrbis, Caietam venit. Hoc vbi imperatori nuntiatum est, Mauritium [*Abbas Vrspergensis Burdinum nominat. Onuphrius eumdem Gregorium octauum eius nominis pseudopontificem appellat.*] Bracarensem archiepiscopum a Paschali papa depositum euestigio inuasorem ecclesiæ Romanæ constituit. Gelasius supradictus postquam per literas hæc omnibus fidelibus insinuasset Caietæ, & in quadragesima presbyter ordinatus, ab episcopis & cardinalibus in Romanum pontificem est consecratus per manus Lamberti Ostiensis, *vt scribit dictus auctor Pandulphus*, Petri Portuensis, Vitalis Albanensis episcoporum, cooperantibus archiepiscopis & episcopis multis, assistentibus aliis viris religiosis, & cum eis Vvilelmo duce Apuliæ, Roberto principe Capuano, Richardo de Aquila, aliisque baronibus plurimis, qui tunc ei omnes fidelitatem fecerunt. Consistente clero & populo infinito, sancto dictante Spiritu, effectus est presbyter, & in papam Gelasium infra Kalendas consecratus. Ibi Petrum Rufum diaconum cardinalem, baronem, subdiaconum, & me Pandulphum ostiarium, qui hæc scripsi, in lectorem & exorcistam promouit, & plures alios in minoribus gradibus ordinauit. Lætum nomine Verulanum episcopum a domino Paschali papa factum, & depositum, suæ digni-

Schisma XXIV. auctore Henrico IV. imperatore excitatum.

tati ac loco reſtituit, Chryſogonum diaconum cancellarium fecit, ibique per totam quadrageſimam demorantes, feſtiuitatem paſchæ Capuæ ſolenniter celebrauimus.

Nobis vero ſic iam quomodolibet reſpirantibus, ſuperuenere qui dicerent (quod Caietæ etiam per ſuſurrum primitus ſenſeramus) Henricum illum barbarum, quemdam Mauritium nomine Bracarenſem archiepiſcopum, quaſi nouum ſimulacrum, in loco papæ ſtatuiſſe, & illum ſic intruſum papam ſuum Gregorium nominaſſe. Ecce recidiuo vulnere recidimus in typum antiquum. Addidit inde nuntius, quod caſtrum prope Turriculam a fratribus abbatiæ ſancti Andreæ retentum idem barbarus obſideret. Reſumpſit papa vires, ac duci Vvilelmo, ac principi Capuano Roberto, aliiſque baronibus dedit firmiter in mandatis, vt omnes contra barbarum arma compararent. Dixit, & factum eſt. Paratur papa ad reditum. Redeunt barones cum eo; inde ad ſanctum Germanum, videlicet Caſſinenſe cœnobium, deuenerunt, vbi Vvilelmum ducem per aliquot dies expectauimus. Interim Lando dominus de Turricula, Odo, Coſtus, & Gilulphus fratres eius cum eo, acriter pugnabant cum Henrico rege.

Venit dux Vvilelmus ad papam interea. Tunc cœperunt reditum ſimul maturare. Quod Henricus perſentiens, infecto negotio a caſtello remotus, via ipſa, qua venerat, irato ipſi Domino, in Alemanniam rediit, idolo quod plaſmauerat in Vrbe relicto. Tunc papa doluit multum, quod reddi nimis inconſulte præceperat Circæam arcem, quam vellet habere. Igitur dux & principes cum baronibus rediere, papa in propria ſede in Campaniam veniente. ſui eum non ſine precio receperunt, & ita pedetentim, magis vt peregrini quam domini, Romam, ſicut Deus nouit, intrauimus. Latuit dominus papa melius, quam hoſpitatus ſit in eccleſia quadam, quæ ſancta Maria in ſecundo cereo dicitur, intra domos illuſtriſſimorum virorum Stephani Northmanni, Pandulphi fratris eius, & Petri Latronis Corſorum. Ibique de imminentibus periculis, præſertim de intruſione Burdini, cum tota ſimul eccleſia diligentius conferebat. Eum quidam de cardinalibus Deſiderius ſanctæ Praxedis, cuius proxime erat feſtiuitas, quod non vtinam cogitaſſet, ad

cantandum in ipſamet eccleſia Miſſam ſimpliciter quodam veſpere inuitauit, ſed nimium ſimplicius eſt a domino papa conceſſum. Die autem craſtina, etſi diſplicuerit plurimis, quia eccleſia eſſet in fortiis Frangipanum, freti tamen Stephani Northmanni, & Creſcentii Caietani eiuſdem papæ nepotis, antiquis ſtrenuitatibus, itum eſt ad cantandum. Necdum adhuc celebratis officiis, ecce cum non parua manu militum, ac peditum, & aliorum procacium, impii Frangipanes apparent: irruunt, lapides & ſpicula mittunt, noſtros affligunt, multi paucos atterunt. Reſiſtit miles Northmannus, & Creſcentius glorioſus cum eo, reſiſtunt vndique noſtri, iacula mandata remandant, enſis atteritur enſe, lancea retuſa retundit, hinc pedites, illinc milites cadunt, vndique ſtrati, vndique pugna grauis: papam cœpit iſte tenere, iſte tuetur eum, miles vtrimque cadit, turbæ ruunt, pedites ſcandunt muros, capiuntur ex noſtris aliqui, non tamen eximii. O quantus luctus omnium! quanta præcipue lamenta matronarum, quæ papam ſolum, tamquam ſcurram per campos, ſacris pro parte veſtibus reueſtitum, quantum equus poterat, fugientem videbant? Hunc crucifer ſequitur, cecidit; muliercula, quem tunc inuenit, abſcondit, in ſepe crucem recondit, & in ſero reduxit. In quarta parte diei acriter eſt ab vtriſque pugnatum: cum Stephanus Northmannus credens papam iam in tuta fugiſſe, taliter Frangipanes alloquitur: Quid, inquiens, facitis? quo ruitis? Papa, quem quæritis, iam receſſit, iam fuga elapſus eſt. Numquid & nos perdere cupitis? Et quidem Romani ſumus ſimiles vobis, &, ſi dici liceat, conſanguinei veſtri. Recedite ergo, recedite, vt & nos feſſi pariter recedamus. Ad hanc itaque vocem nepos eius Frangipanis gemebundus dolens papam eumdem liberatum, cum inſano fratre Cencio aliiſque receſſit: redierunt & noſtri, non omnes. Interim papa vtrobique quæſitus, demum intra campos ſancti Pauli eccleſiæ adiacentes feſſus, triſtis, & eiulans inuentus eſt, & reductus. Die illa prandium cum cœna fit vnum: ſpem & metum animi cunctorum mutabant dolentes: & quantum ad diem per longa tempora memorabilem conſiliatum eſt, nox conſilium diremit.

Sane die altero quique hæc & illa dicentes: papa poſt

omnium sententias dixit: Viri fratres & filii, sicut nec longe malum, ita nec longo opus est nec nouo sermone; sequamur patres nostros, quoniam valde bonum est antiquos sequi parentes. Sequamur nihilo minus euangelium. Quandoquidem viuere in ciuitate ista non possumus, fugiamus in aliam. Fugiamus Sodomam, fugiamus Ægyptum, fugiamus nouam, iuxta verbum propheticum, Babyloniam, ciuitatem sanguinum fugiamus. Veniet, credite mihi, veniet aliquando tempus, cum vel omnes pariter, vel quos Deus permiserit, flante Austro, redibimus, & tempora meliora redibunt. Ego coram Deo & ecclesia dico: Si vnquam possibile esset, mallem vnum imperatorem, quam tot. Vnus saltem nequaquam perderet nequiores, donec de illo quoque euidentem iustitiam imperatorum faceret omnium imperator. Ad hæc omnes vna voce clamauere: Fiat; sic fiat: iungentes tertio: Fiat. Amen. *Matth. 10.*

Synodo, quam apud Viennam habuit transacta, in monasterio Cluniacensi, *ait prædictus auctor Pandulphus*, subita passione, quam Græci pleuritin appellari iusserunt, correptus, suis & multis fratribus vndique conuocatis, facta confessione, corpore cum sanguine Redemptorem accepit, ac iuxta formam monasticam strato terræ corpusculo sancta illa anima IV. Kalendas Februarii anno 1119. carne soluta est. Corpus honorabiliter intra limen Cluniacensis cœnobii requiescit in pace, Martyrii vero corona dignissimus pontifex, quo breui tempore administrati pontificatus nemo maiora passus est, sedit annum vnum, dies quatuor, & cessauit episcopatus eius dies decem & quinque. *Hæc ex Pandulpho Baronius.*

EPISTOLA I.

GELASII PAPÆ II. AD GALLOS.

Mandat vt se contra Mauritium Bracarensem episcopum, ab Henrico imperatore in sedem intrusum pseudopapam, arment.

Gelasius seruus seruorum Dei archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis, principibus, & ceteris per Galliam fidelibus salutem.

Vuillelm. Malmesb. reg. Ang. lib. 5.

QVIA vos Romanæ ecclesiæ membra estis, quæ in ea nuper acta sunt dilectioni vestræ significare curamus. Siquidem post electionem nostram dominus imperator furtiue & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea & minis & terroribus postulauit, dicens quæ posset se facturum, nisi nos ei iuramento pacis certitudinem faceremus. Ad quæ nos ista respondimus: De controuersia quæ inter ecclesiam & regnum est, vel conuentioni, vel iustitiæ libenter acquiescimus, loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremonæ in proxima beati Lucæ festiuitate, fratrum nostrorum iudicio, qui a Deo sunt iudices constituti in ecclesia, & sine quibus hæc causa tractari non potest. Et quoniam dominus imperator a nobis securitatem quærit, nos verbo & scripto eam promittimus, nisi ipse eam interim impediat; alias enim securitatem facere, nec honestas ecclesiæ, nec consuetudo est. Ille statim die post electionem nostram quadragesimoquarto Mauritium Bracarensem episcopum, anno præterito a domino prædecessore nostro Paschali papa in Concilio Beneuenti excommunicatum, in matris ecclesiæ gremium ingessit. Qui etiam cum per nostras olim manus pallium accepisset, eidem domino nostro, & catholicis successoribus, quorum primus ego sum, fidelitatem iurauit.

† Per Romanos intellige catholicos: per Guui-

In hoc autem tanto facinore nullum de † Romanis dominus imperator, Deo gratias, socium habuit: sed Guibertini soli, Romanus de sancto Marcello, Cencius, qui dice-

dicebatur de ſancto Chryſogono, Teuto qui multo per bertinos, ſchiſmaticos.
* forte Latium. *Daciam debacchatus eſt tempore, tam infamem gloriam celebrarunt. Veſtræ igitur experientiæ, literarum præſentium perceptione mandamus, vt ſuper his per Dei gratiam communi deliberatione tractantes, ad matris eccleſiæ vltionem communibus, præſtante Deo, auxiliis, ſicut oportere cognoſcitis, accingamini. Datum Caietæ decimoſeptimo Kalendas Februarii.

EPISTOLA II.

GELASII PAPÆ II.

AD BERNARDVM TOLETANVM EPISCOPVM HISPANIÆ PRIMATEM.

De Mauritio in ſedem intruſo.

Gelaſius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Bernardo archiepiſcopo Toletano & Hiſpaniarum primati ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NON latere credimus fraternitatem tuam, qualiter frater quondam Mauritius Bracarenſis epiſcopus ſe iamdiu habuerit, qualiter eccleſiam ſuam dimiſerit, & quomodo regi excommunicato adhæſerit, & contra ſtatuta canonica in cubile Romanæ eccleſiæ ſe ingeſſerit. Nec eum miramur debitam tibi obedientiam & antiquum primatus honorem eccleſiæ tuæ penitus denegaſſe, qui Romanam eccleſiam, quæ omnium eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non ſolum negare, ſed deſtruere quodammodo conatur, *&c.* Monemus itaque atque præcipimus, vt iuxta mandatum prædeceſſoris noſtri ad electionem in Bracarenſi eccleſia faciendam ſolicitudine caritatis debitæ operam & opem præbeas cum effectu. Ipſum vero Mauritium excommunicatum & periurum, & matris eccleſiæ conſtupratorem publicum ceteris Hiſpaniarum prælatis, *&c.* Data Caietæ, *&c.*

EPISTOLA III.

GELASII PAPÆ II.

AD CLERVM ET PLEBEM ROMANAM.

Commendat eorum constantiam aduersus intrusum pseudopapam.

Gelasius episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filiis clero & populo Romano salutem & apostolicam benedictionem.

DILECTIONIS vestræ Domino gratias agimus, quod vnanimiter persistentes communicare tenebrarum operibus noluistis. Audiuimus etiam * quondam ille amicus noster dominus imperator familiarem nostrum Mauritium Bracarensem archiepiscopum, antea sibi super tractanda pace legatum, in nostram ecclesiam ingesserit. De quo sciatis, quod dicitur olim secundum consuetudinem, * confirmatione, consecratione pallium accepisset a nobis & nos ab ipso secundum statuta canonicum iuramentum fidelitatis & obedientiæ recepimus, *&c.* Rogamus ergo dilectionem vestram, atque præcipiendo mandamus, vt ab eo vos tamquam ab excommunicato, periuro, inuasore, & sanctæ matris ecclesiæ, ac fidei catholicæ constupratore abstineatis, *&c.* Datum Caietæ, *&c.*

* *forte* quomodo

EPISTOLA IV.

GELASII PAPÆ II.

AD GVALTERVM RAVENNATEM ARCHIEPISCOPVM.

Illius electionem post schisma eiuratum confirmat, eique pallium cum aliis iuribus concedit.

Gelasius episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Gualtero Rauennatium archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

VNITATI diuinæ Trinitatis gratiæ agendæ sunt, quæ per suæ caritatis spiritum diuisa coniungit, & multos in se animos vnum facit. Ecclesia siquidem Rauennatium per multa iam tempora ab apostolicæ sedis vnitate discissa multas eidem sedi apostolicæ persecutiones intu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lit, & eccleſiis multis peruerſi ſchiſmatis fomitem miniſtrauit. Quapropter ad * cuius nequitiam ſubiectarum ei eccleſiarum quaſdam ſibi apoſtolica ſedes aſſumpſit, vt vel ſic eam ad humilitatis & vnitatis tramitem reuocaret. Sed cum tandem diuinæ maieſtati placitum fuit, eamdem Rauennatium eccleſiam miſericordiæ ſuæ gratia ad vnitatem & obedientiam matris ſuæ Romanæ eccleſiæ reuocauit. Iniquitatem namque ſuam illius filii recognoſcentes, delicta patrum corrigere probauerunt, vt qui præteritis temporibus per tyrannidem regiam præſules regibus placentes accipiebant, nunc demum ſecundum canonicas ſanctiones epiſcopum Deo placentem eligerent, & ſchiſmate abdicato in catholicæ congregationis gremium repedarent. Te ſiquidem, reuerendiſſime frater Gualtere, a diſciplina fratrum regularium violenter aſſumptum, pro religionis ac ſapientiæ prærogatiua, in beati Apollinaris cathedra communi voto ac deſiderio poſuerunt, & in apoſtolicæ ſedis obedientiam vnanimiter redierunt. Vnde nos diuinæ Trinitatis vnitati gratias agentes, perſonam tuam pro iure noſtræ eccleſiæ ad epiſcopale miniſterium cooperante Domino conſecrantes, tibi, & per te Rauennatium eccleſiæ dignitatem omnem, quam ante illius diuiſionis tempora per Romanam eccleſiam poſſederat, reſtituimus, & per præſentem priuilegii paginam, ſaluo in omnibus iure atque auctoritate ſedis apoſtolicæ, concedimus tibi, tuiſque ſucceſſoribus in eiuſdem ſedis apoſtolicæ fide atque obedientia permanentibus, epiſcopatus Æmiliæ prouinciæ, id eſt Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Imolæ, Fauentiæ, Fori Liuii, Fori Pompilii, Bobii, Cæſennæ, Ficoclæ: confirmamus etiam vobis ducatum Rauennæ, & monaſteria ſancti Adalberti, & ſancti Hilarii * Galliata, ſeu cetera monaſteria & poſſeſſiones, per authentica priuilegia ab anteceſſoribus noſtris, & a catholicis regibus tradita. Pompoſiani quoque monaſterii curam religioni tuæ, ſaluo eccleſiæ noſtræ iure, committimus, vt regulari diſciplina per tuam induſtriam, largiente Domino, reformetur. Præterea fraternitati tuæ pallium pontificalis videlicet officii plenitudinem liberaliter concedimus, quo fraternitas

tua, ſecundum eccleſiæ tuæ morem ex apoſtolicæ ſedis conceſſione permiſſum, ſe nouerit induendum, cuius * inimicum pallii volumus te per omnia * genium vendicare. Huius ſiquidem indumenta, honor, humilitas, atque iuſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in aduerſis, ſi quando eueniunt, cum iuſtitia erectam, amicam bonis, peruerſis contrariam, nullius vnquam faciem pro veritate loquentem premens, tum operibus iuxta virtutem conſtantiæ inſiſtens, tum inſiſtere etiam ſupra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, de alienis tamquam de propriis exultans gaudiis, in vitiis corrigendis pie ſæuiens, in fouendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira iudicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeueritatis iuſtæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, frater cariſſime, pallii accepti dignitas; quam ſi ſolicite ſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis.

* *forte* amictu

Ego Gelaſius eccleſiæ catholicæ epiſcopus. Signum manus meæ Gelaſii, Deus in loco ſancto ſuo.

Datum Romæ per manum Chryſogoni S. R. E. diaconi cardinalis, Kalendis Septembris, indictione duodecima, anno dominicæ incarnationis MCXIX. pontificatus autem domni Gelaſii II. papæ anno I.

[a] EPISTOLA V.

GELASII PAPÆ II.

AD EXERCITVM CHRISTIANORVM CIVITATEM CÆSARAVGVSTANAM OBSIDENTEM.

Omnibus ad eum aliquid conferentibus indulgentiam largitur.

*Gelaſius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei exercitui Chriſtianorum ciuitatem Cæſarauguſtanam * obſidenti, & omnibus catholicæ fidei cultoribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* *obtinenti,*

LITERAS deuotionis veſtræ inſpeximus: competitioni quam pro Cæſarauguſtano electo ad ſedem apoſtolicam * duxiſtis fauorem libenter accommodauimus. Eumdem ergo electum, noſtris tanquam beati Petri manibus,

* *direxiſtis*

largiente Domino, consecratum remittentes ad vos, benedictionem vobis apostolicæ visitationis impendimus, æquam omnipotentis Dei misericordiam implorantes, vt per sanctorum preces & merita opus suum ad honorem suum & ecclesiæ suæ dilatationem vos faciat operari. Et quoniam & vos ipsos, & vestra extremis obiicere periculis decreuistis, si quis vestrum accepta de peccatis suis pœnitentia in expeditione hac mortuus fuerit, nos eum sanctorum meritis, & totius ecclesiæ catholicæ precibus a suorum vinculis peccatorum absoluimus. Ceterum, qui pro eodem Domini seruitio vel laborant, vel laborauerint, & qui præfatæ vrbis ecclesiæ a Sarracenis & Moabitis dirutæ, vnde reficiatur, & clericis ibi Deo famulantibus, vnde pascantur, aliquid donant, vel donauerint, secundum laborum suorum & beneficiorum suorum ecclesiæ impensorum quantitatem ad episcoporum arbitrium, in quorum parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissionem & indulgentiam consequantur. Data Alesti, quarto Idus Decembris.

NOTA.

[a] *Epistola.*] His acceptis idem Petrus ordinatus episcopus Cæsarauguſtanus, suis additis literis, eiusmodi indulgentiarum diploma per vniuersum Christianum orbem promulgandum studuit, ista scribens:

Vniuersis mundi ecclesiæ fidelibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, presbyteris, omnibus catholicæ fidei cultoribus, Petrus licet indignus Cæsarauguſtanus episcopus salutem & obedientiam.

DIVINA fauente clementia, vestrisque precibus, & fortium virorum audacia Cæsarauguſtanam vrbem Christianis manibus subiugari, ac beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ ecclesiam, quæ diu (proh dolor!) subiacuit Sarracenorum ditioni, liberari, satis audiuistis: quam beato & antiquo nomine sanctitatis ac dignitatis pollere nouistis. Adhuc tamen prioris captiuitatis mœrore confectam, omnibus pene egere sapiatis, tum quia non habent vnde dirutæ ecclesiæ præfatæ parietes & ornamenta restitui valeant, tum quia clerici ibidem diuino famulatui die noctequeque vacantes, vnde viuant non obtinent. Vestram itaque deprecamur clementiam, quod si cor-

porali præsentia illam visitare nequitis, saltem eleemosynarum vestrarum oblatione clementer visitetis, illud Psal-
Psalm. 40. mographi recolentes : *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.* Illis vero qui præfatæ ecclesiæ necessariorum solatio destitutæ, atque suæ paupertatis gemitibus condoluerint, & vnum denarium, vel quot valeant, ad eius restaurationem miserint, nos eis diuina clementia, ac domini Gelasii papæ auctoritate freti, (exemplar literarum crucis, quas in nostra ecclesia signatas habemus, in suprascripta pagina scriptum inuenietis) atque domini Bernardi archipræsulis Toletani, & sanctæ Romanæ ecclesiæ legati, ac omnium episcoporum Hispaniæ..... pœnitentiæ remittimus. Alii equidem iuxta beneficiorum suorum quantitatem, & operum suorum meritum, delictorum suorum consequantur remissionem. Qui hunc nostrum archidiaconum nomine Miorrandum, & socios suos præsentium literarum latores benigne susceperint, vel eis consuluerint, a Domino vitam consequantur æternam. Valete.

Ita Petrus episcopus Cæsaraugustanus, qui, vt audisti, vna cum his & literas apostolicas misit, hasque omnes subscriptione munitas, tum Bernardi archiepiscopi Toletani, tum aliorum Hispaniæ episcoporum in hunc modum:

Ego Bernardus Toletanæ ecclesiæ archipræsul hanc absolutionem facio & confirmo.

Ego Suboscitanus episcopus hanc absolurionem facio & confirmo.

Ego Sanctius Calaguritanus episcopus hanc absolutionem facio & confirmo.

Ego Guido Lascurrensis episcopus hanc absolutionem facio & confirmo.

Subscriptus quoque his reperitur apostolicæ sedis legatus, qui tunc morabatur in Hispania, hoc itidem modo:

Ego Boso sacræ Romanæ ecclesiæ cardinalis hanc absolutionem facio ac confirmo.

Hactenus venerandæ antiquitatis monimenta, Hieronymi Blancæ industria in lucem prodita in commentariis rerum Aragonensium ex Cæsaraugustano tabulario, quibus indulgentiarum promulgandarum pristinus mos referatur, pariterque antiquus cultus religiosissimæ ecclesiæ beatissimæ Virginis, de Pilari nuncupatæ, quæ hactenus non solum Hispanorum populorum, sed externorum etiam visitatione frequentatur, vniuerso Christiano orbi illustri fama notissima.

ANNO CHRISTI 1118.

[a] CONCILIVM CAPVANVM,

QVO HENRICVS V. REX GERMANIÆ, quartusque eius nominis imperator, vna cum Mauritio Burdino antipapa, qui se Gregorium VIII. nominabat, excommunicatur, anno Domini MCXVIII. tempore Gelasii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Occasionem & acta huius synodalis congregationis apud Capuam celebratæ Vrspergensis in chronico enarrat his verbis: *Henricus imperator, dum Padanis regionibus immoraretur, audito transitu apostolici Paschalis, Romam properauit: & primo quidem in electione domini Ioannis, qui & Gelasius II. dictus est, assensum præbens, postea vero, eodem a sua se communione subtrahente, non sine quorumdam Romanorum fauore alterum quemdam Burdinum ex Hispania superuenientem apostolicæ sedi imposuit; sicque schisma, quod iam sperabatur emortuum, crudeliter reuixit. Nam eodem Romanæ cathedræ libere potito, Gelasius cum his qui secum abierant cardinalibus, ceterisque catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam, iuxta quod literæ ab ipso circumquaque transmissæ testantur, Cæsarem vna cum idolo suo damnauit.*

Occasio & acta Concilii quæ.

[a] CONCILIVM COLONIENSE,

QVO PER CONONEM LEGATVM SEDIS apostolicæ, excommunicatio in Henricum regem lata promulgatur, anno Domini MCXVIII. tempore Gelasii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] *His temporibus*, inquit Vrspergensis in chronico, *Cono Prænestinus, adhuc legatione Gelasii functus, Synodum Coloniæ cum Teutonicis habuit, vbi imperatoris omnimodis excommunicationem propalauit. Huic Concilio interfuit Northertus postea Præmonstratensis ordinis institutor, tunc autem nouiter conuersus in peregrino habitu: ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat. Vnde & scriptum legitur de eo, quod de Ismael:* Quia manus horum omnium contra eum, vt ipse contra hos omnes. Hæc Vrspergensis.

Imperatoris excommunicatio denuntiatur. Northertus accusatur & defenditur.

Genes. 16.

[a] CONCILIVM FRIDESLARIENSE, CONTRA IMPERATOREM HENRICVM, anno MCXVIII. sub Gelasio II.

ANNO CHRISTI 1118.

NOTA.

Apud Surium die 26. Iunii tom. 3.

[a] *Concilium.*] De hac Synodo Vrspergensis ista scribit: *Alteram quoque Synodum in Friteslar idem Cono Praenestinus eadem pro causa indixit, qua & habita, eamdem quam prius excommunicationem confirmauit*, aduersus imperatorem scilicet. *Imperator his auditis, insuper etiam, quod principum consensus generale vel curiale colloquium non multo post apud Vvirceburgum instituere proposuisset, vbi ipse aut praesens ad audientiam exhiberi, aut absens regno deponi debuerit, efferatus animo, Italiae suis copiis cum regina relictis, Germanicis se regionibus nimis insperatus exhibuit.*

[a] CONCILIVM VIENNENSE, A GELASIO SECVNDO CELEBRATVM anno Domini MCXIX.

ANNO CHRISTI 1119.

NOTA.

Concilii causa quae?

[a] *Concilium.*] Cum Gelasius papa apud Capuam Henricum imperatorem & Burdinum schismaticum antipapam excommunicasset, atque inde per Campaniam cum suis ad Burgundiam transmigrasset, *anno dominicae incarnationis* 1119. inquit Vrspergensis in chronico, *apud Viennam Synodum congregauit, eaque transacta, post paucos dies in monasterio Cluniacensi vitam praesentem in Domino finiuit.* Quid vero in ea gestum vel constitutum fuerit, silent omnes.

VITA ET EPISTOLAE CALLISTI PAPAE II.

Callistus pontifex quando.

CALLISTVS huius nominis secundus, Gulielmi Burgundiae comitis filius, Henrici imperatoris consanguineus, adeoque, quod ait chronicon Cassinense, regia stirpe progenitus, in rebus saeculi strenuus, & in ecclesiasticis apprime eruditus, tertio die post obitum Gelasii vnanimi consensu totius cleri ac populi Romani Cluniaci in Galliis ex Guidone Viennensi archiepiscopo inuitus (vt testatur ipse

ipſe apud Vrſpergenſem in epiſtola ad Adalbertū Moguntinum archiepiſcopum) electus eſt pontifex optimus, anno Domini 1119. ipſis Kalendis Februarii, tempore Henrici V. regis Germaniæ & imperatoris eiuſdem nominis quarti. De cuius electione iſta apud Baronium Pandulphus. Hic a cardinalibus, qui cum Gelaſio, iam in Cluniaco ſepulto, ab Vrbe in Franciam venerant, dum eſſet ante archiepiſcopus Viennenſis, in papam Calliſtum electus eſt. Qui ſe indignum iterato reclamans, idcirco modis omnibus reſiſtebat, quia & incertum habebatur a multis, vtrum Romæ ratum factum huiuſmodi teneretur. Propter quod vix cappa rubea amiciri ſuſtinuit, donec nuntii redeuntes Roma, per dominum Petrum tunc vicarium epiſcopum Portuenſem, per cardinales omnes, per dominum Petrum Leonis, (nam iſte nimium laborauit in verbo propter diaconum filium ſuum Petrum Leonis, qui potiſſimum in Francia id peregerat) per præfectum & conſules, per clerum & populum, viua voce ac literis electionem ipſam canonice iureque firmarent.

Sed quid de ſua electione ei fuerit per viſum diuinitus præmonſtratum, ſic narrat Sugerius in Ludouico: Cum in ſomnis proxima nocte, apto ſatis licet ignoto præſagio, vidiſſet ſibi a perſona præpotente Lunam ſub chlamyde repoſitam committi, ne cauſa eccleſiæ tranſitu apoſtolici periclitaret, ab ea quæ aderat Romana eccleſia in ſummum pontificem electus, viſionis veritatem enucleatius animaduertit, quod magis magiſque perſpicuum reddiderunt euenta; ſiquidem diuturnum bellum ob inueſtituras conflatum, diu multumque eccleſiam fatigans & lacerans, cedente tandem imperatore, ab eodem Calliſto papa feliciſſime compreſſum eſt. Dum factam electionem abſentes cardinales per literas approbaſſent, atque eccleſiam ſancti Mauri confeſſoris tranſlatis iſthuc e cœnobio Caſſinenſi corporibus ſanctorum Antonii & Conſtantiniani ſolenni ritu dedicaſſet, Cluniaco Romam reuerſus, a clero, ſenatu, populoque Romano honorifice acceptus fuit.

Hic poſtmodum, inquit Tyrius, diui imperatoris Henrici, cuius conſanguineus erat, gratiam conſecutus, & eius fretus auxilio, in Italiam cum cardinalibus & vniuerſa curia diſcedens, apud Sutriam vrbem Romæ contermi- Lib. 12. c. 8. Antipapa Burdinus capitur.

nam, æmulum & hæresiarcham Burdinum, antipapam schismaticum, violenter cepit: insuper & camelo impositum, pelle indutum vrsina ad *Cassinense cœnobium, quod iuxta Salernum esse dignoscitur, cum multa misit ignominia; vbi vsque ad supremum senium vitam compulsus est lege loci ducere cœnobiticam. Auctor chronici Cassinensis 70. & sequentibus quibusdam capitibus libri quarti recensens omnia ea beneficia ac priuilegia quæ Cassinensi monasterio contulisset vel adiudicasset, inter cetera ait eum exercitum ex Northmannis congregasse, & antipapam schismaticum, quem Mauritium hæresiarcham nominat, in ciuitate Sutrina, ad quam pseudopontifex confugerat, obsedisse, cepisse, & in arce Cassinensis monasterii, quam abbas eiusdem cœnobii construxerat, exilio relegasse. Vrspergensis addit eumdem antipapam a Romano exercitu interceptum, pluribus a vulgo contumeliis & irrisionibus affectum, auctoritate Callisti papæ ab iniuriis vindicatum, ad agendam pœnitentiam in exilio relegatum esse. * Canense

Pandulphus autem, qui erat hæc spectans, sic paulo fusius habet: Interea Burdinus in Sutrio prope Romam ecclesiam persequi, peregrinos prædari, in papam & alios maledicta congerere, quæque alia huiusmodi poterat, tam per se quam per alios facere non cessabat. Tunc papa, factus abunde iam ab omni parte securus, parauit magnum exercitum, & cum eo Ioannem Cremensem cardinalem sancti Chrysogoni Sutrium contra Burdinum præmisit: ipse eum euestigio sequitur. Demum Sutrii conuenerunt. Pugnatur attentius, vincitur capiturque Burdinus, abducitur, sed tamen camelo subuectus.

In scripto codice Vaticano asseritur, a Sutrinis, cum eorum quaterentur mœnia, Burdinum militibus deditum, qui eiusmodi eum exposuerunt ludibrio. Primum omnium eum incessere blasphemiis, altis vocibus conclamantes: Maledicte, maledicte, per te tam graue scandalum venit. Addebant alii: Tu es qui Christi tunicam attentasti diuidere, & dilacerare catholicam vnitatem præsumpsisti. Tunc præparato camelo pro alto caballo, & indutus pilosa pelle veruecis pro chlamyde rubea, positus est ex aduerso super camelum, dataque est ei in manibus prō freno cauda

cameli. Ita in Vrbem introductus est in exemplum aliorum, ne similia quis vltra auderet tentare. Inde in arcem Fummonis primum, inde vero est in monasterium Cauense translatus ad pœnitentiam; sed in sua rebellione perseuerauit * incautus.

* in cunctis.

Quod etiam Sugerius abbas, & ipse huius temporis auctor affirmat, simulque eiusdem antipapæ tyrannidem, Sutrii dum permaneret, pariter narrat, atque alia ab aliis prætermissa, ne quid desit ad triumphum bestiæ per imperatorem exaltatæ, sic tradit: Romani Callisti papæ tam nobilitati quam liberalitati fauentes, intrusum ab imperatore schismaticum Burdinum, apud Sutrium sedentem, & ad limina apostolorum transeuntes genu flectere compellentem, expugnatum tenuerunt, tortuoso animali camelo tortuosum antipapam, imo antichristum, crudis, imo sanguinolentis pellibus caprinis amictum, transuersum superposuerunt, & ignominiam ecclesiæ Dei vlciscentes, per medium ciuitatis via regia, vt magis publicaretur, deducentes, impetrante domino papa Calliſto, perpetuo carcere in montanis Campaniæ prope sanctum Benedictum captiuatum damnauerunt: & ad tantæ vltionis memoriæ conseruationem in camera palatii sub pedibus domini papæ conculcatum depinxerunt. *Hæc Sugerius in Ludouico.*

Idem Calliſtus papa excommunicationis fulmine in Rhemensi, Lateranensi, aliisque Conciliis, sua & prædecessoris sui auctoritate congregatis, Henricum quintum coegit, vt omne ius inuestiendi episcopos ecclesiæ restitueret, atque ita hoc pontifice auctore tandem pax optatissima inter ecclesiam & imperium composita fuit anno plus minus quinquagesimo, ex quo inter Gregorium VII. & Henricum IV. ingens discordia ob beneficiorum collationem emerserat. Episcoporum & abbatum electiones, quas imperatores & reges vsurpauerant, clero & monachis restitutæ fuerunt, ideoque imaginem pacis in manu tenens depingitur. *Possevinus.* His rebus præclare gestis pontifex de ecclesia optime meritus, multis præclaris constitutionibus, quæ in decreto Gratiani recitantur, & quodam opusculo de sancto Iacobo apostolo in lucem edito, clarissimus migrauit ad Dominum Idibus Decembris,

Henricus V. inuestituras ecclesiæ restituit.

Pax inter ecclesiam & imperium inita.

anno Domini 1124. cum munus pontificium administrasset annis quinque, mensibus decem, & diebus tredecim. Post obitum, teste Ottone Frisingensi, hoc elogio condecoratus fuit:

Ecce Calixtus honor patriæ, decus imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemque reformat.

Ex Pandulpho plura Baronius.

EPISTOLA I.
CALLISTI PAPÆ II.
AD ADALBERTVM MOGVNTINVM ARCHIEPISCOPVM.

De sui creatione.

DOMINVS noster felicis memoriæ Gelasius a Vienna discedens, iniunxit mihi vt ad eius præsentiam festinarem, postquam ipse Cluniacum peruenisset. Quod cum post dies aliquot implere satagerem, in itinere de eius obitu mihi nuntiatum est. Ego, vt fratribus, qui cum domino eodem venerant, prout ratio exigebat, solatium exhiberem, Cluniacum cum graui dolore perrexi. Dum autem super eorum consolatione attentius cogitarem, ipsi grauissimum mihi onus, & vires meas omnino transcendens, imposuerunt. Congregati namque in vnum die altero post aduentum meum episcopi, cardinales, & centum clerici & laici Romanorum, inuitum me penitusque renitentem in Romanæ ecclesiæ pontificem Callistum vnanimiter assumpserunt.

EPISTOLA II.
CALLISTI PAPÆ II.
AD STEPHANVM ABBATEM CISTERCIENSEM.

Cisterciensis monasterii capitula confirmat.

Calliſtus episcopus seruus seruorum Dei carissimis in Christo filiis Stephano venerabili Cistercienſis monasterii abbati, & eius fratribus salutem & apostolicam benedictionem.

AD hoc in apostolicæ sedis regimen, Domino disponente, promoti conspicimur, vt ipso præstante reli-

gionem augere, & quæ recta atque ad ſalutem animarum ſtatuta ſunt noſtri debeamus auctoritate officii ſtabilire. Idcirco, filii in Chriſto cariſſimi, petitioni veſtræ caritate debita impertimur aſſenſum, & religioni veſtræ paterno congratulantes affectu, Dei operi quod cœpiſtis manum noſtræ confirmationis apponimus. Siquidem conſenſu & deliberatione communi abbatum & fratrum monaſteriorum veſtrorum, & epiſcoporum, in quorum parochiis eadem monaſteria continentur, quædam de obſeruatione regulæ beati Benedicti, & de aliis nonnullis quæ ordini veſtro & loco neceſſaria videbantur, capitula ſtatuiſtis: quæ nimirum ad maiorem monaſterii quietem, & religionis obſeruantiam, auctoritate ſedis apoſtolicæ petitis confirmari. Nos ergo veſtro in Domino profectui congaudentes, capitula illa & conſtitutiones auctoritate apoſtolica confirmamus, & omnia in perpetuum rata permanere decernimus. Illud nominatim omnimodo prohibentes, ne abbatum aliquis monachos veſtros ſine regulari commendatione ſuſcipiat. Si quæ igitur eccleſiaſtica ſæculariſve perſona noſtræ confirmationi & conſtitutioni veſtræ temeritate aliqua obuiare præſumpſerit, tamquam religionis & quietis monaſticæ perturbatrix, auctoritate beatorum Petri & Pauli & noſtra, donec ſatisfaciat, excommunicationis gladio feriatur. Qui vero conſeruator extiterit, omnipotentis Dei & apoſtolorum eius benedictionem & gratiam conſequatur. Interdicimus autem, ne quis conuerſos laicos profeſſos veſtros ad habitandum ſuſcipiat.

Ego Calliſtus catholicæ eccleſiæ epiſcopus confirmaui & ſubſcripſi.

Datum * Sodoloci per manum Chryſogoni ſacræ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, decimo Kalendas Ianuarii, indictione XII. incarnationis dominicæ milleſimo centeſimo decimonono, pontificatus autem domini Calliſti ſecundi papæ anno primo.

EPISTOLA III.

CALLISTI PAPÆ II.

AD CANONICOS VIENNENSES.

Antiqua Viennenſis eccleſiæ priuilegia confirmat.

Calliſtus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Petro decano, & canonicis ſiue clericis Viennenſis eccleſiæ, tam præſentibus quam futuris, in perpetuum.

ETSI eccleſiarum omnium cura nobis ex apoſtolicæ ſedis adminiſtratione immineat, Viennenſi tamen ſpecialius conuenit caritatis ſtudio prouidere. Ipſa enim primum, diſponente Deo, ſolicitudini noſtræ commiſſa eſt, & ad eius regimen nos epiſcopalis gratiam conſecrationis accepimus. Ex communis igitur & ſingularis dilectionis debito incitati, matrem veſtram, filii in Chriſto cariſſimi, ſanctam Viennenſem eccleſiam diligere, honorare, & beati Petri patrocinio decreuimus confouere. Omnem itaque dignitatem, & munitionem, ac liberalitatem, quam vel per authentica prædeceſſorum noſtrorum Silueſtri, Nicolai, Leonis, Gregorii & ceterorum Romanorum pontificum priuilegia, vel per imperatorum, regum, principum & ceterorum fidelium largitionem conceſſam obtinet, nos quoque, auctore Deo, concedimus & præſentis priuilegii pagina confirmamus: Vt videlicet ſuper ſeptem prouincias primatum obtineat: ſuper ipſam Viennenſem, ſuper Bituricam, Burdigalam, Auxitanam, quæ Nouempopulitana dicitur, ſuper Narbonam, Aquenſem, & Ebredunenſem: & in eis Viennenſis archiepiſcopus Romani pontificis vices agat, ſynodales conuentus indicat, & negotia eccleſiaſtica iuſte canonice-que definiat. Porro illa ſex opida vel ciuitates, Gratianopolis videlicet, Valentia, Dia, Alba, Viuarium, Geneua, Maurienna, in eius tamquam in proprii metropolitani obedientia & ſubiectione permaneant. Tarantaſienſis autem archiepiſcopus, licet aliquibus habeatur ex apoſtolicæ ſedis liberalitate prælatus, Viennenſi archiepiſcopo tamquam primati ſuo ſubiectus obediat. Sane in Salmoracenſi archidiaconia conſecrationes, vel ordina-

nes, & quidquid ad pontificale officium pertinet, Viennenſis eccleſia præter alicuius inquietationem ſeu diminutionem habeat. Abbatia quoque ſancti Petri foris portam Viennæ ſita, & intra eamdem vrbem abbatia ſancti Andreæ, vna monachorum, altera ſanctimonialium, abbatia ſancti Theuderii, & abbatia ſanctæ Mariæ de Bonaualle, quæ, præſtante Deo, noſtris ſumptibus & noſtris eſt fundata laboribus, in iam ſæpedictæ Viennenſis eccleſiæ iure ac ſubiectione perſiſtant. In ipſa etiam Romanenſi eccleſia, quamuis Romanæ ſe faciat libertatis, viſis tamen prædeceſſorum noſtrorum priuilegiis, & imperatorum præceptis, tam in ſæcularibus, quam in regularibus clericis & canonicis inibi ordinatis vel ordinandis, pontifices Viennenſes omnem habere decernimus poteſtatem. Similiter in eccleſia beati Donati, & beati Valerii, & in eccleſia beati Petri de Campania, & beatæ Mariæ de Annoniaco. Caſtra præterea quæ per nos recuperata ſunt vel acquiſita, ſcilicet Pompeiacum, Saſſerlum, & caſtrum de Malaualle, Viennenſi eccleſiæ in perpetuum confirmamus. Cœmeterium vero quod dominus prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Paſchalis papa circa beati Mauritii eccleſiam conſecrauit, liberum eſſe ſancimus, vt eorum qui illic ſepeliri deliberauerint & deuotioni & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſunt, nullus obſiſtat; ſaluo nimirum propriæ iure parochiæ. Ad hæc, pro ampliori Viennenſis eccleſiæ dilectione, ante Viennenſem archiepiſcopum per prouinciam ſuam Crucem deferri concedimus; & Viennenſem eccleſiam alicui ſubiacere legato, niſi cardinali, vel alii de Romana prouincia, qui a Romani pontificis latere dirigitur, prohibemus. Porro in eccleſiis quas in Viennenſi epiſcopatu poſt aſſumptum apoſtolicæ ſedis miniſterium conſecrauimus, Viennenſis archiepiſcopus eamdem quam habuerat ante interdicendi ac ordinandi habeat poteſtatem. Sane intra clauſtri ambitum, vbi clericorum manſiones continentur, nullus omnino laicorum deinceps habeat manſionem, aut aſſultum, vel rapinam facere, ſeu corporalem cuilibet audeat iniuriam irrogare. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ confirmationis vel conceſſionis paginam ſciens, contra eam

temere venire tentauerit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis sentiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen. Ego Callistus catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Valentiæ v. Kalendas Martii, indictione decimatertia, incarnationis dominicæ anno MCXX. pontificatus autem domini Callisti II. papæ anno secundo.

EPISTOLA IV.

CALLISTI PAPÆ II.

AD EPISCOPOS ET CLERVM GALLIÆ.

De Burdino antipapa capto, &c.

QVIA dereliquit, *&c. Extat deinceps inter præambulares Concilii Lateranensis I.*

EPISTOLA V.

CALLISTI PAPÆ II.

AD HENRICVM IMPERATOREM.

Illum ob factam inuestituræ ecclesiasticæ restitutionem, & pacem cum ecclesia initam, laudat.

OMNIPOTENTI Deo, *&c. Extat deinceps inter præambulares Concilii Lateranensis I.*

EPISTOLA VI.

CALLISTI PAPÆ II.

AD PELAGIVM BRACARENSEM EPISCOPVM.

De priuilegiis eiusdem ecclesiæ.

BRACARENSEM metropolim insignem quondam fuisse, atque inter Hispaniarum regna multis & dignitatis & glo-

tis & gloriæ titulis claruisse, tam antiquæ nobilitatis indicia, quam & veterum scripturarum testimonia manifestant. Verum quia consistentis in ea populi peccata corrigere diuinæ dispositioni complacuit, irruentibus Mauris seu Moabitis, & metropolis dignitas imminuta, & parochiarum termini sunt confusi. Sane post longa temporum interstitia diuina rursus miseratio metropolim restituere, atque parochias ex parte maxima dignata est ab infidelium tyrannide liberare. Vnde dominus prædecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis papa pristinam ei dignitatem redintegrans, sua quæque membra ei per apostolicæ sedis priuilegium couniuit. Eius itaque nos vestigia subsequentes, carissime frater & coepiscope Pelagi, Bracarensi ecclesiæ, cui Deo auctore præsides, integram ipsam vrbem Bracaram cum cauto illo integro, quod comes Henricus & vxor eius Therasia eidem ecclesiæ contulerunt, & cum terminis Bracarensis episcopatus, sicut in descriptione prædicti domini continetur, præsentis priuilegii pagina confirmamus: & eidem Bracarensi metropoli Galliciam prouinciam, & in ea episcopalium cathedrarum vrbes redintegramus, item Asturicam, Lucum, Tudam, Mindunium, Auriam, Portugale, Colambriam, & episcopalis nominis nunc opida Viseum, Lamecum, Egitaniam, Britoniam, cum parochiis suis.

EPISTOLA VII.

CALLISTI PAPÆ II.

AD OTTONEM BAMBERGENSEM EPISCOPVM POMERANORVM APOSTOLVM.

De priuilegiis Bambergensi ecclesiæ concessis.

Callistus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Ottoni Bambergensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

BONIS fratrum nostrorum studiis non solum fauere, sed ad ea ipsorum etiam debemus animos incitare. Tuis ergo, carissime & venerabilis frater Otto Bambergensis episcope, supplicationibus inclinati, monasteria quæ ipse

propriis ſumptibus extruxiſti, & Bambergenſi eccleſiæ conferens, apoſtolicæ ſedis roborari munimine quæſiuiſti, in beati Petri eiuſque Romanæ eccleſiæ protectione ſuſcipimus contra prauorum hominum nequitiam defenſanda. Statuimus ergo, vt poſſeſſiones, prædia, & bona omnia, quæ & fraternitas tua eiſdem monaſteriis diuini amoris intuitu contulit, quæque aliorum fidelium iuſta oblatione conceſſa ſunt, aut in futurum iuſte legaliterve acquiri vel offerri contigerit, firma eis & illibata Domino auctore permaneant. Ordinationes ſane abbatum vel monachorum ſuorum a catholicis epiſcopis diœceſanis accipiant. Rerum vero ipſorum monaſteriorum curam & adminiſtrationem in tuo tuorumque ſucceſſorum arbitrio & poteſtate remanere cenſemus. Nulli itaque hominum facultas ſit eadem monaſteria perturbare, aut eorum poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis fatigationibus vexare; ſed omnia integra conſeruentur eorum, per quorum ſuſtentationem & gubernationem conceſſa ſunt, vſibus commodis profutura. Si qua igitur eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eiſdem monaſteriis iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Scripta per manum Geruaſii ſcriniarii regionarii & notarii ſacri palatii.

EPISTOLA VIII.

CALLISTI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

Eiusdem argumenti.

Calliſtus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Ottoni Bambergenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SANCTORVM patrum præceptis & canonicis ſanctionibus demonſtratur, quod prædia & poſſeſſiones eccleſiarum, quæ vota fidelium, precia peccatorum, & pauperum patrimonia nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quæ enim diuinæ maieſtatis obſequio, & cæleſtium ſecretorum vſui ſunt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius ſeruitii formam tranſmutari. Nempe (vt beati Symmachi papæ verbis loquamur) poſſeſſiones, quas vnuſquiſque eccleſiæ propriæ dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuſlibet titulis aut diſtractionibus, vel ſub quocumque argumento, non patimur. Eapropter nos tuis iuſtis poſtulationibus annuentes, manſos, qui epiſcopalis menſæ tuæ ſeruitio dediti ſunt, in eodem ſtatu, in quo bene a te diſpoſiti cognoſcuntur, futuris temporibus permanere præſentis ſcripti noſtri confirmatione ſancimus; ſtatuentes vt nulli ſucceſſorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, ſiue in laicorum beneficium tradere, vel in vſus alios commutare. Sed ſicut a te diſpoſitum eſt, de vnoquoque prædictorum manſorum denarius vnus annis ſingulis Bambergenſi eccleſiæ pro anima imperatoris Henrici fundatoris eius ad concinnanda luminaria conferatur. Abbatias vero & regulares canonicas per induſtriam tuam in religionis ordine ſtabilitas, & alia a te recte conſtituta, nulli hominum facultas ſit in poſterum immutare. Si quis autem contra hanc confirmationem venire temerario auſu præſumpſerit, excommunicationis vinculo ſubiacebit. Data Laterani, Idibus Aprilis, indictione ſecunda.

[a] CONCILIVM RHEMENSE, PROPTER INVESTITVRAS ECCLESIASTICAS, excommunicationem Henrici imperatoris, aliasque causas a Gelasio secundo indictum, sed tempore Calisti secundi celebratum anno Domini MCXIX.

ANNO CHRISTI 1119.

NOTÆ.

[a] *Concilium.*] De rebus in hac Synodo gestis editisque constitutionibus & imperatoris excommunicatione Vrspergensis abbas ista habet : *Aderant etiam legati tam Romanorum, quam Viennensium, imo diuersarum ecclesiarum missi, confirmantes electionem domini Calisti : cui profecto dum vniuersi nostrates episcopi obedientiam professi, Synodum, quæ iuxta festum sancti Lucæ indicebatur, collaudassent fieri, ipse rex semetipsum ibidem pollicebatur ob reconciliationem vniuersalis ecclesiæ præsentandum iri. Id enim Catalaunensis episcopus & Cluniacensis abbas, apud Argentinam ipsum conuenientes, multis ratiocinationum conatibus obtinuerunt.*

Eiusdem tamen actionem Rhemensis *Concilii, si quis plenarie cognoscere quærit, in literis cuiusdam scholastici nomine Hessonis eleganter enucleatum reperire poterit, id est qualiter rex inter regnum & sacerdotium de concordia facienda consenserit. Insuper eidem Concilio, cui videlicet decimotertio Kalendas Nouembris prædictus papa Calistus secundus vallatus quadringentis vigintisex patribus coram innumera multitudine cleri ac populi præsedit, non adeo se præsentem Henricus, vicinum tamen exhibuerit, vbi & colloquio suo domini papæ legatis concesso tandem inducias denuo quæsierit propter generale colloquium cum principibus habendum, pro inuestituris scilicet ecclesiasticis, quas tantopere cogebatur amittere. Ad vltimum vero idem apostolicus, inita inter se & regem concordia, synodalia prædecessorum decreta confirmauerit, aliaque nonnulla quæ res exigebat nauiter addiderit ; sicque post dies fere duodecim, in virtute Spiritus sancti rite finito Concilio, cunctos apostolica benedictione confirmatos ad propria redire permisit vnumquemque cum gaudio.* Hæc ipse summatim.

Fuit quidem ista Synodus Rhemis congregata valde celebris, cuius licet citata ab Vrspergensi per Hessonem scripta non extent, tamen de ea frequens habetur in eius temporis scriptoribus mentio. De ipsa autem paucis Sugerius agit in Ludouico his verbis : *Sublimatus itaque tantæ celsitudinis dignitate, gloriose humiliter, sed strenue ecclesiæ iura disponens, amore & seruitio domini Ludouici regis, & nobilis Adelaidis reginæ neptis, aptius ecclesiasticis prouidebat negotiis. Rhemis itaque celeberrimum celebrans Concilium, cum legatis imperatoris Henrici pro pace ecclesiæ sedere differentibus, in Marchiam versus Mosomum occurrisset, nec profecisset : quemadmodum & antecessores fecerant, ipsum*

ANNO CHRISTI 1119.

Henricum anathematis vinculo pleno Francorum & Lotharingorum Concilio innodauit. Hæc de excommunicato iterum imperatore per Calliſtum papam in Rhemenſi tunc celebrato Concilio Sugerius. Rogerius autem in annalibus Anglicanis huius cum meminit Rhemenſis Concilii, pleraque ab aliis prætermiſſa recenſet, & hæc inter alia: *Numeratæ ſunt ibi perſonarum paſtoralium virgæ quadringentæ vigintiquatuor, inter quos & Turſtinus Eboracenſis archiepiſcopus, qui ibidem ab apoſtolico eſt conſecratus. Poſtera, inquit, die, reſidentibus ordine in Concilio eccleſiaſticorum graduum perſonis, aſſidente quoque rege Francorum Ludouico, multiſque aliis principalibus viris: ex cunctorum patrum conſenſu renouantur ſtatuta de ſtatuendis, & reſcindenda de reſcindendis, quorum hæc ſunt quinque capitula:*

Quæ ſanctorum patrum ſanctionibus de prauitate ſimoniaca ſtabilita ſunt, nos quoque ſancti Spiritus iudicio, & auctoritate ſedis apoſtolicæ confirmamus. Si quis ergo vendiderit aut emerit vel per ſe vel per quamlibet ſubmiſſam perſonam epiſcopatum, abbatiam, decanatum, archidiaconatum, preſbyteratum, præpoſituram, præbendam, altaria, vel quælibet eccleſiaſtica beneficia, promotiones, ordinationes, conſecrationes, dedicationes eccleſiarum, clericalem tonſuram, ſedes in choro, aut quælibet eccleſiaſtica officia: & vendens, & emens, dignitatis & officii ſui ac beneficii periculo ſubiaceat. Quod niſi reſipuerit, anathematis mucrone perfoſſus ab eccleſia Dei quam læſit modis omnibus abſcindatur.

Epiſcopatuum, abbatiarum, aut quarumlibet eccleſiaſticarum poſſeſſionum, inueſtituram per manum laicam fieri penitus prohibemus. Quicumque igitur laicorum deinceps inueſtire præſumpſerit, anathematis vltioni ſubiaceat. Porro qui inueſtitus fuerit, honore quo inueſtitus eſt abſque ſpe recuperationis omnimodo careat.

Vniuerſas eccleſiarum poſſeßiones inconcuſſas in perpetuum & inuiolatas eſſe decernimus. Quod ſi quis eas abſtulerit, aut inuaſerit, aut poteſtate tyrannica detinuerit, iuxta illud beati Symmachi capitulum, anathemate perpetuo feriatur.

Nullus epiſcopus, nullus preſbyter, nullus omnino de clero eccleſiaſticas dignitates vel beneficia cuilibet, & quaſi hereditario iure derelinquat. Illud etiam adiicientes præcipimus, vt pro baptiſmatis, chriſmatis, olei ſacri, ac ſepulturæ acceptione nullum omnino precium exigatur.

Preſbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, concubinarum & vxorum contubernia penitus interdicimus. Si qui autem huiuſmodi reperti fuerint, eccleſiaſticis & officiis priuentur & beneficiis. Sane ſi neque ſic immunditiam ſuam correxerint, communione careant Chriſtiana. Hucuſque quinque Concilii Canones, pergit auctor narrare quæ poſt hæc ſunt in Synodo per eumdem pontificem actitata:

Hæc Concilii decreta Henrico imperatori, cum non longe abeſſet, ex Concilio primum per honeſtas perſonas, ad vltimum per ipſum apoſtolicum mandantur, vt ante ſeparationem Concilii notum eſſet, vtrum eccleſiis per regnum & ſingulas quaſque ſibi ſubiectas prouincias conſentiat canonicas electiones, videlicet vt epiſcopi & abbates eligantur ab eccleſia, & liberas conſecrationes, vt vbi & a quibus oporteat, electi conſe-

ANNO CHRISTI 1119.

crentur, vt non per inueſtituram paſtoralis virgæ & annuli, ſed per oſtium, id eſt Chriſtum, ingrediantur, & inueſtituram rerum eccleſiaſticarum nihil omnino ſibi laicalis exigat perſona. Ad hæc ille reſpondit, nihil in his ſe prætermiſſurum quod ſui iuris eſſet, ſuorumque ſibi contulit antiqua conſuetudo progenitorum. Quandoque tamen flexus auctoritate generalis Concilii tria illa priora conceſſit: vltimum vero, ſcilicet inueſtituram rerum eccleſiaſticarum, concedere noluit. Quapropter reuerſo ad Concilium papa, Henricus excommunicandus decernitur. Quod cum quidam in Concilio ægre ferrent, ſententiam protulit apoſtolicus, vt qui in hoc ſcandalizarentur, exeuntes, a fratrum conſortio ſepararentur, propoſito de illis Matth. 15. *ſeptuaginta diſcipulis exemplo, qui cum de carne Domini manducanda & ſanguine bibendo ſcandalizarentur, retro abierunt, & iam cum illo* Luc. 11. *non ambulabant. Et quoniam, inquit,* qui non colligit cum Domino, ſpargit, & qui non eſt cum eo, aduerſus illum eſt: *illam inconſutilem tunicam deſuper contextam, ſcilicet ſanctam eccleſiam, qui nobiſcum ſentiendo indiſciſſam ſeruare nolunt, diſſentiendo a nobis diſcindere contendunt. Talia ſermocinante apoſtolico, illico omnes in eumdem conſenſum reducti, in imperatorem Henricum excommunicationis ſententiam iaculantur.* Hæc geſta eſſe contra imperatorem ex actis Rogerius in annalibus tradit.

Acta Concilii quæ?

Quid in cauſa inueſtituræ eccleſiaſticæ, & Henrici imperatoris in hac Synodo geſtum fuerit, Vvilelmus Malmeſburienſis breuiter his verbis enarrat: *Concilio Rhemis celebrato inueſtitos vel inueſtiendos a laicis ab eccleſiis remouit, pariter & imperatorem, niſi reſipiſceret, inuoluens.* Trithemius in chronico Hirſaugienſe. *Ipſe*, ait, *in ciuitate Rhemenſi ad feſtum ſancti Lucæ Synodum celebrans cum epiſcopis & abbatibus imperatorem excommunicauit.*

De eodem Concilio auctoritate continuatoris Sigeberti & Guilielmi Neubrigenſis ait Genebrardus in chronico. *Rhemenſe prius a Gelaſio indictum, celebratum a Calliſto, præſentibus legatis Henrici imperatoris. Quo in Concilio proſcripti ſunt ab eccleſia ſimoniaci, & pro* Simoniaci damnati. *ſepultura, chriſmate & baptiſmo precium exigentes. Imperatori quoque interdictum eſt igne & aqua, quod nollet reconciliari eccleſiæ Romanæ. Paulo poſt Henricus imperator ratione eius Concilii iratus Francis, propoſuit Rhemenſem ciuitatem deſtruere; ſed ei ſtrenue reſtitit Ludouicus Francorum rex.* Hæc Genebrardus. Hanc Synodum in præſentia regis Ludouici multorumque epiſcoporum & abbatum celebratam fuiſſe teſtatur manuſcriptus codex quem ſupra citaui. Huic Synodo interfuiſſe Norbertum ordinis Præmonſtratenſis fundatorem ex vita eius apud Surium colligitur. Adefonſus Salmanticenſis epiſcopus poſt finem Synodi reuerſurus in Hiſpaniam mortuus eſt Cluniaci, vt patet ex epitaphio eius quod habetur apud Petrum Cluniacenſem ante libros epiſtolarum. Hac Synodo contigerunt quæ tomo 2. cap. 20 de Friderico Leodienſi epiſcopo ſcribit Cheapeauille, his verbis: *Mortuo Oberto epiſcopo, inuito capitulo Leodienſi, Alexander theſaurarius, duarum ſecundariarum eccleſiarum præpoſitus, conſilio & ſapientia clarus, ſed ambitione obſcurus, Henricum quintum imperatorem*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1119.

a summo pontifice excommunicatum adit, septem, vt fertur, millia librarum argenti illi numerat: ille episcopatum ei confert, & per baculum & annulum eum inuestit; inuestitus Leodium regreditur; & a duabus ecclesiis dictis, ceteris renitentibus, tamquam episcopus suscipitur. Interea res defertur ad Fredericum archiepiscopum Colonienſem, qui auctoritate apostolica & sua interdicit Leodienſibus ne eum recipiant, citatque Alexandrum & alios capitulares Coloniam ad tractandum super huiusmodi electione. Tertio vocatus Alexander cum suis non comparet: quare Coloniæ eligitur in episcopum Fredericus; & cum illo tempore Romanus pontifex Calliſtus Rhemis Synodum haberet, ad eam profectus Fredericus ab ipsomet summo pontifice in episcopum Leodienſem consecratur. Quibus per Alexandrum auditis magna exoritur dissensio inter clerum & populum, inter nobiles & vulgus. Alexandri partes tuebantur Godefridus dux Louanienſis, Gilbertus comes Duracenſis, Lambertus comes de Monte acuto, Renerus Leodienſis militiæ signifer, & pene tota familia ecclesiæ cum suis viribus. Frederici partes adiuuabant Godefridus comes Namurcenſis eius frater, Vvaleramus comes de Limburgh, qui postea factus est dux, Cossuinus de Falcone monte, ciuitas fere tota, & omnes episcopatus abbates. Alexander igitur huiusmodi adiutoribus fultus, Hoyense castrum ingreditur, auxilium ducis Louanienſis & aliorum fœderatorum expectans. Contra comes Namurcenſis cum fratre Frederico episcopo, necessariis ad obsidionem paratis, Hoyum petunt, incolæ vltro fores aperiunt: at illi ingressi, expugnare castrum sunt aggressi. Cum interim dux Louanienſis cum magno exercitu aduentaret, milites comitis Namurcenſis pontem, qui tunc ligneus erat, securibus deiiciunt, & eius accessum ex ea parte impediunt: similiter cum Lambertus comes de Monte acuto per aliam viam siue montes præruptos castro, in quo Alexander erat, suppetias ferre vellet, inde turpiter repellitur, ipse vulneratur, & capitur, multi quoque militum ducis Louanienſis partim cæsi partim submersi fuerunt. Interea, dissensione suborta in castro, comes Namurcenſis castrum & in eo existentes in deditione accepit. Comes de Monte acuto sese redimit. Alexander resistere non valens cedit. Interim dux Louanienſis recollectis viribus patriam Namurcenſem & Leodienſem igne ferroque vastat. Cui fortiter & feliciter se comes Namurcenſis opponit, Dei gratia per omnia victor existens. Sic pax patriæ reddita cessante duce Louanienſi a papa excommunicato. Et Alexander ambitiosus, præmissa emendatione, publice Leodii a Frederico episcopo Leodienſi absolutus est. Nec ideo tamen fœderati Alexandro & duci Louanienſi siluerunt, nam Fredericum variis iniuriis & pressuris perpetuo affecerunt, & tandem secundo administrationis anno venenatum poculum illi porrexerunt, quo vnus oculorum excussus fuit, & alter extinctus: cumque lente mors subsequeretur, renouarunt pestiferum poculum: vnde sexto Kalendas Iunii cælo animam reddidit. Colliguntur ista membratim ex Renero sancti Laurentii monacho in vita Frederici episcopi, & ex anonymo Alnenſi scriptore huius temporis, & ex Ioanne presbytero, Bruistemio, Molano, & gestis abbatum S. Laurentii. Gilberti Porretani hæreses non hac sed sub Eugenio III. Rhemenſi Synodo celebrata damnatas esse infra patebit.

CONCILIVM LATERANENSE I. GENERALE SVB CALLISTO II. SVMMO PONTIFICE.

Anno Christi 1122.

HISTORIA EIVSDEM CONCILII.

QVAMVIS *octaua* [a] *generalis Synodus statuerit nemini licere laicorum principum, aut potentum virorum, semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ, metropolitæ, aut cuiuslibet episcopi, nonnulli tamen principes & imperatores, episcopatus, abbatias, & cetera ecclesiastica beneficia conferendi ius* [b] *sibi vindicarunt; & cum turpissimo mercatu venales ecclesiasticas dignitates facerent, indigni ad eas assumebantur; quamobrem quamplurima mala ac vitia in clero exorta sunt. Contra tot igitur ecclesiæ incommoda surrexerunt, vt par erat, summi Romani pontifices, præcipue* [c] *Gregorius VII. ecclesiasticæ libertatis vindex acerrimus, qui octaui Concilii Canonem innouans, decreuit* [d] *vt nullus clericus inuestituram episcopatus, vel abbatiæ, vel ecclesiæ, de manu imperatoris, vel regis, vel alicuius laicæ personæ susciperet. Inuestituræ enim appellabantur huiusmodi electiones, quæ a principibus per baculum & annulum fiebant. Ac singulis ferme annis Concilia* [e] *habuit; in quibus in eo potissimum elaborauit, vt & fornicationem ac simoniam ex clero euelleret, & ecclesiarum inuestituras ex principum manibus eriperet. Hen-*

[a] Can. 22.

[b] Synod. Rom. a Gregor. VII. habita, extat in lib. 3. registr. post epistolam 52. & alia Synodus in lib. 6. post epist. 5.

[c] Bertold. Constantien. in append. ad Herman. Contract. anno 1085.

[d] Gregor. VII. lib. 4. epist. 22. & in Synod. citata, & alibi.

[e] Extant in eius regiſtro.

ricum

ANNO CHRISTI 1122.

ricum quoque imperatorem sæpius literis ac legationibus admonuit, vt ab ecclesiarum [a] inuestituris, simonia, aliisque sceleribus abstineret. Cumque is sanctissimi pontificis monitis obtemperare contemneret, eum pontifex excommunicauit, [b] ac regno priuauit: eumdem tamen postea suppliciter veniam petentem ad communionem [c] admisit. Sed paulo post ad pristinos errores rediit, ac vi & armis pontificem e sede deturbare est ausus: & Guibertum Rauennatem archiepiscopum pseudopontificem creauit. Quare Gregorius [d] Henricum iterum fidelium communione & regno priuauit: Guibertum excommunicauit, ac deposuit.

[a] Greg. lib. 3. epist. 10. & alibi.

[b] Synod. lib. 3. post epist. 10. Bertol. Lamber. Scafnaburg. anno 1076. & alii.

[c] Lib. 4. epist. 11.

[d] Lib. 8. epist. 5. 12. & 21. & in Synod. lib. 7. & 8.

Victor tertius, qui Gregorio proxime successit, Synodo habita, Gregorii sententiam [e] in Guibertum & Henricum latam confirmauit. Idem fecit Vrbanus II. Victoris successor in multis a se Conciliis celebratis: [f] in quibus, Gregorium imitatus, multa decreta contra simoniacos, concubinarios, & laicorum inuestituras fecit. Tandem sub Paschale secundo Guibertus antipapa obiit, & Henrico toties excommunicato, atque imperio priuato, Germaniæ principes Henricum eius filium subrogarunt: [g] qui cum Romam postea, vt a Paschale pontifice imperialem coronam acciperet accessisset, [h] nihilo melior patre effectus sacrilega manu pontificem cepit, in carcerem coniecit, ac vi ab illo priuilegium de inuestituris extorsit. Paschalis postmodum duo Laterani celebrauit Concilia, in quibus priuilegium, seu potius prauilegium Henrico concessum abrogatum est, & excommunicationis sententia in Henricum prolata. Verum ille paternam imitatus impietatem non solum ab incepto non destitit, verum etiam mortuo Paschale Gelasium [i] pontificem vi & armis Roma eiecit, in eiusque locum Burdinum Bracarensem archiepiscopum intrusit. Gelasius in Galliam profectus paulo post diem clausit extremum. In cuius locum, omnium cardinalium consensu, tum eorum qui in Gallia cum Gelasio erant, tum aliorum omnium qui Romæ remanserant, suffectus est Guido Viennensis archiepiscopus, Callistus [k] secundus in pontificatu dictus, regio atque imperiali sanguine ortus: qui statim Rhemis satis frequens habuit Concilium: [l] in quo cum Henricus ab inuestituris nollet abstinere, prædecessorum sententias in illum latas confirmans, eum excommunicationis sententiæ subiecit: ac Romam veniens, Burdinum, qui se Sutrii communierat, cepit, [m] atque in monasterium ad pœnitentiam agendam detrusit. Adalbertum

[e] Leo Ostien. lib. 3. cap. 11. chron. Cass.

[f] Petr. Diac. lib. 4. cap. 8. chron. Cass. Bertol. Constan. anno 1091. & 1095. & alii.

[g] Abbas Vrspergensis, anno 1105. & alii.

[h] Petrus Diac. lib. 4. cap. 37. & seq. Vuiliel. Malmesbur. lib. 5. & alii.

[i] Pandulphus in vita Gelasii.

[k] Pandulphus in Callisti vita, & Sugerius abbas in vita Ludouici regis.

[l] Sugerius vbi supra, abbas Vrspergensis, & Rogerius in annal. Anglic.

[m] Petrus Diaconus lib. 4. cap. 70. Pandulphus vbi supra, & alii.

ANNO CHRISTI 1122.

archiepiscopum Moguntinum in Germania legatum constituit: qui [a] strenue suum exequens munus, episcopos & principes pro ecclesiæ defensione aduersus imperatorem commouit: & ingentem comparauit exercitum: qui cum non procul abesset ab Henrici castris, magno Dei beneficio, non ad pugnandum, sed ad deliberandum de pace inter imperatorem & pontificem, duodecim sunt ex vtraque parte principes viri delecti, qui vna cum imperatore conuenere, ac decreuerunt vt schisma omnino tolleretur, & legati ad pontificem destinarentur, a quo summopere postularent, vt indicto generali Concilio firmissima sanciretur pax: quæ maxima cum animi alacritate pontifex audiuit. Quid enim iucundius, quid vtilius catholicæ ecclesiæ accidere potuit, quam diuturno sublato schismate imperatores ad catholicæ ecclesiæ vnitatem & coniunctionem redire? Coegit igitur Romæ in Lateranensi ecclesia Concilium Callistus: de quo Sugerius abbas, [b] qui eidem interfuit, hæc habet: Cum apud eum, scilicet Callistum, demorando, magno Concilio trecentorum & amplius episcoporum Laterani compositioni pacis de querela inuestiturarum astitissemus, &c. Pandulphus [c] quoque scribit nongentos & nonaginta septem, partim episcopos, partim abbates, ad Concilium conuenisse: in quo hæ fuerunt pacis conditiones [d] inter pontificem & imperatorem constitutæ, vt scilicet imperator liberas clericis & monachis relinqueret episcoporum & abbatum electiones: contra vero pontifex concessit electis, vt regalia ab imperatore acciperent; vt quæ sunt Dei Deo, quæ sunt Cæsaris Cæsari redderentur. Quas pacis conditiones, celebrato Concilio, imperator coram pontificis legatis, Germaniæ principum consensu, recepit, eisque subscripsit. Quibus peractis, legati tum imperatorem, tum ceteros publice ab ecclesiæ censuris absoluerunt. In eo præterea Concilio idem Callistus pontifex omnia Burdini acta post eius damnationem rescidit, & vt ecclesiam Dei diuturnis schismaticorum factionibus labefactatam, in pristinam restitueret disciplinam, Gregorium septimum & Vrbanum secutus, nonnullos sanciuit Canones; inter quos ille præcipuus: Vt Christianis, qui in Palæstina contra Sarracenos bella gerebant, auxilium mitteretur.

[a] Abbas Vrspergensis.

[b] In Ludouico rege.

[c] loco citato.

[d] Vuiliel. Malmesb. lib. 5. & abbas Vrspergensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1122.

EPISTOLÆ CALLISTI PAPÆ II.

Calliſtus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis fratribus & filiis archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, prioribus, & ceteris tam clericis quam laicis beati Petri fidelibus per Gallias conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QVIA dereliquit populus legem Domini, & in iudiciis eius non ambulabat, viſitauit Dominus virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Paternæ tamen conſeruans viſcera pietatis, de ſua confidentes miſericordia non relinquit. Diu ſiquidem peccatis exigentibus per illud Teutonicorum regis idolum, Burdinum videlicet, fideles eccleſiæ conturbati ſunt; & alii quidem capti ſunt, alii vſque ad mortem carceris maceratione afflicti ſunt. Nuper autem feſtis paſchalibus celebratis, cum peregrinorum & pauperum clamores ferre penitus non poſſemus, cum eccleſiæ fidelibus ab Vrbe digreſſi ſumus, & tamdiu Sutrium obſedimus, donec diuina potentia, & ſupradictum eccleſiæ inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, & locum ipſum omnino in noſtram tradidit poteſtatem. Rogamus itaque caritatem veſtram, vt pro tantis beneficiis vna nobiſcum Regi regum gratias referatis, & in catholicæ eccleſiæ obedientia & ſeruitio conſtantiſſime maneatis, retributionem debitam in præſenti & in futuro ab omnipotente Domino per gratiam eius recepturi. Rogamus etiam vt has literas alter alteri præſentari, omni remota negligentia, faciatis. Datum Sutrii, quinto Kalendas Maii.

Calliſtus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Henrico glorioſo Romanorum imperatori Auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

OMNIPOTENTI Domino Deo noſtro auctori omnium bonorũ laudes & gratias agimus, qui per immenſam bonitatis ſuæ clementiam cor tuum aſpiratione ſui Spiritus illuſtrauit, & te, iamdudum nimium reluctantem, nunc tandem ad eccleſiæ gremium reuocauit. Siquidem prout

dilecti filii noſtri & diaconi cardinalis, & fidelium nuntiorum tuorum relatione, ac literarum lectione percepimus, ſano vſus conſilio, noſtris & eccleſiæ catholicæ ſalutaribus monitis humiliter obediſti, & nos ergo in beati Petri filium paternæ affectionis brachiis te ſuſcipimus, & perſonam tuam & imperium tanto deinceps amplius & benignius diligere, ac diuina præeunte gratia honorare optamus, quanto deuotius præ tuis modernis prædeceſſoribus Romanæ eccleſiæ obediſti, & quanto ſpecialius carnis es nobis conſanguinitate coniunctus. Age ergo, fili cariſſime, vt & tu nobis & nos te fruamur in Domino, perpendat imperialis excellentia tua, quantum diuturna eccleſiæ imperiique diſcordia Europæ fidelibus intulerit detrimentum, & quantum noſtra pax afferre poterit boni fructus, Domino cooperante, incrementum. Sane de ſtatu noſtro nouerit tua dilectio, quia licet nos grauiter quandoque infirmi fuerimus, nunc tamen per Dei gratiam incolumes ſumus, & tuam tam animæ quam corporis ſanitatem per omnia deſideramus. De iis autem quæ viua voce referenda prædictis fidelibus tuis nuntiis commiſiſti, per eoſdem quid nobis & noſtris videatur fratribus reſpondemus. Legatos itaque noſtros qui apud vos ſunt beneuolentiæ veſtræ attentius commendantes, rogamus, vt, quia Concilium indictum a nobis accelerat, cito eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos vero legatos ita inſtructos dirigas, vt iuxta promiſſum tuum regalia in integrum eccleſiæ Romanæ reſtituant. Ad hæc pro nepote noſtro Metenſi epiſcopo & fratribus eius gratias tuæ benignitati referimus, quoniam in iis primitias bonitatis tuæ cognouimus. Illa enim bonæ voluntatis pax eſſe conſpicitur, ex qua bonæ voluntatis opera demonſtrantur. Fratres enim epiſcopi, cardinales, & totus Romanus clerus vna nobiſcum te & principes & barones tuos ſalutant, diuinæ maieſtatis miſericordiam deprecantes, vt vos ad honorem ſuum & eccleſiæ ſuæ in longum cuſtodiat. Data Laterani Idibus Decembris.

ANNO CHRISTI 1122.

ANNO CHRISTI 1122.

CONCILII LATERANENSIS GENERALIS A CALLISTO PAPA II. CELEBRATI CANONES.

I.

Sanctorum patrum exempla sequentes, & officii nostri debito innouantes, ordinari quemquam per pecuniam in ecclesia Dei vel promoueri auctoritate sedis apostolicæ modis omnibus prohibemus: si quis vero in ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, acquisita prorsus careat dignitate.

II.

Nullus in præpositum, nullus in archipresbyterum, nullus in decanum, nisi presbyter, nullus in archidiaconum, nisi diaconus ordinetur.

III.

Presbyteris, diaconibus, vel subdiaconibus, concubinarum & vxorum contubernia penitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præter quas Synodus Nicæna per solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias huiusmodi, de quibus nulla valeat iuste suspicio oriri.

IV.

Præterea iuxta beatissimi Stephani papæ sanctionem statuimus, vt laici, quamuis religiosi sint, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem; sed secundum apostolorum Canones omnium negotiorum ecclesiasti-

corum curam episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo principum aut laicorum aliorum dispensationem vel * donationem rerum siue possessionum ecclesiasticarum sibi vendicauerit, vt sacrilegus iudicetur. ANNO CHRISTI 1122. * al. dominationem

V.

Coniunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas & diuinæ & sæculi prohibent leges: leges enim diuinæ hoc agentes & eos qui ex eis prodeunt non solum eiiciunt, sed maledictos appellant: leges vero sæculi infames tales eos vocant, & ab hereditate repellunt. Nos itaque patres nostros sequentes infamiis eos notamus, & infames esse censemus.

VI.

Ordinationes, quæ a Burdino hæresiarcha, postquam a Romana ecclesia est damnatus, quæque a pseudoepiscopis per eum postea * ordinatis factæ sunt, irritas esse decernimus. * al. ordinatæ sunt, irr.

VII.

Nullus omnino archidiaconus aut archipresbyter, aut præpositus, vel decanus, animarum curam, vel præbendas ecclesiæ, sine iudicio vel consensu episcopi alicui tribuat: imo sicut sanctis Canonibus constitutum est, * cura & rerum ecclesiasticarum dispensatio in episcopi iudicio & potestate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut potestatem ad episcopum pertinentem sibi vendicare præsumpserit, ab ecclesiæ liminibus arceatur. * al. animarum cura & pecuniarum ecclesiasticarum

VIII.

Ad hæc sanctæ Romanæ ecclesiæ possessiones

ANNO CHRISTI 1122. quietas seruare per Dei gratiam cupientes, præcipimus & sub districtione anathematis interdicimus, ne * aliqua militaris persona Beneuentanam beati Petri ciuitatem præsumat inuadere, aut violenter retinere. Si quis aliter præsumpserit, anathematis vinculo teneatur.

* al. aliqua persona Beneu.

IX.

A suis episcopis excommunicatos, ab aliis episcopis, abbatibus, & clericis in communionem recipi procul dubio prohibemus.

X.

Nullus in episcopum, nisi canonice electum, ad consecrandum manus mittat. Quod si præsumpserit, & consecratus, & consecrator absque recuperationis spe deponatur.

XI.

Eis qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam, efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in beati Petri & Romanæ ecclesiæ protectione, sicut a domino nostro papa Vrbano statutum fuit, suscipimus. Quicumque ergo ea distrahere vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præsumpserint, excommunicationis vltione plectantur: eos autem qui pro Hierosolymitano vel Hispano itinere cruces sibi in vestibus posuisse noscuntur, & * eas dimisisse, cruces iterato assumere, viam ab instanti pascha vsque ad sequens proximum pascha perficere apostolica auctoritate

* al. viam

præcipimus. Alioquin extunc eos ab ecclesiæ introitu sequestramus, in omnibus terris eorum diuina officia, præter infantium baptisma & morientium pœnitentias interdicimus. ANNO CHRISTI 1122.

XII.

Illam vero prauam defunctorum Porticanorum consuetudinem, quæ hactenus ibi fuit, ex fratrum nostrorum & totius curiæ consilio, nec non & voluntate atque consensu præfecti, remouendam censemus: vt Porticanorum habitatorum sine heredibus morientium bona contra morientium deliberationem minime peruadantur; ita tamen vt Porticani in Romanæ ecclesiæ & nostra nostrorumque successorum obedientia & fidelitate permaneant.

XIII.

Si quis treguam diffregerit vsque tertio, ad satisfactionem ab episcopo admoneatur. Quod si tertio admonitus satisfacere contempserit, episcopus, vel * cum metropolitani consilio, aut cum duobus, aut vno vicinorum episcoporum, in rebellem anathematis sententiam dictet, & per scripturam episcopis circumquaque denuntiet.

* metropolitanus cum duobus

XIV.

Sanctorum patrum Canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo & reuerendissimo altari beati Petri, & Saluatoris, & sanctæ Mariæ Rotundæ, ac de aliis omnium ecclesiarum altaribus, siue crucibus, a laicis auferri penitus interdicimus, & sub anathematis districtione firmamus. Ecclesias a laicis incastellari, aut in seruitutem redigi, auctoritate apostolica prohibemus.

XV.

ANNO CHRISTI 1122.

XV.

Quicumque monetam falſam ſcienter fecerit, aut ſtudioſe expenderit, tamquam maledictus, & pauperum virorum oppreſſor, & ciuitatis turbator, a fidelium conſortio ſeparetur.

XVI.

Si quis Romipetas, & peregrinos apoſtolorum limina & aliorum ſanctorum oratoria viſitantes capere, ſeu rebus quas ferunt ſpoliare, & * nouis teloneorum ſeu * pedaticorum exactionibus moleſtare tentauerit, donec ſatisfecerit, communione abſtineat Chriſtiana.

* mercatores nouis * pedagiorum

XVII.

Interdicimus abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos viſitare, & vnctiones facere, & Miſſas publicas cantare. Chriſma, & oleum, conſecrationes altarium, ordinationes clericorum ab epiſcopis accipiant in quorum parochiis manent.

XVIII.

In parochialibus eccleſiis presbyteri per epiſcopos conſtituantur, qui eis reſpondeant de animarum cura, & de iis quæ ad epiſcopum pertinent. Decimas & eccleſias a laicis non ſuſcipiant abſque conſenſu & voluntate epiſcoporum: & ſi aliter præſumptum fuerit, canonicæ vltioni ſubiaceant.

XIX.

Seruitium quod monaſteria aut eorum eccleſiæ a tempore Gregorii papæ VII. vſque ad hoc tempus epiſcopis fecere, & nos concedimus. Poſſeſſiones eccleſiarum, & epiſcoporum tricennales,

abbates vel monachos habere omnimodis prohibemus. ANNO CHRISTI 1122.

XX.

Paternarum traditionum exemplis commoniti, paſtoralis officii debitum perſoluentes, eccleſias cum bonis ſuis, tam perſonis, quam poſſeſſionibus, clericos videlicet, ac monachos, eorumque conuerſos, oratores quoque, cum ſuis nihilo minus rebus quas ferunt, tutos & ſine moleſtia eſſe ſtatuimus. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, &, poſtquam facinus ſuum recognouerit, infra triginta dierum ſpatium competenter non emendauerit, a liminibus eccleſiæ arceatur, & anathematis gladio feriatur.

XXI.

Presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & monachis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab huiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitentiam debere redigi, iuxta ſacrorum Canonum diffinitionem, iudicamus.

XXII.

Alienationes, quæ ſpecialiter per * Ottonem, Guidonem, Hieremiam, ſeu forte Philippum, vbilibet de poſſeſſionibus Rauennatis exarchatus factæ ſunt, damnamus: generaliter, autem omnium per intruſionem, ſeu canonice electorum ſub epiſcopi nomine, aut abbatis, qui ſecundum vſum eccleſiæ ſuæ conſecrandus eſt, alienationes quocumque modo factas, nec non perſonarum ordinationes ab eiſdem ſine communi conſenſu clericorum eccleſiæ, ſiue per ſimoniam itidem fa-

* Attonem,

ANNO CHRISTI 1122.

ctas, irritas iudicamus. Illud etiam per omnia interdicimus, vt nullus clericus præbendam ſuam, ſeu aliquod eccleſiaſticum beneficium, aliquo modo alienare præſumat: quod ſi præſumptum olim fuit, vel aliquando fuerit, irritum erit, & canonicæ vltioni ſubiacebit.

RESTITVTIO INVESTITVRARVM AB HENRICO IMPERATORE FACTA.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

EGO Henricus Dei gratia Romanorum imperator Auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & domini papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & ſanctis eius apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctæ catholicæ eccleſiæ omnem inueſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus eccleſiis * fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati Petri, quæ a principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernam diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, vt reſtituantur fideliter adiuuabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum eccleſiarum, & principum, & aliorum, tam clericorum, quam laicorum*, conſilio principum & iuſtitia, quas habeo, * vt reddantur fideliter iuuabo. Et do veram pacem domino papæ Calliſto, * ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana eccleſia auxilium poſtulauerit, fideliter iuuabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi iuſtitiam faciam.

Ex abbate Vrſpergenſi Vuiſtelmus Malmesburienſis, lib. 5. & cod. Vat.

* quæ in regno vel imperio meo ſunt fieri canonicam electionem,

* quæ in guerra iſta ſunt cõmiſſa, conſilio

* reddã, quas nõ habeo,

* ſanctæque

Hæc omnia acta ſunt conſilio & aſſenſu principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt.

Adalbertus Moguntinus archiepiſcopus.
Fridericus Colonienſis archiepiſcopus.
Ratiſponenſis epiſcopus,
Otto Bambergenſis epiſcopus.
Bruno Spirenſis epiſcopus.
A. Auguſtenſis epiſcopus.
G. Traiectenſis epiſcopus.
V. Conſtantienſis epiſcopus.
E. abbas Fuldenſis.
* Northmannus dux.
Fridericus dux.
Bonifacius marchio.

* Heremannus

Theobaldus marchio.
* Cynulphus comes palatinus. * Ernulphus
* Otbertus comes palatinus.
Berengarius comes.
Godefredus comes.

ANNO CHRISTI 1122. * Otbertus

Ego Fridericus Colonienſis epiſcopus & cancellarius recognoui. Hoc autem priuilegium aureo ſigillo ipſius imperatoris munitum in archiuis Romanæ eccleſiæ tenetur reconditum.

CONCESSIO CALLISTI PAPÆ II. HENRICO IMPERATORI FACTA.

Ego Calliſtus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio ſuo Henrico Dei gratia Romanorum imperatori Auguſto concedo electiones epiſcoporum & abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque ſimonia, & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & prouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his iure tibi debet faciat. Ex aliis vero partibus imperii conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, & auxilium poſtulaueris, ſecundum officii mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt vel fuerunt tempore huius diſcordiæ. Data anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, nono Kalendas Octobris.

IN

[a] CONCILIVM LATERANENSE I.

OECVMENICVM SEV VNIVERSALE NONVM approbatum, trecentorum & amplius epiſcoporum pro pace & concordia inter eccleſiam & imperium ineunda celebratum, anno Domini MCXXII. in quadrageſima tempore Calliſti papæ ſecundi, & Henrici imperatoris V.

NOTÆ.

[a] *Concilium.*] Anno Redemptoris milleſimo centeſimo vigeſimo

ANNO CHRISTI 1122.

secundo, indictione decimaquinta, qui Deo acceptus, placabilis & pacificus fuit, teste Baronio, a Calliſto papa ad pleniſſimam inſtaurandam eccleſiæ pacem, reuocandamque exulem diu longiuſque propulſatam concordiam, Laterani indictum generale Concilium celebratum eſt tempore quadrageſimæ, cui interfuiſſe trecentos & amplius epiſcopos teſtatur qui præſens extitit [a] Sugerius ſancti Dionyſii abbas. Porro adeo nobilis Conuentus patrum in eo multus fuit, vt eccleſiam Dei diuturnis ſchiſmaticorum factionibus labefactatam in priſtinam reſtitueret diſciplinam. Quænam autem in hoc Concilio ſtatuta fuerint reperimus in codice Vaticano, qui continet collectionem Anſelmi, in quo poſt caput quinquageſimum quintum, tamquam appendicem habet notatos huius Concilii Canones decem & ſeptem, quorum maximam partem Gratianus, qui hoc ſæculo claruit, in ſuum decretum tranſtulit, nempe [b] primum, [c] ſecundum, [d] tertium, [e] quartum, [f] quintum, [g] ſeptimum, [h] decimum, [i] decimumquartum, [k] decimumſextum, & [l] decimumſeptimum; reliqui autem qui in eodem Anſelmi ſcripti ſunt codice, Vrbani papæ ſecundi titulo apud Gratianum leguntur. Hæc ſunt quæ ſpectant ad Canones Romani Concilii ſub Calliſto II. Quod autem ſpectat ad alias in eodem Concilio res geſtas, ſic accipe:

[a] Sugerius in vita Ludouici regis.

In eodem Concilio auditi ſunt legati Germanorum, aſſenſu imperatoris ab epiſcopis & principibus Germaniæ miſſi anno ſuperiore, Spirenſis nimirum epiſcopus, atque Fuldenſis abbas, exhibentes quæ imperator præſtare paratus erat, nempe remiſſionem inueſtiturarum eccleſiarum, quarum cauſa diu multumque inter imperium & ſacerdotium fuerat, magno Chriſtiani orbis ſcandalo, diſceptatum. Auditi ſunt iidem legati libenter, & collaudati magnifice illo diuinæ ſcripturæ præconio: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona*, ſiue illo: *Bonum nuntium de longinquo tamquam aqua frigida in æſtate*. Atque ex illorum petitione conceſſa legatio mittenda a ſede apoſtolica in Germaniam, quæ ſicut ab imperatore renuntiationem inueſtiturarum acciperet, ita nomine apoſtolicæ ſedis eidem ab excommunicatione abſolutionem impenderet, & quæ Calliſti papæ nomine eſſent exhibenda proferret. Decretum eſt tantum legationis pondus primario viro Lamberto cardinali epiſcopo Oſtienſi atque duobus aliis cardinalibus, qui profecti ſtatim ſunt vna cum legatis e Germania miſſis, Spirenſi epiſcopo atque abbate Fuldenſi. Hi vbi in Germaniam peruenerunt, ad eos audiendos decernitur Concilium tam epiſcoporum quam principum, cui etiam imperator adeſſet, Vvirceburgi celebrandum ſolenni die natalis apoſtolorum Petri & Pauli. Quid autem tunc per legatos actum, Vrſpergenſis abbas exacte recenſet, a quo ſunt iſta petenda, vtpote ab auctore qui potuit tunc his omnibus cum aliis præſulibus intereſſe.

Recenſet in primis altercationem quam excitatam inuenerunt legati inter imperatorem & principes Saxoniæ, & Moguntinum archiepiſcopum, ob electionem Vvirceburgenſis epiſcopi, cum defuncto eius epiſcopo tertio Kalendas Ianuarii, Henricus imperator elegiſſet

[b] 1. quæſt. cap. 10.
[c] Diſt. 60. cap. 2.
[d] Diſt. 27. cap. 8.
[e] 16. quæſt. 7. cap. 25.
[f] 35. quæſt. 2. cap. 2.
[g] 16. quæſt. 7. cap. 11.
[h] Diſt. 61. cap. vltimo.
[i] 10. quæſt. 1. cap. 24.
[k] 24. quæſt. 3. cap. 23.
[l] 16. quæſt. 1. cap. 11.

Rom. 10.
Prou. 25.

nobilem quemdam Gebehardum, ſanior autem pars cleri atque populi Ruggerum eiuſdem eccleſiæ canonicum promouendum propoſuiſſet, quorum votis aſpirarent Saxoniæ principes cum archiepiſcopo Moguntino. Cum iſta in medio verterentur diſſidia, ex quibus non ſolum ſperata concordia longius abiici timeretur, ſed effugata diſcordia reuocanda, & intermiſſum bellum ardentius repetendum fore, videri poſſet, ecce legatio e Romano Concilio miſſa aduenit, de qua iſta Vrſpergenſis abbas: *Ipſo etenim tempore epiſcopus Spirenſis, & abbas Fuldenſis, legatione totius regni apud apoſtolicam ſedem peracta, redierant, ducentes ſecum Oſtienſem epiſcopum, vicem domini apoſtolici per omnia tenentem, cum duobus cardinalibus, qui nihilo minus a ſede ſancti Petri ob reconciliationem regni & ſacerdotii miſſi fuerunt. Hac de cauſa iterum colloquium curiale per prouincias indictum eſt, cui locus Vvirceburg, tempus feſtum ſancti Petri definitum eſt.* In quo quidem Conuentu, cum archiepiſcopus Moguntinus, & cum eo apoſtolicæ ſedis legati conſecraſſent contra electionem imperatoris eius loci diaconum Ruggerum in epiſcopum, cuius potiora iura eſſe ſcirentur, omnis ſpes rerum componendarum videri poterat penitus eſſe proſcripta, & maiorum paratus fomes incendiorum, cum iam ita ſoluto Conuentu illo quiſque eſſet dimiſſus ad propria, legati autem apoſtolicæ ſedis Moguntiam petiiſſent. Quomodo autem ita deſperatis rebus rurſum ſit inſtauratum per legatos de vniuerſali pace negotium, idem qui ſupra auctor ſic narrat: *At benignus & amator hominum Ieſus per induſtriam ſeruorum ſuorum ſedis apoſtolicæ legatorum, qui tunc Moguntiæ morabantur, imo per inhabitantem in eis Spiritum ſuum, ſpiritum principum paci * contraiuit auferre, caritatem quoque nihilo minus in eorum cordibus diffundere cœpit. Quia nimirum, vt vere creditur, poſt tot Chriſti tunicæ ſciſſuras, poſt tot Chriſtianorum inteſtina bella, tempus miſerendi Sion, id eſt eccleſiæ, licet ſero, iam venit. Facto igitur vniuerſali Conuentu apud vrbem Vvangionum, quæ nunc Vvormatia dicitur, ſicut longum, ita & incredibile memoratu eſt, quam inſtanti quamque per omnia ſolicito cunctorum procerum conſilio, pro pace & concordia, per vnam vel amplius hebdomadam certatum ſit; donec ipſe, in cuius manu cor regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti ſub apoſtolicæ reuerentiæ obedientiam cauſa matris eccleſiæ, etiam vltra ſpem plurimorum, inflexit. Mox tamen ab apoſtolicæ ſedis apocrſiariis in communionem receptus tam ipſe imperator, quam vniuerſus ſibi ſubiectus exercitus, imo generali abſolutione cunctis hoc ſchiſmate pollutis per auctoritatem apoſtolicam facta, qualiter eccleſiaſticas inueſtituras, ceteraque ſpiritalia negotia, quæ tanto tempore reges Teutonici adminiſtrauerant, quæque ipſe, ne regni diminueretur honor, nunquam vita comite ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus pro Chriſto, coram multitudine maxima abnegauerit, & in manus domini epiſcopi Oſtienſis, ac per ipſum Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſuæque in perpetuum ius eccleſiæ dimiſerit, rurſumque qualia ſibi ob honorem regni obſeruandum auctoritas apoſtolica conceſſerit, vtriuſque partis melius edocebunt ſubter annotata ſcripta.* quæ habentur in margine, ſunt ex autographo in codice Vaticano.

ANNO CHRISTI 1122.

* contrarium curauit

ANNO CHRISTI 1122.

* *Ego Henricus Dei gratia Romanorum imperator Augustus, pro amore & sanctæ Romanæ ecclesiæ & domini papæ Calliſti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo*, &c. prout supra in Concilio Lateranensi. Extant eadem ipsa monumenta apud Vvilelmum Malmesburiensem. pergit vero Vrspergensis: *Huiusmodi scripta atque rescripta, propter infinitæ multitudinis Conuentum, loco campestri iuxta Rhenum lecta sunt, data & accepta, postque multimodas laudes rerum Gubernatori redditas, celebratis a domino Ostiensi diuinis sacramentis, inter quæ dominum imperatorem cum pacis osculo sanctaque communione plenissime reconciliauit, discessum est ab omnibus cum lætitia infinita.*

* In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Hæc sacrosancta Synodus solius pontificis auctoritate indicta fuit. In Conuentu principum apud Triburiam congregato, quo de pace inter pontificem & imperatorem ineunda agebatur, cuique legati sedis apostolicæ obedientiam pro Calliſto papa exacturi præsto erant, Catalaunensis episcopus & Cluniacensis abbas ad id a reliquis episcopis & principibus deputati, ab imperatore, qui Argentinæ agebat, obtinuerunt, vt promitteret se ob reconciliationem vniuersalis ecclesiæ venturum ad indictam generalem Synodum mense Octobri Romæ celebrandam, cuius indictionem in prædicto Conuentu episcopi omnes collaudarunt. Epistola alicuius scholastici professoris nomine edita, cuius argumentum Vrspergensis recenset post ea quæ supra dixi, aperte indicat patres quadringentos sex & viginti huic Concilio interfuisse, eique pontificem præsedisse; imperatorem vero aliter quam spoponderat Vrbi non quidem interfuisse, sed tamen non longe ab Vrbe abfuisse, quin facile legatis sedis apostolicæ auditum præberet. Item de inuestitura dimittenda monitum per legatos imperatorem respondisse, se cum principibus, quorum præiudicium in ea re vertebatur, locuturum, & ex eorum consilio cuncta acturum: pontificem præterea in eodem Concilio omnium prædecessorum suorum decreta confirmasse, quæque pro tempore statuenda videbantur decreuisse, & demum post duodecim dies quam inchoatum fuerat Concilio finem imposuisse, patresque vniuersos apostolica benedictione confirmatos a se dimisisse. Verba Vrspergensis ista sunt: *Aderant etiam legati tam Romanorum quam Viennensium, imo diuersarum ecclesiarum missi, confirmantes electionem domini Calliſti. Cui profecto, dum vniuersi nostrates episcopi obedientiam professi, Synodum, quæ sibi iuxta festum sancti Lucæ indicebatur, collaudassent fieri, ipse rex semetipsum ibidem pollicebatur ob reconciliationem vniuersalis ecclesiæ præsentandum iri. Id enim Catalaunensis episcopus, & Cluniacensis abbas, apud Argentinam ipsum conuenientes, multis ratiocinationum conatibus obtinuerunt. Eiusdem tamen actionem Concilii si quis plenarie cognoscere quærit, in literis cuiusdam scholastici nomine Hessonis eleganter enucleatum reperire poterit, id est qualiter rex inter regnum & sacerdotium de concordia facienda consenserit. Insuper eidem Concilio, cui videlicet* XIII. *Kalendas Nouembris prædictus papa Calliſtus secundus vallatus quadringentis viginti sex patribus coram innumera multitudine cleri ac populi præsedit, non adeo se præsentem Henricus, vici-*

Hæc Synodus a Calliſto papa indicta. Qua occasione.

Numerus episcoporum.

Acta Concilii quæ?

num tamen exhibuerit, vbi & colloquio ſuo domini papæ legatis conceſſo, tandem inducias denuo quæſierit, propter generale colloquium cum principibus habendum, pro inueſtituris ſcilicet eccleſiaſticis, quas tantopere cogebatur amittere, ad vltimum vero idem apoſtolicus inacta inter ſe & regem concordia, ſynodalia prædeceſſorum decreta confirmauerit, aliaque nonnulla, quæ res exigebat, nauiter addiderit: ſicque poſt dies fere duodecim, in virtute Spiritus ſancti rite finito Concilio, cunctos apoſtolica benedictione confirmatos ad propria redire permiſit, vnumquemque cum gaudio. Et quamquam Vrſpergenſis 426. & Pandulphus in vita Calliſti cum Onuphrio 997. epiſcopos & abbates, atque ideo mille circiter prælatos Concilio œcumenico interfuiſſe ſcribant, ego tamen potius acquieſcendum eſſe putaui teſtimonio Sugerii abbatis, cum ille huic Concilio interfuerit, ideoque res his temporibus geſtas melius cognouiſſe & deſcripſiſſe præſumatur.

ANNO CHRISTI 1120.

An mille patres huic Concilio interfuerint.

[a] CONCILIVM NEAPOLITANVM IN SAMARIA AVCTORITATE GVAREMVNDI Hieroſolymitani patriarchæ ad reformandos mores eccleſiæ celebratum, in præſentia Balduini Hieroſolymorum regis, anno Domini MCXX. tempore Calliſti papæ II.

NOTA.

Acta Concilii quæ?

[a] *Concilium.*] Cauſam vna cum actis Concilii Tyrius libro 12. belli ſacri cap. 13. his verbis ſummatim deſcribit: *Eodem anno, qui erat ab incarnatione Domini milleſimus centeſimus viceſimus, cum peccatis noſtris exigentibus regnum Hieroſolymorum multis vexationibus fatigaretur, & præter eas quæ ab hoſtibus inferebantur moleſtias, locuſtarum intemperie & edacibus muribus iam quaſi quadriennio continuo fruges ita penitus deperiſſent, vt omne firmamentum panis deficiſſe videretur, dominus Guaremundus Hieroſolymorum patriarcha, vir religioſus ac timens Deum, vna cum domino rege Balduino, prælatis quoque eccleſiarum & regni principibus, apud Neapolim vrbem Samariæ conuenientes, Conuentum publicum & curiam generalem ordinauerunt. Vbi ſermone ad populum habito, exhortationis gratia, cum apud omnes conſtare videretur quod populi peccata Dominum prouocaſſent, de communi ſtatuunt conſilio errata corrigere, & exceſſus redigere in modum, vt tandem ad frugem melioris vitæ redeuntes, & pro commiſſis condigne ſatisfacientes, eum ſibi redderent placabilem, qui peccatoris non vult mortem, ſed magis vt conuertatur & viuat. Deterriti ergo de cælo ſignis minacibus, & terræ motu frequenti, clade quoque ſimul & famis angustia, & hoſtium proterua nimis & pene quotidiana inſtantia, per opera pietatis Dominum ſibi reconciliare quærentes, ad morum erigendam conſeruandamque diſciplinam, vigintiquinque capitula, quaſi vim legis obtinentia,*

ANNO CHRISTI 1120.

tinentia, de communi sanxerunt arbitrio. Quæ si quis legendi studio videre quærit, in multarum archiuis ecclesiarum ea facile reperire potest. Interfuerunt autem huic Concilio dominus Guaremundus Hierosolymorum patriarcha, dominus Balduinus Hierosolymorum ex Latinis rex secundus, Ebremarus Cæsariensis archiepiscopus, Bernardus Nazarenus episcopus, Rogerius Lindensis episcopus, Asquitillus Bethlehemitanus episcopus, Gildonus electus abbas sanctæ Mariæ de valle Iosaphat, Petrus abbas de monte Thabor, Achardus prior montis Sion, Gerardus prior sepulcri domini, Paganus regis cancellarius, Eustachius Graniers, Vvilelmus de Buris, Barisanus Ioppe constabularius, Balduinus de Rames, & alii multi vtriusque ordinis, quorum numerum vel nomina non tenemus. Hanc Synodum, ait Baronius anno 1120. *prope finem, tanta morum correctio consecuta est, vt per Dei misericordiam anno sequente* 1121. *Turcarum princeps aduersus Antiochiam cum magnis copiis rediens, apoplexia extinctus sit.*

Qui Concilio interfuerunt?

ANNO CHRISTI 1122.

[a] # CONCILIVM ROMANVM I.

QVO CASSINENSIS MONASTERII ABBAS Oderisius consecratur, eiusdemque monachi a querela episcoporum absoluuntur, anno Domini MCXXII. tempore Callisti papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Res in hac Synodo gestas Romæ chronicon Cassinate commemorat lib. 4. cap. 80. his verbis: *Mense itaque Martio, præparatis quæ erant necessaria itineri, Romam, vt sibi a pontifice iniunctum fuerat, consecrandus aduenit. Ibi ab eodem papa, qui tunc forte Concilium celebrabat, honorifice consecratus, a cardinalibus Romanisque nobilibus in magna est gloria habitus. In hac Synodo episcopi aduersus monachos inuidia inflammati cœperunt dicere, nil superesse aliud, nisi vt sublatis virgis & annulis monachis deseruirent. Illos enim ecclesias, villas, castra, decimationes, viuorum & mortuorum oblationes detinere. Conuersique ad pontificem, Decidit, aiebant, pudor, canonicorum honestas obliterata est, clericorum religio corruit, dum monachi contempto cælesti desiderio iura episcoporum insatiabiliter ambiunt, & omnes quæ sua sunt quærunt: & qui mundum cum suis concupiscentiis reliquerant, his quæ mundi sunt inhiare non desinunt: & quibus per beatum Benedictum vltro quiescendi locus offertur, ad episcoporum iura rapienda die noctuque occupantur. Et cum variæ ingeniis hinc inde essent prolatæ sententiæ, tandem ex iussione abbatis vnus ex nostris surgens in medium, dixit: Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Sed tu Deus noster contere virtutem illorum, vt cognoscant quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Nam quid acturi sint fratres Cassini degentes, qui die noctuque omnipotentis Dei clementiam pro totius mundi salute implorare & exorare non desinunt, si concessiones Romanorum*

Acta Concilii quæ.

pontificum violantur? Neque enim ita Cassinenses abbates de apostolica sede meruerunt, vt quæ sancto Benedicto imperatores, reges, principes, duces, Romanique pontifices obtulerunt, nos apostolatus vestri tempore mereamur amittere. Cum hæc & alia multa proferret, quidam Liguriæ episcopus dixit: Licet episcoporum religiositas conquesta contra monachos fuerit, non tamen sine causa prædecessores nostri monasteria ditauerunt. A principio namque surgentis ecclesiæ, duos ordines cœpisse notissimum est: vnum qui laboret in verbo & doctrina, alterum qui vacaret orationi: vnum qui actiuæ, alterum qui contemplatiuæ vitæ deseruiret. Vnde non immerito nos potius diligere monachos, quam insequi conuenit. Ad hæc pontifex imperato silentio dixit: Cassinensis ecclesia non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum fundata est: cuius imperio Benedictus pater locum prius idolis deditum purgans, sanctæ descriptione regulæ, miraculorumque prodigiis, & sua corporali requie, orbi spectabilem reddidit, totiusque monastici ordinis caput esse constituit. Accedit quod idem venerabilis locus a Romanis pontificibus instauratus, Romanæ ecclesiæ filiorum & in aduersis solatium, & in prosperis tuta requies perstat. Et nos igitur sanctorum prædecessorum nostrorum vestigia secuti, Cassinense cœnobium ab omni mortalium iugo quietum semper ac liberum manere, & sub solius sanctæ Romanæ ecclesiæ defensione perpetuo manere decernimus. Cetera vero monasteria, in quo ordine antiquitus constructa sunt, manere iubemus. In eo etiam Concilio memoratus pontifex, Girardi abbatis animam, & omnia nostri cœnobii iura episcopis & archiepiscopis commendari curauit: abbas vero peractis Romæ negotiis suis, ad monasterium rediit, & ab omnibus fratribus solenni est & honorifica processione susceptus. ANNO CHRISTI 1122.

[a] CONCILIVM ROMANVM II. ANNO CHRISTI 1123.

QVO OB RESTITVTAM IN COMITIIS Vvormatiensibus inuestituram ecclesiasticam pax inter pontificem & imperatorem inita confirmatur, anno Domini MCXXIII. tempore Callisti papæ II.

NOTA.

Acta Concilii.

[a] *Concilium.*] De hac Synodo Robertus de Monte continuator Sigeberti ista scribit: *Anno* 1123. *Concilium Romæ celebratur, pax inter regnum & sacerdotium reformatur, & ius inuestiturarum episcopalium ab imperatore exfestucatur.* Hoc est illud Concilium, cuius meminit Callistus in epistola gratulatoria ad Henricum imperatorem his verbis: *Legatos itaque nostros, qui apud vos sunt, beneuolentiæ vestræ attentius commendantes, rogamus vt, quia Concilium a nobis indictum accelerat, cito eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos vero legatos ita instructos dirigas, vt iuxta promissum tuum regalia in integrum Romanæ ecclesiæ restituant.*

ANNO CHRISTI 1124.

[a] CONCILIVM TOLOSANVM

AVCTORITATE CALLISTI PAPÆ CONTRA quosdam hæreticos monachos, in bona ecclesiæ & sacramenta ecclesiæ blasphemos, celebratum anno Domini MCXXIV.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De hac Synodo in fasciculo temporum ista scribuntur: *Hic Tolosæ Synodum celebrauit, in qua damnauit fictos quosdam religiosos, qui plures hæreses secrete & publice seminabant contra sacramenta & bona ecclesiarum.* Ista fasciculus temporum. Gesta Concilii.

VITA ET EPISTOLÆ HONORII PAPÆ II.

HONORIVS, dictus ante Lambertus, Bononiæ natus, Ostiensis episcopus, qui Vvormatiensi principum Conuentu resignantem libere inuestituram episcoporum imperatorem Henricum auctoritate sedis apostolicæ, cuius legatione fungebatur, vinculo anathematis absoluerat, electus est pontifex XIX. Kalendas Ianuarii, anno Christi 1124. tempore Henrici regis Germaniæ V. & imperatoris eiusdem nominis IV. Contra eum in schismate creatus est pseudopontifex Theobaldus sanctæ Anastasiæ cardinalis, Cælestini II. nomine insignitus. Verum quia cum Honorio pars potior erat, inquit chronicon Cassinense, fautores Theobaldi rerum euentum cernentes ad Honorium se contulerunt. Idem iisdem fere verbis abbas Vrspergensis, addens eumdem in Romana ecclesia diutissime probatum, & in ea legatione, qua ipse dudum in reconciliatione regni & sacerdotii Germanicis in partibus strenue laborauerat, cis citraque notificatum, tam illorum qui longe, quam qui prope erant, sacerdotum vnanimi fauore consecratum, moreque sedis illius vere tanto honore dignum, Honorium appellatum esse. Vnus Tyrius lib. 13. belli sacri, cap. 15. de electione huius pontificis ait: Honorius II. quando pontifex factus.

Eodem anno 1124. dominus Calliſtus bonæ memoriæ papa ſecundus vita deceſſit, cui ſubſtitutus eſt quidam Lambertus, patria Bononienſis, Oſtienſis epiſcopus, qui dictus eſt Honorius. Hic electus eſt ſub contentione cum quodam Theobaldo presbytero cardinali tituli ſanctæ Anaſtaſiæ: & quia electio ipſius Honorii minus canonice proceſſerat, poſt duodecim dies in conſpectu fratrum mitram & mantum ſponte refutauit atque depoſuit. Fratres vero tam epiſcopi quam presbyteri & diaconi cardinales videntes ipſius humilitatem, & proſpicientes in poſterum ne in Romanam eccleſiam aliquam inducerent nouitatem, quod perperam factum fuerat in melius reformarunt, & eumdem Honorium denuo authorizantes ad eius veſtigia prociderunt, & tamquam paſtori ſuo & vniuerſali papæ conſuetam obedientiam ſibi exhibuere. *Hæc de Honorii electione Tyrius.* Eadem iiſdem fere verbis Pandulphus apud Baronium: Vvilelmum Tyri archiepiſcopum ex Latinis primum a Guaremundo Hieroſolymitano patriarcha conſecratum pallio donauit, ſcriptiſque ad epiſcopos & clericos Tyri nec non ad prædictum Guaremundum Hieroſolymitanum patriarcham epiſtolis mandauit, vt ſuum illi archiepiſcopum a ſe iure pallii donatum benigne accipiant, & religioſe obſeruent. Miſit etiam cum eodem, inquit Tyrius, dominum Ægidium Tuſculanum epiſcopum apoſtolicæ ſedis legatum, virum eloquentem & admodum literatum, per quem Antiocheno patriarchæ Bernardo epiſtolam ſcripſit, monens vt domino Tyrenſi ſuos quos detinebat, ſub pœna ſuſpenſionis, reſtitueret ſuffraganeos. Initio pontificatus Oderiſium abbatem Caſſinenſem ob contemptum ſedi apoſtolicæ iteratis vicibus illatum excommunicauit, & depoſuit. *Petrus Diaconus.* Sanctum Bernardum hac ætate mirabilem ac velut quoddam ſidus terris illapſum, Hildebertum Turonenſem archiepiſcopum, Norbertum multarum gentium apoſtolum, Hugonem de ſancto Victore Pariſienſem theologum, alioſque viros ingenio, doctrina, religione ac pietate præſtantes mirifice coluit. Decreta Synodi Nannetenſis, quibus duo iura Conano comiti Britanniæ conſentienti eripiebantur, reſcripto quodam velut ſancte & legitime conſtituta confirmauit: prauam-

Electio Honorii qualis?

Res geſtæ Honorii papæ.

Sanctus Bernardus, & Norbertus multarum gentium apoſtolus, floruit.

que illam corruptelam potius quam consuetudinem, qua decedente marito vel vxore vniuersa decedentis mobilia, quæque ex naufragio emerserant, non ad filios vel legitimos heredes, sed ad fiscum transibant, magno beneficio totius Britanniæ plane abrogauit. *Papirius Massonus.* Ottonem Halberstadensem episcopum a suis canonicis accusatum & conuictum, quod pro consecratione cuiusdam ecclesiæ triginta solidos accepisset, deposuit, eique Rodulphum substituit. *Chronicon Hirsaugiense.* Vvilelmo duce Apuliæ & Calabriæ sine liberis defuncto, Rogerium Siciliæ comitem eiusdem inuasorem, vi & armis coegit ad iuramentum fidelitatis more solito ecclesiæ Romanæ præstandum. Ludouicum Crassum Franciæ regem bonorum & iurium ecclesiasticorum vsurpatorem, a Stephano Parisiensi archiepiscopo iustis censuris innodauit, male informatus, ideoque a sancto Bernardo binis literis grauiter satis reprehensus absoluit. Huius tempore Tanchelinus quidam Adamitarum hæresin condens, multos Antuerpiæ sua eloquentia & sedulitate seduxit: negabat enim corporis & sanguinis Christi perceptionem ad salutem prodesse: nihili faciebat sacerdotes & episcopos: suis hæresibus non assentientes per suos sectatores (habebat enim circiter tria millia militum qui eum vbique sequebantur) occidi iubebat. Ad eam hæresin ex hominum animis eradicandam illius loci episcopus constitutus est Norbertus Præmonstratensis ordinis, qui suis concionibus adeo profecit, vt fere omnes ad fidem catholicam conuersi fuerint, afferentes in ecclesiam corpus dominicum, quod per decem annos in cistis & foraminibus secluserant. *Robertus continuator Sigeberti.* Eiusdem temporibus vniuersa fere Pomeranorum natio a Boleslao Polonorum duce subacta, magnusque rex Gothorum prædicatione Ottonis Bambergensis episcopi Christianam fidem complexus, in Christi castra transierunt. *Helm. cap. 41. Olaus lib. 2. de gentibus septemtrionalibus cap. 7.* Cumque tandem Honorius papa post obitum Henrici V. qui sine herede decesserat, anno Domini 1125. Lotharium ducem Saxoniæ communi procerum consensu regni & imperii successorem designatum, a rebellantibus contra eum Henrici nepotibus ex sorore, Conrado nimirum & Friderico Sueuorum ducibus, vt

Tanchelinus hæresiarcha qualis?

testatur Frisingensis, sententia excommunicationis in eos prolata ab intestino bello liberasset, defunctus est XVI. Kalendas Martii, anno 1130. cum tenuisset pontificatum annis quinque, mense vno, & diebus septemdecim. Hic fecit, inquit Pandulphus apud Baronium, ordinationes in Vrbe plures, *&c.* Ægrotus deferri se fecit ex Lateranensi palatio ad monasterium sancti Andreæ, ibique in pace defunctus est: sepultus vero in basilica Saluatoris.

Honorii obitus.

EPISTOLA I.
HONORII PAPÆ II.
AD PETRVM CLVNIACENSEM ABBATEM.

De Pontii inuasoris obitu & sepultura.

Honorius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacensi abbati salutem & apostolicam benedictionem.

PRÆTERITO mense Decembri Pontius viam vniuersæ carnis ingressus est. Qui quamuis de malis Cluniaco illatis sæpe commonitus pœnitentiam agere noluerit, nos tamen pro reuerentia eiusdem monasterii, cuius monachus fuerat, eum honeste sepeliri fecimus. Data Laterani.

EPISTOLA II.
HONORII PAPÆ II.
AD TYRIOS.

Significat se Vvilielmum Tyri archiepiscopum electum, & a patriarcha Hierosolymitano consecratum, pallio donasse.

Honorius episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus suffraganeis episcopis, clero & populo Tyri, salutem & apostolicam benedictionem.

VENIENTEM ad nos carissimum fratrem nostrum Vvilelmum archiepiscopum vestrum debita caritate re-

cepimus, & quem canonice electum, & a venerabili fratre noſtro Guarimundo Hieroſolymitano patriarcha conſecratum accepimus, pallii dignitate, plenitudine videlicet pontificalis officii, decorauimus. Quia vero de perſona ſua maximum fructum matri eccleſiæ veſtræ Tyri, diuina ſuffragante miſericordia, credimus prouenturum, ipſum cum gratia ſedis apoſtolicæ & noſtrarum literarum proſecutione ad vos duximus remittendum. Vniuerſitati ergo veſtræ mandando præcipimus, quatenus eum benigne recipiatis, & tamquam proprio metropolitano, & animarum veſtrarum epiſcopo, ſubiectionem, obedientiam & reuerentiam humiliter deferatis.

EPISTOLA III.

HONORII PAPÆ II.

AD GVAREMVNDVM HIEROSOLYMITANVM ARCHIEPISCOPVM.

Eiuſdem argumenti.

Honorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Guarimundo Hieroſolymitano patriarchæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SVSCEPTIS fraternitatis tuæ literis, fratrem noſtrum Vvilelmum, quem in eccleſia Tyri conſecraſti archiepiſcopum, benigne ſuſcepimus, & eum dignitate pallii, plenitudine videlicet pontificalis officii, decorauimus. Suffraganeis etiam eccleſiæ ſuæ præcepimus, quatenus ei tamquam proprio metropolitano ſubiectionem & obedientiam deferant. Data in territorio Barenſi octauo Idus Iulii.

EPISTOLA IV.

HONORII PAPÆ II.

AD REGEM DANIÆ.

Ipſi Gregorium legatum ſuum commendat.

Honorius ſeruus ſeruorum Dei .... illuſtri regi Daniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ECCE iuxta precum tuarum inſtantiam, & promiſſionem noſtram, miſimus ad te dilectum filium noſtrum

Gregorium de Creſcentio, ſancti Theodori diaconum cardinalem, apoſtolicæ ſedis legatum, virum vtique prudentia & honeſtate conſpicuum, & nobis inter alios fratres noſtros, ſuis exigentibus meritis, ſpecialiter carum, conceſſo ſibi plenæ legationis officio per omnes terras, quæ tuæ iuriſdictionis exiſtunt, vt extirpet nociua, & plantet ſalubria, prout quæque ſecundum datam ſibi a Deo prudentiam viderit facienda. Rogamus igitur regiam celſitudinem tuam, quatenus ipſum, imo verius nos in ipſo, recipias hilariter, & honorifice tractes, & a ſubditis tuis ei facias dignam honorificentiam exhiberi; vt deuotio, quam te ad apoſtolicam ſedem habere confidimus, clareat in effectu, & nos ac fratres noſtri per hoc merito in tua caritate creſcamus: idemque legatus, qui per ſe ac ſuos, qui magnum locum in Vrbe obtinere noſcuntur, grata tibi poterit viciſſitudine reſpondere, ad tuam dilectionem perpetuis temporibus obligetur. Datum Laterani quarto Kalendas Ianuarii, pontificatus noſtri anno quinto.

[a] CONCILIVM LONDONIENSE I.

Anno Christi 1125.

AVCTORITATE IOANNIS DE CREMA cardinalis & apoſtolicæ ſedis legati indictum, quo ſexaginta patres, ad reformandos prauos eccleſiæ mores, ſequentia capitula ediderunt nono Septembris, anno Domini MCXXV. tempore Honorii papæ II.

NOTA.

Acta Concilii.

[a] *Concilium.*] *Celebratur Synodus Londoniæ*, ait continuator Florentii Vigornienſis ſcriptor huius temporis, *in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis apud Weſtmonaſterium, menſe Septembri, nona die eiuſdem menſis, id eſt* V. *Idus Septembris, vbi poſt multarum diſcuſſionem cauſarum promulgata ſunt hæc capitula, & ab omnibus confirmata, numero* 17. *Præfuit autem huic Synodo Ioannes de Crema, ſanctæ & apoſtolicæ eccleſiæ, de titulo ſancti Chryſogoni, presbyter cardinalis, & domini papæ Honorii in Angliam legatus, cum Guilielmo Cantuarienſi & Turſtano Eboracenſi archiepiſcopis, & cum epiſcopis diuerſarum prouinciarum numero* 20. *& abbatibus circiter* 40. *& cum innumera cleri & populi multitudine. Sunt autem hæc capitula.*

CAPI-

ANNO CHRISTI 1125.

CAPITVLA CONCILII LONDONIENSIS.

I.

Sanctorum patrum vestigiis inhærentes, quemquam in ecclesia per pecuniam ordinari auctoritate apostolica prohibemus.

II.

Interdicimus etiam vt pro chrismate, pro oleo, pro baptismate, pro pœnitentia, pro visitatione infirmorum, seu vnctione, pro communione corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino precium exigatur.

III.

Statuimus præterea, & apostolica auctoritate decernimus, vt in consecrationibus episcoporum, vel abbatum benedictionibus, seu in dedicationibus ecclesiarum, non cappa, non tapetæ, non manutergia, non baccilia, & nihil omnino per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, penitus exigatur.

IV.

Nullus abbas, nullus prior, nullus omnino monachus vel clericus, ecclesiam, siue decimam, seu quælibet beneficia ecclesiastica, de dono laici, sine proprii episcopi auctoritate & assensu suscipiat. Quod si præsumptum fuerit, irrita erit donatio huiusmodi, & ipse canonicæ vltioni subiacebit.

V.

Sancimus præterea, ne quis ecclesiam sibi siue præbendam paterna vendicet hereditate, aut suc-

ANNO CHRISTI 1125.

ceſſorem ſibi in aliquo eccleſiaſtico conſtituat beneficio. Quod ſi * ſumptum fuerit, nullas vires habere permittimus, dicentes cum Pſalmiſta: *Deus meus pone illos vt rotam, * &*, ſicut dixerunt, *hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Adiicientes quoque ſtatuimus, vt clerici qui eccleſias ſeu beneficia habent eccleſiarum, & ordinari, quo liberius viuant, ſubterfugiunt, cum ab epiſcopis inuitati fuerint, ſi ad ordines promoueri contempſerint, eccleſiis ſimul & beneficiis earum priuentur.

Pſalm. 82. *Ibidem.*

* *f.* præſumptum

* leg. &c. qui dixerunt: Her.

VI.

Nullus in decanum, nullus in priorem, niſi presbyter, nullus in archidiaconum niſi diaconus promoueatur.

VII.

Nullus in presbyterum, nullus in diaconum, niſi ad certum titulum ordinetur. Qui vero abſolute fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate.

VIII.

Nullus abbas, nullus omnino clericus, vel laicus, quemquam per eccleſiam in eccleſia ordinatum, abſque proprii epiſcopi iudicio, præſumat eiicere. Qui autem ſecus facere præſumpſerit, excommunicationi ſubiacebit.

IX.

Nullus epiſcoporum alterius præſumat parochianum ordinare aut iudicare: vnuſquiſque enim ſuo domino ſtat aut cadit: nec tenetur aliquis ſententia non a ſuo iudice prolata. Nemo excommunicatum alterius præſumat in communionem ſuſcipere. Quod ſi ſcienter fecerit, & ipſe communione careat Chriſtiana.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1125.

X.

Præcipimus etiam ne vni perſonæ archidiaconatus vel diuerſi ordinis tribuantur honores. Presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, canonicis, vxorum, concubinarum, & omnium omnino feminarum contubernia auctoritate apoſtolica inhibemus, præter matrem, ſororem, amitam, ſiue illas mulieres quæ omni careant ſuſpicione. Qui huius decreti violator extiterit, confeſſus vel conuictus ruinam proprii ordinis patiatur.

XI.

Vſuram & turpe lucrum clericis omnibus prohibemus. Qui vero ſuper crimine tali confeſſus fuerit, conuictus a proprio gradu deiiciatur.

XII.

Sortilegos, ariolos, & auguria quæque ſectantes, eiſque conſentientes, excommunicari præcipimus, perpetuaque notamus infamia.

XIII.

Inter conſanguineos ſeu affinitate coniunctos vſque ad generationem.... matrimonia contrahi prohibemus: ſi qui vero taliter coniuncti fuerint, ſeparentur.

XIV.

Interdicimus etiam vt viri proprias vxores de conſanguinitate impetentes, & teſtes quos adducunt non ſuſcipiantur, ſed priſca patrum ſeruetur auctoritas.

Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet.

Eamdem Synodum ſummatim deſcribens Matthæus Paris ſancti Albani in Anglia monachus, ſedi apoſtolicæ hoſtis infenſiſſimus (niſi eum, quod ſupra ſub Gregorio V. monui, nouator aliquis hæreticus, Matthæus Paris quaelis.

vt solent, corruperit, vel quas ille in pontifices eorumque legatos egerit calumnias inuectiuas, dicacitates & blasphemias eidem malitioso animo inseruerit) Ioanni de Crema sedis apostolicæ legato cardinali eam, quam pudet adscribere, infamiam inurit. Quare cum prædictus continuator Florentii Vvigornensis res sui temporis descripserit, adeoque maiore fide dignus sit, posthabitis calumniis, solam rei gestæ historiam placuit adscribere. De calumnia cardinali illata ista Baronius: *Hoc etiam anno decernitur ab Honorio papa legatio in Angliam, quæ credita est Ioanni Cremensi presbytero cardinali tituli sancti Chrysogoni, a quo pariter mense Septembris celebratum esse Concilium scriptores rerum Anglicarum affirmant, & aliqui ipsorum magno cum dedecore res ab eo gestas enarrant. Nam præter simoniæ notam, qua eius æstimationem inurunt, addunt illud ignominiosum, quod cum in eodem Concilio sanciuisset Canonem aduersus clericos concubinarios, in eosdemque declamasset quod magno scelere post celebratum sacrosanctum Missæ sacrificium auderent se iungere concubinæ, seu de latere eiusdem surgere ad sacrificium celebrandum; ipse tamen, cum eadem die corpus Domini confecisset, post vesperam fuit cum meretrice deprehensus. Scripta hæc reperiuntur primitus ab Henrico Huntindonensi rerum Anglicanarum scriptore. Rogerius ipso recentior eadem totidem verbis repetit in annalibus, sed anno sequenti, atque nouissime Matthæus V vestmonasterienſis de his item agens anno præsenti addit inanem excusationem eius, quod scilicet ita in ea turpitudine deprehensus dixisset quod non fuerit ipse sacerdos, sed sacerdotum corrector. Porro ex tali excusatione conuinci mendacium nemo non videt. Etenim quomodo non sacerdos fuit, quem sacerdotem esse necessitas ipsa cogebat, vtpote quod esset presbyter cardinalis tituli sancti Chrysogoni? vel quomodo non sacerdos, quem dicunt mane incruentum sacrificium celebrasse? Certe quidem non numero historicorum veritatem historiæ consueuimus æstimare, sed quanta fide polleat primus auctor cuiuslibet assertionis. Nam reliquos primum sequi auctorem, & eius vestigiis inhærere, frequentiori vsu in more positum reperimus. Cum igitur accurate auctorem expendimus, quantæ fidei esset qui isthæc primus asseruit, inuenimus eum plus æquo, imo inique fauere sacrorum ministrorum coniugio, ipsum archidiaconum: etenim dum ipse agit superius de sancto Anselmo, qui in Concilio a se celebrato vetuit coniugia clericorum, mendacissime asseruit, ante illud tempus in Anglia id non fuisse prohibitum, & plures fuisse qui eiusmodi coniugio fauissent: quod quam falsum sit nullus ignorat. Hæc dicta sint, vt explorata habeatur auctoris fides. Præterea, si tanto fuisset legatus re vera crimine infamatus, quomodo aduersarii eius, ipsi scilicet schismatici fautores Petri Leonis, cum suis scriptis declamasse reperiantur in eos cardinales qui Innocentium elegerunt, inter quorum primos ipse Ioannes Cremensis habetur annumeratus, tam enorme delictum exprobrare cessarunt? vel quomodo sanctus Bernardus, & alii viri magni nominis eius temporis scriptores, Innocentiique papæ fautores, adeo constanter dicere potuissent, sicut numerosiorem, ita & sanctiorem cardinalium partem eumdem Innocentium elegisse, si tanto scandalo ex eis vnus Ioannes Cremensis orbem Chri-*

ANNO CHRISTI 1125.

Henricus Huntindonensis hist. lib. 7. hoc anno.

ANNO CHRISTI 1125. *ſtianum concuſsiſſet? Sed & quod huius temporis rerum Anglicanarum ſcriptor Vuilelmus Malmesburienſis, haud aſſuetus parcere eccleſiæ Romanæ miniſtris, eiuſdem facinoris nullam penitus mentionem feciſſe reperiatur, nec ibidem diligens auctor, qui adiecit appendicem ad Florentium, & adeo exacte præ ceteris de ſingulis rebus geſtis in eo Concilio meminit, perinde acſi eidem interfuiſſet, huius euulgati, vt volunt, tantopere criminis aliquid penitus ſcripſerit, certe quidem de eo dubitandi, verumne ſit vel ſparſa calumnia, vt fieri aſſolet, ſaltem locum reliquit; quod quilibet amantiſsimus veritatis non puto negabit. Nos vero nec eiuſmodi ſumus, vt proditione veritatis delinquentem quemlibet eccleſiæ Romanæ miniſtrum prodere nolimus, cum nec ipſa ſibi hoc vendicet Romana eccleſia, vt membra ſua, & e latere ſuo legatos miſſos omni carere turpitudine aſſerat: non enim, quod probro ducit Apoſtolus, æmulatur Deum, vt fortior illo ſit. Si enim ipſe Deus, qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem, tamen in angelis ſuis reperit prauitatem, quid præſumet ipſa, dum angelos ſuos mittit legatos ſuos in mare? ſecundum illud propheticum:* Ite angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam: *cum ſciat ipſa non ſupernos angelos mittere, ſed homines, de quibus eſt pronuntiatum diuinum oraculum, quod* vniuerſa vanitas ſit omnis homo viuens. *ſed de his ſatis.*

1. Cor. 10. Pſalm. 103. Iob. 4. Iſai. 8. Pſalm. 58.

ANNO CHRISTI 1127. [a] CONCILIVM TRECENSE, QVO TEMPLARIIS MILITIBVS, ANNO SVÆ inſtitutæ religionis nono, vna cum regula aſſignatus eſt habitus albus, anno Domini MCXXVII. tempore Honorii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Acta Concilii, tempus & locum enarrans Tyrius lib. 12. cap. 7. iſta ſcribit: *Concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt dominus Rhemenſis, & dominus Senonenſis archiepiſcopi, cum ſuffraganeis ſuis, Albanenſis quoque epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, abbates quoque Ciſtercienſis & Clarauallenſis, cum aliis pluribus, inſtituta eſt eis regula, & habitus aſsignatus, albus videlicet, de mandato domini Honorii papæ, & domini Stephani Hieroſolymitani patriarchæ. Cumque iam annis nouem in eo fuiſſent propoſito, non niſi nouem erant: extunc cœpit eorum numerus augeri, & poſſeſsiones multiplicabantur. Poſtmodum vero tempore domini Eugenii papæ, vt dicitur, cruces de panno rubeo, vt inter ceteros eſſent notabiliores, mantellis ſuis cœperunt aſſuere, tam equites quam eorum fratres inferiores, qui dicuntur ſeruientes: quorum res adeo creuit in immenſum, vt hodie trecentos plus minuſve in conuentu habeant equites, albis chlamydibus indutos, exceptis aliis fratribus, quorum pene infinitus eſt numerus. Poſſeſsiones autem tam vltra quam citra mare adeo dicuntur habere, vt iam non ſit in orbe Chriſtiano*

Acta & tempus Concilii.

prouincia quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem non contulerit, & regiis opulentiis pares hodie dicantur habere copias. Qui, quoniam iuxta templum Domini, vt prædiximus, in palatio regio mansionem habent, fratres militiæ templi dicuntur. Qui cum diu in honesto se conseruassent proposito, professioni suæ satis prudenter satisfacientes, neglecta humilitate, quæ omnium virtutum custos esse dignoscitur, & in imo sponte sedens non habet vnde casum patiatur, domino patriarchæ Hierosolymitano, a quo & ordinis institutionem & prima beneficia susceperant, se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegantes: sed & ecclesiis Dei, eis decimas & primitias subtrahentes, & eorum indebite turbando possessiones, facti sunt valde molesti. ANNO CHRISTI 1127.

Hæc de templariis Tyrius. Acta Concilii, & patres qui eidem interfuerunt, fusius describuntur in regula Templariorum, quam ex bibliotheca sancti Victoris Parisiensis acceptam hic subiungo:

REGVLA PAVPERVM COMMILITONVM Christi templique Salomonici.

PROLOGVS.

OMNIBVS in primis sermo noster dirigitur, quicumque proprias voluntates sequi contemnunt, & summo ac vero regi militare animi puritate cupiunt, vt obedientiæ armaturam præclaram assumere, intentissima cura implendo præoptent, & perseuerando impleant. Hortamur itaque, qui vsque nunc militiam sæcularem, in qua Christus non fuit causa, sed solo humano fauore amplexati estis, quatenus horum vnitati, quos Dominus ex massa perditionis elegit, & ad defensionem sanctæ ecclesiæ gratuita pietate composuit, vos sociandos perenniter festinetis. Ante omnia autem, quicumque es, o Christi miles, tam sanctam conuersationem eligens, te circa professionem tuam oportet puram adhibere diligentiam, ac firmam perseuerantiam; quæ a Deo tam digna, sancta & sublimis esse dignoscitur, vt si pure & perseueranter obseruetur, inter militantes, qui pro Christo animas suas dederunt, sortem obtinere mereberis. In ipsa namque refloruit iam & reluxit ordo militaris, qui despecto iustitiæ zelo, non pauperes aut ecclesias defensare, quod suum erat, sed rapere, spoliare, interficere contendebant. Bene igitur nobiscum agitur, quibus Dominus & Saluator noster Iesus Christus amicos suos a ciuitate sancta in continuum

ANNO CHRISTI 1127. Franciæ & Burgundiæ direxit, qui pro noſtra ſalute veræque fidei propagatione non ceſſant animas ſuas hoſtiam Deo placentem offerre. Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate, precibuſque magiſtri Hugonis, in quo prædicta militia ſumpſit exordium, cum Spiritu ſancto intimante, ex diuerſis Vltramontanæ prouinciæ manſionibus in ſolennitate ſancti Hilarii anno MCXXVIII. ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ IX. ad Trecas, Deo duce, in vnum conuenientes, modum & obſeruantiam equeſtris ordinis per ſingula capitula ex ore ipſius magiſtri Hugonis audire meruimus, ac iuxta notitiam exiguitatis noſtræ ſcientiæ, quod nobis videbatur abſurdum, omneque quod in præſenti Concilio nequiuit eſſe nobis * memorabiliter relatum ac computatum, non leuitate, ſed conſulte, prouidentiæ & diſcretioni venerabilis patris noſtri Honorii, ac inclyti patriarchæ Hieroſolymitani Stephani, * fertilitate ac neceſſitate non ignari orientalis * religionis, nec non pauperum commilitonum Chriſti, conſilio communis capituli vnanimiter commendauimus. Sane autem prorſus licet noſtri dictaminis auctoritatem permaximus numerus religioſorum patrum, qui in illo Concilio diuina admonitione conuenerunt, commendat, non debemus ſilenter tranſire quibus videntibus, & veras ſententias proferentibus, ego Ioannes Michaelenſis præſentis paginæ, iuſſu Concilii ac venerabilis † abbatis Claræuallenſis, cui creditum ac debitum hoc erat, humilis ſcriba eſſe diuina gratia merui.

* *f.* memoraliter

* *f.* regionis,

† Sanctum Bernardum intellige.

Nomina patrum reſidentium in Concilio Trecenſi.

Primus quidem reſedit Matthæus Albanenſis epiſcopus, Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatus; deinde Rainaldus archiepiſcopus Rhemenſis; tertius Henricus archiepiſcopus Senonenſis; dehinc coepiſcopi eorum, Ranckedus Carnotenſis epiſcopus, Goſlenus Sueſſionum epiſcopus, epiſcopus Pariſienſis, epiſcopus Trecenſis, præſul Aurelianenſis, epiſcopus Autiſiodorenſis, epiſcopus Meldenſis, epiſcopus Catalaunenſis, epiſcopus Laudunenſis, epiſcopus Beluacenſis, abbas Vezelacenſis, qui non multo poſt factus eſt Lugdunenſis archiepiſcopus, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatus, abbas Ciſter-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cienſis, abbas Pontiniacenſis, abbas Trium fontium, abbas ſancti Dionyſii de Rhemis, abbas ſancti Stephani de Diuione, abbas Moleſ..... ſupra nominatus abbas Bernardus Claræuallenſis non defuit, cuius ſententiam præſcripti libera voce collaudabant. Fuerunt autem & magiſter Albericus Rhemenſis, & magiſter Fulgerius, ac complures alii, quos longum eſſet enumerare. Ceterum vero de non literatis idoneum nobis videtur vt teſtes amatores veritatis adducantur in medium. Comes Theobaudus, comeſque Niuernenſis, ac Andreas de Bandinento, intentiſſima cura quod erat optimum ſcrutantes, quod eis videbatur abſurdum temperantes, in Concilio ſic aſſiſtebant. Ipſe vero magiſter militiæ, Hugo nomine, reuera non defuit, & quoſdam de fratribus ſuis ſecum habuit, verbi gratia, fratrem Godefridum, fratrem Rorallum, fratrem Gaufridum Biſol, fratrem Paganum de monte Deſiderii, Archembaudum de ſancto Amano. Iſte vero magiſter Hugo cum ſuis diſcipulis modum & obſeruantiam exiguæ inchoationis ſui militaris ordinis, qui ab illo qui dicit, *Ego principium, qui & loquor vobis*, ſumpſit exordium, iuxta memoriæ ſuæ notitiam ſupra nominatis patribus intimauit. Placuit itaque Concilio vt conſilium ibi lima & conſideratione diuinarum ſcripturarum diligenter examinatum, tamen cum prouidentia papæ Romanorum, ac patriarchæ Hieroſolymitarum, nec non etiam aſſenſu capituli pauperum commilitonum Templi, quod eſt in Ieruſalem, ſcripto commendaretur, ne obliuioni traderetur, & inenodabiliter ſeruaretur, vt recto curſu ad ſuum Conditorem, cuius dulcedo tam mel ſuperat, vt ei comparatum velut abſynthium ſit amariſſimum, peruenire digne mereantur, præſtante cui militant, & militare queant per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Anno Christi 1127.

Ioan. 8.

INCIPIT REGVLA PAVPERVM COMMILITONVM SANCTÆ CIVITATIS.

I.

Qualiter diuinum officium audiant.

VOs quidem propriis voluntatibus abrenuntiantes, atque alii pro animarum ſalute vobiſcum ad termi-

num

ANNO CHRISTI 1127. num cum equis & armis ſummo regi militantes, Matutinas, & omne ſeruitium integrum, ſecundum canonicam inſtitutionem, ac regularium doctorum ſanctæ ciuitatis conſuetudinem, pio ac puro affectu audire vniuerſaliter ſtudeatis. Idcirco vobis, venerabiles fratres, maxime debetur, quia præſentis vitæ luce deſpecta, contemptoque veſtrorum corporum cruciatu, ſæuientem mundum pro Dei amore vileſcere perenniter promiſiſtis, diuino cibo refecti ac ſatiati, & dominicis præceptis eruditi & firmati, poſt myſterii diuini conſummationem nullus paueſcat ad pugnam, ſed paratus ſit ad coronam.

II.

Quot orationes dominicas, ſi Dei ſeruitium audire nequiuerint, dicant.

Ceterum ſi aliquis frater negotio orientalis Chriſtianitatis forte remotus (quod ſæpius eueniſſe non dubitamus) pro tali abſentia Dei ſeruitium non audierit, pro Matutinis tredecim orationes dominicas, ac pro ſingulis horis ſeptem, ſed pro Veſperis nouem dicere collaudamus, ac libera voce vnanimiter affirmamus: iſti etenim in ſalutifero labore ita directi non poſſunt accurrere hora competenti ad diuinum officium; ſed, ſi fieri poteſt, horæ conſtitutæ non prætereant ante inſtitutum debitum.

III.

Quid agendum pro fratribus defunctis.

Quando vero quilibet fratrum remanentium morti, quæ nulli parcit, impendit quod eſt impoſſibile auferri, capellanis ac clericis vobiſcum ad terminum caritatiue ſummo ſacerdoti ſeruientibus, creditum officium & Miſſam ſolenniter pro eius anima Chriſto animi puritate iubemus offerre: fratres autem ibi adſtantes, & in orationibus pro fratris defuncti ſalute pernoctantes, centum orationes dominicas vſque ad diem ſeptimum pro fratre defuncto perſoluant: ab illo die quo eis obitus fratris denuntiatus fuerit, vſque ad prædictum diem, centenarius numerus perfectionis integritatem cum fraterna obſeruatione habeat. Adhuc nempe diuina ac miſericordi caritate

deprecamur, atque paſtorali auctoritate iubemus, vt quotidie, ſicuti fratri in vicibus dabatur & debetur, ita quod eſt neceſſarium ſuſtentationi huius vitæ, in cibo & potu tantum, cuidam pauperi donec ad quadrageſimum diem impendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte fratrum, & in paſchali ſolennitate, ceteriſque ſolennitatibus, Domino pauperum commilitonum Chriſti ſpontanea paupertas indiſcrete reddere conſueuerat, omnino prohibemus. ANNO CHRISTI 1127.

IV.

Capellani victum & veſtitum tantum habeant.

Alias vero oblationes, & omnia eleemoſynarum genera, quoquo modo fiant, capellanis, vel aliis ad tempus manentibus, vnitati communis capituli reddere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque eccleſiæ victum & amictum ſecundum auctoritatem tantum habeant, & nihil amplius habere præſumant, niſi magiſtri ſponte caritatiue dederint.

V.

De militibus defunctis qui ſunt ad terminum.

Sunt namque milites in domo Dei, templique Salomonis ad terminum miſericorditer nobiſcum degentes; vnde ineffabili miſeratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixe iubemus, vt ſi interim tremenda poteſtas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore, ac fraterna pietate, ſeptem dies ſuſtentationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

VI.

Vt nullus frater remanens oblationem faciat.

Decreuimus, vt ſuperius dictum eſt, quod nullus fratrum remanentium aliam oblationem agere præſumat: ſed die noctuque mundo corde in ſua profeſſione maneat, vt ſapientiſſimo prophetarum in hoc ſe æquipollere valeat: Calicem ſalutaris accipiam, & in morte mea mortem Domini imitabor: quia ſicut Chriſtus pro me animam ſuam poſuit, ita & ego pro fratribus animam ponere ſum paratus. Ecce competentem oblationem: ecce hoſtiam viuentem Deoque placentem.

Pſalm. 115.

ANNO CHRISTI 1117.

VII.

De immoderata ſtatione.

Quod autem auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione & ſine menſura ſtando diuinum officium vos audire, ita fieri non præcipimus, imo vituperamus; ſed finito pſalmo, Venite exultemus Domino, cum inuitatorio & hymno, omnes ſedere tam fortes quam debiles, propter ſcandalum euitandum, nos iubemus. Vobis vero reſidentibus, vnoquoque pſalmo finito, in recitatione Gloria Patri, de ſedibus veſtris ad altaria ſupplicando, ob reuerentiam ſanctæ Trinitatis ibi nominatæ, ſurgere, & debilibus inclinare demonſtramus. Sic etiam in recitatione euangelii, & ad Te Deum laudamus, & per totas Laudes, donec finito Benedicamus Domino, ſtare adſcribimus, & eamdem regulam in Matutinis ſanctæ Mariæ teneri iubemus.

VIII.

De refectione conuentus.

In vno quidem palatio, ſed melius dicitur refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, vbi, quando aliquid neceſſarium fuerit, pro ſignorum ignorantia, leniter ac priuatim quærere oportet. Sic omni tempore quæ vobis neceſſaria ſunt cum omni humilitate & ſubiectione reuerentiæ petite ad menſam, cum Apoſtolus dicat: *Panem tuum cum ſilentio manduca*; & Pſalmiſta vos animare debet, dicens: *Poſui ori meo cuſtodiam*, id eſt apud me deliberaui, *vt non delinquerem*, id eſt, *lingua*; id eſt, Cuſtodiebam os meum ne male loquerer. *2. Theſſ. 3.* *Pſalm. 38.*

IX.

De lectione.

In prandio & cœna ſemper ſit ſancta lectio recitata. Si Dominum diligimus, ſalutifera eius verba atque præcepta intentiſſima aure deſiderare debemus. Lector autem lectionum vobis indicat ſilentium.

X.

De carnis refectione.

In hebdomada namque, niſi natalis dies Domini, vel

pascha vel festum sanctæ Mariæ aut omnium sanctorum euenerit, vobis ter refectio carnis sufficiat: quia assueta carnis comestio intelligitur honorosa corruptio corporum. Si vero in die Martis tale ieiunium euenerit, vt esus carnium retrahatur, in crastino abundanter vobis impendatur. Die autem dominico omnibus militibus remanentibus, nec non capellanis, duo fercula in honorem sanctæ resurrectionis bonum & idoneum indubitanter videtur. Alii autem, videlicet armigeri & clientes, vno contenti, cum gratiarum actione permaneant. ANNO CHRISTI 1127.

XI.

Qualiter manducare milites debeant.

Duos & duos manducare generaliter oportet, vt solerter vnus de altero prouideat, ne asperitas vitæ, vel furtiua abstinentia in omni prandio intermisceatur. Hoc autem iuste iudicamus, vt vnusquisque miles aut frater æqualem & æquipollentem vini mensuram per se solus habeat.

XII.

Vt aliis diebus duo aut tria leguminum fercula sufficiant.

Aliis nam diebus, videlicet secunda & quarta feria, nec non & sabbato, duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum fercula, aut, vt ita dicam, cocta pulmentaria, omnibus sufficere credimus: & ita teneri iubemus, vt forte qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

XIII.

Quo cibo sexta feria reficere oportet.

Sexta autem feria cibum quadragesimalem ob reuerentiam passionis omni congregationi, remota infirmorum imbecillitate, semel sufficere a festo omnium sanctorum vsque in pascha, nisi natalis dies Domini vel festum sanctæ Mariæ aut apostolorum euenerit, collaudamus. Alio vero tempore, nisi generale ieiunium euenerit, bis reficiantur.

XIV.

Post refectionem semper gratias referant.

Post prandium vero & cœnam semper in ecclesia, si

ANNO CHRISTI 1127. prope est, vel, si ita non est, in eodem loco, summo procuratori nostro, qui est Christus, gratias, vt decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus: famulis aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reseruatis, distribuere fraterna caritate debent & iubentur.

XV.

Vt decimus panis semper eleemosynario detur.

Licet paupertatis præmium, quod est regnum cælorum, pauperibus procul dubio debeatur; vobis tamen, quos Christiana fides de illis indubitanter fatetur, decimum totius panis quotidie eleemosynario vestro dare iubemus.

XVI.

Vt collatio sit in arbitrio magistri.

* *forte* Iberiam Cum vero sol orientalem regionem deserit, & ad *Ibernam descendit, audito signo, vt est eiusdem regionis consuetudo, omnes ad Completas oportet incedere vos, ac prius generalem collationem sumere peroptamus. Hanc autem collationem in dispositione & arbitrio magistri ponimus, vt quando voluerit de aqua, & quando iubebit misericorditer ex vino temperato competenter recipiatur. Verum hoc non ad nimiam satietatem oportet & in luxu fieri, sed parcius; quia apostatare etiam sapientes videmus.

XVII.

Vt finitis Completis silentium teneatur.

Finitis itaque Completis ad stratum ire oportet. Fratribus igitur a Completoriis exeuntibus nulla sit denuo licentia loqui in publico, nisi necessitate cogente; armigero autem suo quæ dicturus est, leniter dicat. Est vero forsitan vt in tali interuallo vobis de Completorio exeuntibus, maxima necessitate cogente, de militari negotio, aut de statu domus nostræ, quia dies ad hoc vobis sufficere non creditur, cum quadam fratrum parte ipsum magistrum, vel illum cui domus dominium post magistrum est debitum, oporteat loqui. Hoc autem ita fieri iubemus: & ideo,

Prou. 10. quia ſcriptum eſt : *In multiloquio non effugies peccatum.* Et ANNO CHRISTI 1127.
Prou. 18. alibi : *Mores & vita in manibus linguæ.* In illo colloquio ſcurrilitates & verba otioſa ac riſum mouentia omnino prohibemus, & vobis ad lectulum euntibus dominicam orationem, ſi aliquis quid ſtultum eſt locutus, cum humilitate & puritatis deuotione dicere iubemus.

XVIII.

Vt fatigati ad Matutinas non ſurgant.

Fatigatos nempe milites non ita, vt vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad Matutinas collaudamus ; ſed aſſenſu magiſtri, vel illius cui creditum fuerit a magiſtro, eos quieſcere, & tredecim orationes conſtitutas ſic cantare, vt mens ipſorum voci concordet, iuxta illud Prophetæ :
Pſalm. 48. Pſalm. 137. *Pſallite Domino ſapienter.* & illud : *In conſpectu angelorum, pſallam tibi :* vos vnanimes collaudamus. Hoc autem in arbitrio magiſtri ſemper conſiſtere debet.

XIX.

Vt communitas victus inter fratres ſeruetur.

Act. 2. Legitur in diuina pagina : *Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat.* Ideo non dicimus, vt ſit perſonarum acceptio, ſed infirmitatum debet eſſe conſideratio. Vbi autem qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur : qui vero indiget humiliet ſe pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat, ſed communem vitam inſtanter teneant.

XX.

De qualitate & modo veſtimenti.

Veſtimenta autem vnius coloris ſemper eſſe iubemus, verbi gratia, alba, vel nigra, vel, vt ita dicam, burella. Omnibus autem militibus profeſſis in hieme & in æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam & albam ſuo Conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſque miles caſtus perſeuerauerit,

ANNO CHRISTI 1127. ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit; teſtante apoſtolo Paulo: *Pacem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Hebr. 12. Sed quia huiuſmodi indumentum arrogantiæ ac ſuperfluitatis æſtimatione carere debet, talia habere omnibus iubemus, vt ſolus leniter per ſe veſtire & exuere, & calceare ac diſcalceare valeat. Procurator huius miniſterii pervigili cura hoc vitare præſumat, ne nimis longa aut nimis curta, ſed menſurata ipſis vtentibus, ſecundum vniuſcuiuſque quantitatem, ſuis fratribus tribuat. Accipientes itaque noua, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in camera, vel vbi frater, cuius eſt miniſterium, decreuerit, propter armigeros & clientes, & quandoque pro pauperibus.

XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt pallia, non habeant.

Hoc nempe, quod erat in domo Dei ac ſuorum militum templi, ſine diſcretione ac conſilio communis capituli, obnixe contradicimus, & funditus quaſi quoddam vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba veſtimenta, vnde veniebant damna importabilia. Surrexerunt namque in vltramontanis partibus quidam pſeudofratres, coniugati & alii, dicentes ſe eſſe de templo, cum ſint de mundo. Hi nempe tantas contumelias totque damna militari ordini acquiſierunt, & clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt. Habeant igitur aſſidue nigra: ſed ſi talia non poſſint inuenire, habeant qualia inueniri poſſunt in illa prouincia qua degunt, aut quod vilius vnius coloris comparari poteſt, videlicet burella.

XXII.

Quod milites remanentes tantum alba habeant.

Nulli ergo conceſſum eſt candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, niſi nominatis militibus Chriſti.

XXIII.

Vt pellibus agnorum vtantur.

Decreuimus communi conſilio, vt nullus frater rema-

nens pelles perenniter, aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vſum corporis pertineat, etiamque cooperto- rium, niſi agnorum vel arietum, habeat. ANNO CHRISTI 1127.

XXIV.

Vt vetuſta armigeris diuidantur.

Procurator vel dator pannorum omni obſeruantia veteres ſemper armigeris & clientibus, & quandoque pauperibus, fideliter æqualiterque erogare intendat.

XXV.

Cupiens optima deteriora habeat.

Si aliquis frater remanens ex debito, aut ex motu ſuperbiæ, pulcra vel optima habere voluerit, ex tali præſumptione procul dubio viliſſima merebitur.

XXVI.

Vt quantitas & qualitas veſtimentorum ſeruetur.

Quantitatem ſecundum corporum magnitudinem largitatemque veſtimentorum obſeruare oportet: dator pannorum ſit in hoc curioſus.

XXVII.

Vt dator pannorum in primis æqualitatem ſeruet.

Longitudinem, vt ſuperius dictum eſt, cum æquali menſura, ne vel ſuſurronum vel * comminatorum aliquid oculus notare præſumat, procurator fraterno intuitu conſideret, & in omnibus ſupradictis Dei retributionem humiliter cogitet. * *forte* criminatorum

XXVIII.

De ſuperfluitate capillorum.

Omnes fratres, remanentes principaliter, ita tonſos habere capillos oportet, vt regulariter ante & retro, & ordinate, conſiderare poſſint; & in barba & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obſeruetur, ne ſuperfluitas aut facetiæ vitium denotetur.

XXIX.

De roſtris & laqueis.

De roſtris & laqueis manifeſtum eſt eſſe gentilitium.

Et

ANNO CHRISTI 1127. Et cum abominabile hoc omnibus agnoſcatur, prohibemus & contradicimus, vt aliquis ea non habeat, imo prorſus careat. Aliis autem ad tempus famulantibus roſtra & laquea, & capillorum ſuperfluitatem, & veſtium immoderatam longitudinem habere non permittimus, ſed omnino contradicimus. Seruientibus enim ſummo Conditori munditia interius exteriuſque valde neceſſaria, eo ipſo atteſtante, qui ait: *Eſtote mundi, quia ego mundus ſum.*

XXX.

De numero equorum & armigerorum.

Vnicuique veſtrorum militum tres equos licet habere, quia domus Dei templique Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impræſentiarum augere, niſi cum magiſtri licentia.

XXXI.

Nullus armigerum gratis ſeruientem feriat.

Solum autem armigerum ſingulis militibus eadem cauſa concedimus; ſed ſi gratis & caritatiue ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

Omnibus militibus ſeruire Ieſu Chriſto animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negotio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei neceſſarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde vero, ex vtraque parte æqualitate ſeruata, bonum & vtile appreciari equos iudicauimus. Habeatur itaque precium in ſcripto, ne tradatur obliuioni, & quidquid militi, vel eius equis, vel armigero, erit neceſſarium, adiunctis & ferris equorum ſecundum facultatem domus, ex eadem domo fraterna caritate impendatur. Si vero interim equos ſuos miles aliquo euentu in hoc ſeruitio amiſerit, magiſter, prout facultas domus hoc exigit alios adminiſtrabit. Adueniente autem termino repatriandi, medietatem precii ipſe miles diuino amore concedat, alteram ex communi fratrum, ſi ei placet, recipiat.

XXXIII.

ANNO CHRISTI 1127.

Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.

Conuenit his nempe militibus, qui nihil ſibi Chriſto carius exiſtimant, propter ſeruitium, ſecundum quod profeſſi, & propter gloriam ſummæ beatitudinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam indeſinenter magiſtro teneant. Tenenda eſt itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum a magiſtro fuerit, vel ab illo cui magiſter mandatum dederit, ſine mora, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo. De talibus enim ipſa Veritas dicit: *Ab auditu auris obediuit mihi.* Pſalm. 17.

XXXIV.

Si licet ire per villam ſine iuſſu magiſtri.

Ergo hoſpitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum ſeruientes, deprecamur, & firmiter eis iubemus, vt ſine magiſtri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præſumant, præterquam noctu ad ſepulcrum, & ad ſtationes quæ intra muros ſanctæ ciuitatis continentur.

XXXV.

Si licet eum ambulare ſolum.

Hi vero ita ambulantes, non ſine cuſtode, id eſt milite aut fratre remanente, nec in die nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque poſtquam hoſpitati fuerint, nullus miles vel armiger aut alius per atria aliorum militum cauſa videndi, vel cum aliquo loquendi ſine iuſſu, vt dictum eſt ſuperius, incedat. Itaque conſilio affirmamus, vt in tali domo ordinata a Deo nullus ſecundum proprietatem militet aut quieſcat, ſed ſecundum magiſtri imperium totus ſe incumbat vt illam Domini ſententiam imitari valeat, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui me miſit.* Ioan. 5.

XXXVI.

Vt nullus nominatim quod ei neceſſarium erit quærat.

Hanc proprie conſuetudinem inter cetera adſcribere iubemus, & cum omni conſideratione ob quærendi vi-

ANNO CHRISTI 1127. tium teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens assignanter & nominatim equum aut equitaturam vel arma quærere debet. Quomodo ergo? Si vero eius infirmitas, aut equorum suorum debilitas, vel armorum suorum grauitas, talis esse agnoscitur, vt sic incedere sit damnum commune, veniat magistro, vel cui est debitum ministerium post magistrum, & causam vera fide & pura ei demonstret: inde namque in dispositione magistri, vel post eum procuratoris, res se habeat.

XXXVII.

De frenis & calcaribus.

Nolumus vt omnino aurum vel argentum, quæ sunt diuitiæ peculiares, in frenis & pectoralibus, nec calcaribus, vel in streuis, vnquam appareant, nec alicui fratri remanenti emere liceat. Si vero caritatiue talia vetera instrumenta data fuerint, aurum vel argentum taliter coloretur, ne splendidus color vel decor ceteris arrogantia videatur. Si noua data fuerint, magister de talibus quod voluerit faciat.

XXXVIII.

Tegimen in hastis & clypeis non habeatur.

Tegimen autem in clypeis & hastis, & furellis in lanceis non habeatur, quia hoc non proficuum, imo damnum nobis omnibus intelligitur.

XXXIX.

De licentia magistri.

Licet magistro cuiquam dare equos vel arma, vel quamlibet rem cuilibet dare.

XL.

De mala & sacco.

Sacculus & mala cum firmatura non conceduntur: sic exponentur, ne habeant absque magistri licentia, vel cui creduntur domus post eum negotia. In hoc præsenti capitulo procuratores & per diuersas prouincias degentes non continentur, nec ipse magister intelligitur.

XLI.

De legatione literarum.*

ANNO CHRISTI 1127. * forte *lectione*

Nullatenus cuiquam fratrum liceat a parentibus ſuis, neque a quoquam hominum, nec ſibi inuicem, accipere vel dare ſine iuſſu magiſtri vel procuratoris. Poſtquam licentiam frater habuerit, in præſentia magiſtri, ſi ei placet, legantur. Si vero & a parentibus ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit magiſtro. In hoc autem capitulo magiſter & domus procuratores non continentur.

XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

Cum omne verbum otioſum generare agnoſcatur peccatum, quid ipſi iactantes de propriis culpis ante diſtrictum iudicem dicturi ſunt? Oſtendit certe propheta, ſi a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari. Vitamus igitur & audacter contradicimus, ne aliquis frater remanens, vt melius dicam, ſtultitias, quas in ſæculo in militari negotio tam enormiter egit, & carnis delectationes miſerrimarum mulierum, cum fratre ſuo, vel alio aliquo, vel de alio commemorare audeat: & ſi forte referentem aliquem talia audierit, obmuteſcere faciat, vel quantocius poterit cito pede obedientiæ inde diſcedat, & olei venditori aurem cordis non præbeat.

XLIII.

De quæſtu & acceptione.

Verum enimuero, ſi aliqua res ſine quæſtu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat magiſtro vel dapifero: ſi vero aliter ſuus amicus vel parens dare niſi ad opus ſuum noluerit, hoc prorſus non recipiat, donec licentiam a magiſtro ſuo habeat. At cui res data fuerit, non pigeat illi, ſi alteri datur: imo pro certo ſciat, quia, ſi inde iraſcitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta regula miniſtratores non continentur, quibus ſpecialiter hoc miniſterium debetur & conceditur de mala & ſacco.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1127.

XLIV.

De manducariis equorum.

Vtilis res est cunctis, hoc præceptum a nobis constitutum vt indeclinabiliter amodo teneatur. Nullus autem frater facere præsumat manducaria linea vel lanea, idcirco principaliter facta; nec habeat vlla, excepto profinello.

XLV.

Vt cambiare vel quærere nullus audeat.

Nunc aliquid restat, vt nullus præsumat cambiare sua, frater cum fratre, sine licentia magistri; & aliquid quærere, nisi frater fratri, & sit res parua, vilis, non magna.

XLVI.

Vt nullus auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.

Quod nullus auem cum aue accipere audeat nos communiter iudicamus: non conuenit enim religioni sic cum mundanis delectationibus inhærere, sed Domini præcepta libenter audire, orationibus frequenter incumbere, mala sua cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante, cum accipitre, vel alia aue, nullus frater remanens hac principali causa ire præsumat.

XLVII.

Vt nullus feram arcu vel balista percutiat.

Cum omni religione ire decet, simpliciter, & sine risu, humiliter, & non multa verba, sed rationabilia loqui, & non sic clamosa in voce. Specialiter iniungimus & præcipimus omni fratri professo, ne in bosco cum arcu aut balista* aut iaculari audeat, nec cum illo qui hoc fecerit ideo pergat, nisi gratia eum custodiendi a perfido gentili: nec cum cane sit ausus clamare vel garrulare; nec equum suum cupiditate accipiendi feram pungat.

* *forte* auem

XLVIII.

Vt leo semper feriatur.

Nam est certum, quod vobis specialiter creditum est & debitum, pro fratribus vestris animas ponere, atque in-

credulos, qui ſemper Virginis Filio minitantur, de terra delere. De leone enim hoc legimus, *quia ipſe circuit, quærens quem deuoret*; & *manus eius contra omnes, omniumque manus contra eum.* ANNO CHRISTI 1127.

1. Petr. 5.

Gen. 16.

XLIX.

De omni re ſuper vos quæſita iudicium audite.

Nouimus quidem perſecutores ſanctæ eccleſiæ innumerabiles eſſe, & hos, qui contentionem non amant, inceſſanter crudeliuſque inquietare feſtinant. In hoc igitur Concilii ſententia ſerena conſideratione pendeat, vt ſi aliquis in partibus orientalis regionis, aut in quocumque alio loco, ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus, & quod iuſtum fuerit indeclinabiliter vobis facere præcipimus.

L.

Vt hæc regula in omnibus teneatur.

Hæc eadem regula in omnibus rebus vobis immerito ablatis perenniter iubemus vt teneatur.

LI.

Quod licet omnibus militibus profeſſis terram & homines habere.

Diuina, vt credimus, prouidentia a vobis in ſanctis locis ſumpſit exordium hoc genus nouum religionis, vt videlicet religioni militiam admiſceretis, & ſic religio per militiam armata procedat, hoſtem ſine culpa feriat. Iure igitur iudicamus, cum milites templi dicamini, voſipſos, ob inſigne meritum & ſpeciale probitatis, domum, terram & homines habere, & agricolas poſſidere, & iuſte eos regere: & inſtitutum debitum vobis ſpecialiter debetur impendi.

LII.

Vt de male habentibus cura peruigil habeatur.

Male habentibus fratribus ſupra omnia adhibenda eſt cura peruigil, vt quaſi Chriſto eis ſeruiatur, vt illud euangelicum, *Infirmus fui, & viſitaſtis me*, memoriter teneatur: hi etenim diligenter ac patienter portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio indubitanter acquiritur.

Matth. 25.

ANNO CHRISTI 1127.

LIII.

Vt infirmis neceſſaria ſemper dentur.

Procuratoribus vero infirmantium omni obſeruantia atque peruigili cura præcipimus, vt quæcumque ſuſtentationi diuerſarum infirmitatum ſunt neceſſaria fideliter ac diligenter iuxta domus facultatem eis adminiſtrent, verbi gratia, carnem & volatilia, & cetera, donec ſanitati reſtituantur.

LIV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

Præcauendum nempe non modicum eſt, ne aliquis aliquem commouere ad iram præſumat, quia propinquitatis & diuinæ fraternitatis tam pauperes quam potentes ſumma clementia æqualiter adſtrinxit.

LV.

Quomodo fratres coniugati habeantur.

Fratres autem coniugatos hoc modo habere vobis permittimus, vt, ſi fraternitatis veſtræ beneficium & participationem petunt, vterque ſuæ ſubſtantiæ portionem, & quidquid amplius acquiſierint, vnitati communis capituli poſt mortem concedant, & interim honeſtam vitam exerceant, & bonum agere fratribus ſtudeant, ſed veſte candida, & chlamyde alba non incedant. Si vero maritus ante obierit, partem ſuam fratribus relinquat, & coniux de altera vitæ ſuſtentamentum habeat: hoc enim iniuſtum conſideramus, vt cum fratribus Deo caſtitatem promittentibus fratres huiuſmodi in vna eademque domo maneant.

LVI.

Vt amplius ſorores non habeantur.

Sorores quidem amplius periculoſum eſt coadunare; quia antiquus hoſtis femineo conſortio complures expulit a recto tramite paradiſi. Itaque, fratres cariſſimi, vt integritatis flos inter vos ſemper appareat, hac conſuetudine amodo vti non licet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LVII.

ANNO CHRISTI 1127.

Vt fratres templi cum excommunicatis non participent.

Hoc, fratres, valde cauendum atque timendum est, ne aliquis ex Christi militibus homini excommunicato nominatim ac publice aliquo modo se iungere, aut res suas accipere præsumat, ne anathema maranatha similiter fiat. Si vero interdictus tantum fuerit, cum eo participationem habere, & rem suam caritatiue accipere, non immerito licebit.

LVIII.

Qualiter milites sæculares recipiantur.

Si quis miles ex massa perditionis, vel alter sæcularis sæculo volens renuntiare, vestram communionem & vitam velit eligere, non ei statim assentiatur, sed, iuxta illud Pauli, *probate spiritus si ex Deo sunt*, & sic ei ingressus concedatur. Legatur igitur regula in eius præsentia, & si ipse præceptis expositæ regulæ diligenter obtemperauerit, tunc si magistro & fratribus eius recipere placuerit, conuocatis fratribus desiderium & petitionem suam cunctis animi puritate patefaciat: deinde vero terminus probationis in consideratione & prouidentia magistri, secundum honestatem vitæ petentis, omnino pendeat.

1. Ioan. 4.

LIX.

Vt omnes fratres ad secretum consilium non vocentur.

Non semper omnes fratres ad consilium conuocare iubemus, sed quos idoneos & consilio prouidos magister cognouerit. Cum autem de maioribus tractare voluerit, vt est dare communem terram, vel de ipso ordine disceptare, aut fratrem recipere, tunc omnem congregationem, si magistro placet, conuocare est competens; auditoque communis capituli consilio, quod melius & vtilius magister considerauerit, illud agatur.

LX.

Quod cum silentio orare debeant.

Orare fratres, prout animi & corporis affectus postulauerit, stando vel sedendo, tamen summa cum reuerentia,

ANNO CHRISTI 1127. tia, simpliciter, & non clamose, vt vnus alium non conturbet, communi consilio iubemus.

LXI.

Vt fidem seruientium accipiant.

Agnouimus nempe complures ex diuersis prouinciis, tam clientes, quam armigeros, pro animarum salute animo feruenti ad terminum cupientes in domo nostra mancipari: vtile est autem vt fidem eorum accipiatis, ne forte veteranus hostis in Dei seruitio aliquid furtiue vel indecenter eis intimet, vel a bono proposito repente exterminet.

LXII.

Vt pueri quamdiu sunt parui non accipiantur inter fratres templi.

Quamuis regula sanctorum patrum pueros in congregatione permittat habere, nos de talibus non collaudamus vos vnquam onerare. Qui vero filium suum, vel propinquum, in militari religione perenniter dare voluerit, vsque ad annos, quibus viriliter armata manu possit inimicos Christi de terra sancta delere, eum nutriat: dehinc secundum regulam in medio fratrum pater vel parentes eum statuant, & suam petitionem cunctis patefaciant. Melius est enim in pueritia non vouere, quam, postea-quam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

LXIII.

Vt senes semper venerentur.

Senes autem pia consideratione secundum virium imbecillitatem supportare ac diligenter honorare oportet, & nullatenus in his quæ corporis sunt necessaria districte teneantur, salua tamen auctoritate regulæ.

LXIV.

De fratribus qui per diuersas prouincias proficiscuntur.

Fratres vero qui per diuersas prouincias diriguntur, regulam, inquantum vires expetunt, seruare in cibo & potu & ceteris studeant, & irreprehensibiliter viuant, vt ab his qui foris sunt bonum testimonium habeant: religionis propositum nec verbo nec actu polluant, sed maxime

omnibus, quibus se coniunxerint, sapientiæ & bonorum operum exemplum & condimentum præbeant. Apud quem hospitari decreuerint, fama optima sit decoratus, &, si fieri potest, domus hospitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebrosus hostis occisionem, quod absit, inferat: vbi autem milites non excommunicatos congregare audierint, illuc pergere, non considerantes tam temporalem vtilitatem quam æternam animarum illorum salutem, dicimus. Illis autem fratribus in vltramarinis partibus spe subuectionis ita directis hac conuentione eos qui militari ordini se iungere perenniter voluerint recipere collaudamus, vt in præsentia episcopi illius prouinciæ vterque conueniat, & voluntatem petentis præsul audiat: audita itaque petitione, mittat eum frater ad magistrum & ad fratres qui sunt in templo quod est in Ierusalem, &, si vita eius est honesta talique consortio digna, misericorditer suscipiatur, si magistro & fratribus bonum videtur. Si vero interim obierit, pro labore & fatigatione, quasi vni ex fratribus, totum beneficium & fraternitas pauperum & commilitonum Christi ei impendatur. ANNO CHRISTI 1127.

LXV.

Vt victus æqualiter omnibus distribuatur.

Illud quoque congrue & rationabiliter manutenendum censemus, vt omnibus fratribus remanentibus victus secundum loci facultatem æqualiter tribuatur: non enim est vtilis personarum acceptio, sed infirmitatum necessaria est consideratio.

LXVI.

Vt milites templi decimas habeant.

Credimus namque relictis affluentibus diuitiis vos spontaneæ paupertati esse subiectos, vnde decimas vobis communi vita viuentibus iuste habere hoc modo demonstrauimus. Si episcopus ecclesiæ, cui decima iuste debetur, vobis caritatiue eam dare voluerit, assensu communis capituli de illis decimis quas tunc ecclesia possidere videtur vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio suo damnabiliter amplectitur,

ANNO CHRISTI 1127. & seipsum in hoc valde redarguens vobis eamdem reliquerit, ad nutum eius qui præest tantum, sine consensu capituli id agere potest.

LXVII.

De leuibus & grauibus culpis.

Si aliquis frater loquendo vel militando, aut aliter, aliquid leue deliquerit, ipse vltro delictum suum satisfaciendo magistro ostendat. De leuibus, si consuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeat. Si vero eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, maiori & euidentiori subiaceat disciplinæ & emendationi. Si autem graue erit delictum, retrahatur a familiaritate fratrum, nec cum illis simul in eadem mensa edat, sed solus refectionem sumat. Dispensationi & iudicio magistri totum incumbat, vt saluus in iudicii die permaneat.

LXVIII.

Qua culpa frater non amplius recipiatur.

Ante omnia prouidendum est, ne quis frater potens aut impotens, fortis aut debilis, volens se exaltare & paulatim superbire, ac culpam suam defendere, indisciplinatus maneat: sed, si emendare noluerit, ei districtior correptio accedat: quod si piis admonitionibus, & fusis pro eo orationibus, emendare noluerit, sed in superbia magis ac magis se erexerit, tunc, secundum Apostolum, de pio eradicetur grege: *Auferte malum ex vobis*, necesse est vt a so- 1. Cor. 5.
cietate fratrum fidelium ouis morbida remoueatur. Ceterum magister, qui baculum & virgam manu tenere debet (baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates sustentet, virgam quoque qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat) consilio patriarchæ & spirituali consideratione id agere studeat, ne, vt ait beatus Maximus, aut solutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata seueritas a lapsu non reuocet delinquentem.

LXIX.

Vt a paschali solennitate vsque ad festum omnium sanctorum vnam camisiam lineam tantum sumere habeat.

Interea, pro nimio ardore orientalis, regionis misericor-

diter consideramus, vt a paschali festiuitate vsque ad omnium sanctorum solennitatem vnicuique vna camisia linea tantum, non ex debito, sed sola gratia detur, illi dico qui ea vti voluerit : alio autem tempore generaliter omnes camisias laneas habeant. ANNO CHRISTI 1127.

LXX.

Quot & quales panni in lecto sint necessarii.

Singulorum quidem, non aliter, per singula lecta dormientium dormire nisi permaxima causa vel necessitas euenerit, communi consilio collaudamus. Lectualia vel lectisternia moderata dispensatione magistri vnusquisque habeat : credimus enim potius saccum, culcitram, & coopertorium vnicuique sufficere. Qui vero ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id est veluso, frui bene licebit : vestiti autem camisiis dormiant, & cum femoralibus semper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vsque mane nunquam desit lucerna.

LXXI.

De vitanda murmuratione.

Æmulationes inuidas, liuorem, murmur, susurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quasi quamdam pestem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnusquisque vigilante animo, ne fratrem suum clam culpet aut reprehendat, sed illud Apostoli studiose secum animaduertat : *Ne sis criminator, nec susurro in populo.* *Leuit. 19.* Cum autem fratrem liquido aliquid peccasse agnouerit, pacifice & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter se & illum solum corripiat : &, si eum non audierit, alium fratrem adhibeat ; sed si vtrumque contempserit, in conuentu publice obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis sunt qui aliis detrahunt : & nimiæ infelicitatis sunt qui se a liuore minime custodiunt ; vnde in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur.

LXXII.

Vt omnium mulierum fugiantur oscula.

Periculosum esse credimus omni religioso vultum mu-

ANNO CHRISTI 1127. lierum nimis attendere : & ideo nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec sororem, nec amitam, nec vllam aliam feminam, aliquis frater osculari præsumat. Fugiat ergo feminea oscula Christi militia, per quæ solent homines sæpe periclitari, vt pura conscientia & secura vita in conspectu Domini perenniter valeat conuersari. Et sic desinit regula templariorum olim equitum, de quibus vide origines nostras equestres Latine & Gallice editas.

[a] CONCILIVM LONDONIENSE II.

PRO REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIÆ celebratum in Anglia anno Domini MCXXVII. tempore Honorii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Quo loco & tempore, quo auctore, quave de causa & occasione hæc Synodus indicta, quid in ea constitutum fuerit, qui eidem præsentes interfuerint, prædictus continuator Florentii Vvigornienſis huius temporis scriptor multo fidelius quam Matthæus Paris, qui suo vicissim more calumniatur, descripsit allegato loco his verbis : *Guilielmus Dorobernensis archiepiscopus congregauit generale Concilium, omnium episcoporum & abbatum, & quarumque religiosarum personarum totius Angliæ, apud monasterium sancti Petri in occidentali parte Londoniæ situm. Cui Concilio præsedit ipse sicut archiepiscopus Cantuariæ & legatus apostolicæ sedis, considentibus secum Guilielmo Vvintonienſi episcopo, Rogero Saresbirienſi, Guilielmo Exceſtrenſi, Alexandro Lincolnienſi, Herueo Elienſi, Euerardo Norvvicenſi, Sigefrido Ciceſtrenſi, Ricardo Herefordenſi, Godefrido Bathonienſi, Ioanne Roffenſi, Bernardo de sancto Dauid, Vrbano Glamorgatenſi siue Landauenſi, Dauid Bangornenſi. Ricardus Londonienſis & Robertus Couentrenſis iam obierant, nec aliquis in sedem illorum eousque succesſerat. Turſtanus autem Eboracenſis archiepiscopus directis nuntiis ac literis, rationabili causa ostendit se Conuentui ipsi intereſſe non potuisse. Randulphus vero Dunholmenſis episcopus eo tendens infirmitate correptus est, nec iter cœptum perficere potuit, sicut prior ecclesiæ, & clerici quos illuc direxerat, sub testimonio veritatis atteſtati sunt. Vvigornenſis autem episcopus Simon ad parentes suos trans mare iuerat, & nondum reuerſus erat. Confluxerant quoque illuc magnæ multitudines clericorum, laicorum, tam diuitum quam mediocrium, & factus est Conuentus grandis & inæstimabilis. Sedit autem tribus diebus, id est tertio Idus Maii, & die sequenti, tertioque post hoc, qui fuit decimus septimus Kalendas Iunii, acta sunt ibi de negotiis sæcularibus nonnulla, quædam quidem determinata, quædam dilata, quædam vero propter nimium æstuantis turbæ*

Locus, tempus, causa, & acta Concilii.

tumultum, ab audientia iudicantium profligata. Quæ autem communi episcoporum consensu in ipso Concilio decreta sunt & statuta, sicut illic publice recitata sunt & suscepta, in hoc opere placuit annotare. Sunt igitur hæc. ANNO CHRISTI 1127.

CAPITVLA.

I.

Ecclesias & ecclesiastica beneficia, seu quoslibet ecclesiasticos honores, vendi vel emi, auctoritate beati Petri apostolorum principis & nostra, omnino prohibemus. Qui vero hoc præceptum violasse conuictus fuerit, clericus quidem, etiamsi canonicus regularis sit vel monachus, ab ordine deponatur, laicus vero exlex & excommunicatus habeatur, & eiusdem ecclesiæ vel beneficii potestate priuetur.

II.

Ordinari quemquam per pecuniam in ecclesia Dei, vel promoueri, auctoritate sedis apostolicæ modis omnibus interdicimus.

III.

Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis monachis, canonicis, & sanctimonialibus, condemnamus.

IV.

Nullus in decanum nisi presbyter, nullus in archidiaconum nisi diaconus constituatur. Quod si quis ad hos honores infra prædictos ordines iam designatus est, moneatur ab episcopo ad ordines accedere. Quod si iuxta monitionem episcopi ordinari refugerit, eadem ad quam designatus fuerat careat dignitate.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1127.

V.

Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omnibus canonicis, contubernia mulierum illicitarum penitus interdicimus. Quod si concubinis, quod absit, vel coniugibus adhæserint, ecclesiastico priuentur ordine, honore, simul & beneficio. Presbyteros vero parochiales, si qui tales fuerint, extra chorum eiicimus, & infames esse decernimus. Archidiaconis vero & ministris, quibus hoc incumbit, auctoritate Dei & nostra præcipimus, vt omni studio & solicitudine procurent ab ecclesia Dei hanc perniciem omnino eradicare. Quod si qui in hoc negligentes, vel, quod absit, consentientes inuenti fuerint, primo & secundo ab episcopis digne corrigantur, tertio vero canonice seuerius corripiantur. Concubinæ vero presbyterorum & canonicorum, nisi ibi legitime nupserint, extra parochiam expellantur. Quod si postea culpabiles inuentæ fuerint, in cuiuscumque territorio sint, a ministris ecclesiæ capiantur, & sub excommunicatione præcipimus, ne ab aliqua potestate minore vel maiore detineantur, sed libere eisdem ministris ecclesiæ tradantur, & ecclesiasticæ disciplinæ vel seruituti episcopali iudicio mancipentur.

VI.

Vt nullus archidiaconus in diuersis episcopatibus diuersos archidiaconatus teneat sub anathemate prohibemus: imo ei cui prius assignatus erat tantum adhæreat.

VII.

Episcopi, presbyteros, abbates, monachos,

priores ſubiectos, firmam tenere inhibeant. ANNO CHRISTI 1127.

VIII.

Decimas ſicut Dei ſummi dominicas, ex integro reddi præcipimus.

IX.

Vt nulla perſona eccleſias vel decimas, ſeu quælibet alia eccleſiaſtica beneficia, det vel accipiat, ſine conſenſu & auctoritate epiſcopali, canonica auctoritate vetamus.

X.

Nulla abbatiſſa vel ſanctimonialis carioribus vtatur indumentis, quam agninis vel cattinis.

Rex igitur cum inter hæc Londoniæ moraretur, auditis Concilii geſtis conſenſum præbuit, auctoritate regia & poteſtate conceſſit, & confirmauit ſtatuta Concilii a Guilielmo Cantuarienſi archiepiſcopo & ſanctæ Romanæ eccleſiæ legato apud Veſtmonaſterium celebrati. Hæc ille.

[a] CONCILIVM RAVENNATE, QVO AQVILEIENSIS ET VENETIARVM patriarchæ depoſiti ſunt, anno MCXXVIII. tempore Honorii papæ II. ANNO CHRISTI 1128.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De rebus in hac Synodo geſtis iſta breuiter Baronius: *Quo tempore miſit Petrum presbyterum cardinalem tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Rauennam, vbi congregata Synodo depoſuit Aquileienſem & Venetiarum patriarchas. hæc in veteri pontificali. Quæ autem cauſa interceſſerit horum condemnationis, non inuenimus.*

VITA ET EPISTOLÆ INNOCENTII PAPÆ II. ANNO CHRISTI 1130.

Innocentius quando pontifex factus.

INNOCENTIVS ſecundus, nobili familia Romæ natus, Gregorii nomine ante pontificatum appellatus, cuius vita & fama, teſte ſancto Bernardo in epiſtola ad epiſcopos Aquitaniæ, nullum æmulum timent, ex cardinale dia-

diacono ſancti Angeli, legitima & canonica electione præuia, potiſſimorum ſuffragantium cardinalium voto creatus eſt ſucceſſor Honorii ſecundi, decimaſexta Kalendas Martii, die eodem quo Honorius defunctus eſt, anno Domini MCXXX. tempore Lotharii imperatoris. Vna pars cardinalium pauciſſimorũ Petrum cardinalem, Leonis potentiſſimi ciuis Romani filium, hominem, teſte Bernardo, epiſtola 127. nec vnius viculi poteſtate dignum, ſchiſmaticum antipapam crearunt, eique Anacleti, vt ait ſanctus Bernardus epiſtola 124. antichriſti & abominationis nomen impoſuerunt, maximoque ſchiſmati cauſam dederunt. Cui dum Innocentius, inquit Friſingenſis, propter violentiam amicorum eius qui in Vrbe erant, & potentiam Rogerii Siculi, cuius fauore in ſedem intruſus fuerat, reſiſtere non valeret, tranſcenſis alpibus in Franciam ſe contulit, celebratiſque ibidem Rhemenſi, Claromontano & Piſano Conciliis, antipapam eiuſque fautores excommunicauit. Inde comitatu ſancti Bernardi abbatis ſtipatus Leodium profectus, conuocata ibidem epiſcoporum Synodo, Lotharium regem ad defenſionem Romanæ eccleſiæ inuitauit. Cumque iſta occaſione Lotharius Cæſar inueſtituras magno cum detrimento imperii eccleſiæ reſtitutas ſibi reddi fruſtra poſtulaſſet, nihilque ſe a pontifice impetrare poſſe cognouiſſet, auxilium quod petebatur promiſit & attulit.

Anacletus papa ſchiſmaticus contra Innocentium electus.

Nam, cum Vrbem vix ingreſſus fuiſſet, Rogerium omneſque ſchiſmatici fautores oppreſſit & fugauit; cumque Innocentium ſeptimo anno, quam ab Vrbe in Galliam & Germaniam diſceſſiſſet, ſedi & Vrbi reſtituiſſet, in eccleſia ſancti Saluatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, ab eodem coronatus imperatoris & Auguſti nomen adeptus fuit. Hæc ex Friſingenſi, Viterbienſi, Roberto continuatore Sigeberti, & abbate Vrſpergenſi.

Lotharius coronatur.

Huius temporibus Petrus Abailardus hæreſiarcha Britannus & ſummus philoſophus docebat præter Deum aliquid externum, & inter Creatorem & creaturam tertium aliquod eſſe conſtituendum; Chriſtum non aſſumpſiſſe carnem vt hominem liberaret; Timorem Domini caſtum non eſſe in futuro ſæculo. De Trinitate Arium, de perſona Chriſti Neſtorium, de gratia Pelagium, deque aliis

Abailardi hæreſes quæ.

pluribus hæresibus plures alios hæreticos sectabatur. Sanctus Bernardus in epist. & Petrus de Lutzenburgo.

Petrobusianorum hæreses.

Hoc eodem tempore Petrus de Bruis sacramentarios Petrobusianos & apostolicos multis erroribus deformes creauit. Petrus Cluniacensis epistola secunda,& alibi, Bernardus epistola 241. *&c.* Lotharius post restitutum Innocentium ex Italia rediens apud Tridentum, vt Frisingensis, apud Veronam, vt Viterbiensis ait, morbo correptus, in ipsis montibus in vilissima casa imperator potentissimus miseram humanæ conditionis relinquens memoriam anno regni sui decimotertio obiit. Per electionem principum in Conuentu Moguntiæ celebrato designatus est successor regni Conradus dux Sueuorum Henrici imperatoris IV. ex sorore nepos.

Lothario defuncto Conradus dux Sueuorum subrogatur.

Circa eadem tempora anno octauo, postquam sedem apostolicam inuaserat Petrus siue Anacletus pseudopontifex, Dei iudicio, auctore Roberto continuatore Sigeberti,percussus obiit. Cumque ab eo ordinatos degradari, nec vltra ad sacros ordines promoueri, Innocentius pontifex decreuisset, eius sectarii cardinales alium quemdam Victorem IV. in schismate subrogarunt: verum cum paucos menses sedem detinuisset, auctore sancto Bernardo, qui septem annos in hoc schismate tollendo desudauit, pontificatum vltro resignauit. Post hæc innocentis vitæ famæque integerrimæ pontifex Innocentius obiit octauo Kalendas Octobris, anno Domini MCXLIII. cum sedisset annos quatuordecim, menses septem, dies octo. Vrspergensis in chronico scribit eum annos dumtaxat tredecim, menses septem pontificiam sedem obtinuisse.

Anacleto antipapæ Victor antipapa substituitur.

Obitus Innocentii papæ.

EPISTOLA I.
INNOCENTII PAPÆ II.
AD RAINALDVM RHEMENSEM, HVGONEM ROTHOMAGENSEM, HVGONEM TVRONENSEM, archiepiscopos, eorumque suffraganeos.

De parricidio sancti Thomæ.

GRAVIORA delicta, *&c. Extat in Concilio Iotrensi post epistolas infra posito.*

EPISTOLA II.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD LOTHARIVM ET RICHIZAM.

Concedit allodium terrarum comitissæ Mathildæ.

Innocentius papa II. Lothario imperatori Augusto & Riget imperatrici.

SI auctoritas sacra pontificum & potestas imperialis vere glutino caritatis adinuicem complentur, omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in præsenti sæculo est pontifice clarius, nihil rege sublimius, nihil est quod lumine clariore præfulgeat quam recta fides in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias, in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor iustitiæ extitisse cognosceris, & nouissime diebus istis, nec personæ tuæ, nec propriæ parcendo pecuniæ, pro beati Petri seruitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire, dignum profecto est, vt nos, qui, disponente Domino, vniuersis catholicæ ecclesiæ filiis debemus solicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus, & tamquam specialissimo ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum imperii in suo robore conseruandum, & vtilitatem ac liberationem catholicæ ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium, quam temporaliter imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu allodium bonæ memoriæ comitissæ Mathildæ, quod vtique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex apostolicæ sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, nec non principum & baronum, per annulum inuestimus: ita videlicet vt centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exoluas, & post tuum obitum proprietas ad ius & dominium sanctæ

Romanæ eccleſiæ cum integritate abſque diminutione & moleſtia reuertatur. Quod ſi nos vel ſucceſſores noſtros in eamdem terram venire, manere, tranſire oportuerit; tam in ſuſceptione, quam in procuratione, atque ſecuro conductu, prout apoſtolica ſedes decreuerit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro & nobis noſtriſque ſucceſſoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro caritate veſtra nobili viro Henrico Bauariæ duci genero veſtro, & filiæ veſtræ vxori eius, eamdem terram cum præfato cenſu & ſupradictis conditionibus apoſtolica benignitate concedimus; ita tamen vt idem dux hominium faciat & fidelitatem beato Petro, ac nobis noſtriſque ſucceſſoribus iuret. Poſt quorum obitum prædictum comitiſſæ Mathildæ allodium & ius & dominium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſicut ſupradictum eſt, integrum & abſque diminutione atque difficultate aliqua reducatur; ſaluo tamen ſemper in omnibus eiuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ iure ac proprietate. Datum Laterani ſexto Idus Iunii.

EPISTOLA III.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD ATTONEM EPISCOPVM PISTORIENSEM.

De immunitate eccleſiæ Piſtorienſi conceſſa.

Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Attoni Piſtorienſi epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus canonice promouendis, in perpetuum.

PISTORIENSIS eccleſia, largiente auctore omnium bonorum Domino, in Tuſciæ partibus a longe retro temporibus huius ſpecialis prærogatiuæ munus obtinuit, vt ſapientum & diſcretorum paſtorum regimine præfulgeret, & tam in ſpiritualibus quam in temporalibus per eorum induſtriam gratum Deo ſuſciperet incrementum. Gaudemus equidem, & debita iucunditate lætamur, quoniam ſupernæ diſpoſitionis prouidentia te, venerabilis frater Atto epiſcope, ſapientem vtique virum, & in religione probatum, eiuſdem loci paſtorem conſtituit, & ad gubernandum & inſtruendum doctrinæ & vitæ exemplo

populum ſuum miſeratione diuina vocauit. Quanto igitur vita tua religioſior eſt, & præfata Piſtorienſis eccleſia, cui auctore Deo præſides, exiſtit beato Petro deuotior, tanto ex iniuncto apoſtolatus officio magis grata nobis incumbit neceſſitas, vt prænominatam eccleſiam tibi a Deo commiſſam auctoritate apoſtolica priuilegiis muniamus, & ei ius ſuum illibate & integre obſeruemus. Ad exemplar igitur prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Vrbani & Paſchalis Romanorum pontificum præſenti decreto ſtatuimus, vt vniuerſa quæ impræſentiarum eadem eccleſia iuſte & legitime poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma ſint tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Statuimus etiam vt diœceſis Piſtorienſis epiſcopatus, ſicut eius termini prædictorum noſtrorum priuilegiis diſtincti ſunt, ſic in iure & conditione Piſtorienſi epiſcopo ſine alicuius moleſtia vel inquietudine perſeuerent; per quos nimirum terminos ſubſcriptæ capellæ & eccleſiæ conſtitutæ eſſe noſcuntur.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Innocentius catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Vvilielmus Prænestinus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Matthæus Albanenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ioannes tituli S. Chryſogoni preſbyter cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gottifredus cardinalis preſbyter tituli S. Iuſtinæ ſubſcripſi.
*Ioannis Ego Lucas preſbyter cardinalis tituli ſanctorum * Petri & Pauli ſubſcripſi.
Ego Martinus preſbyter cardinalis tituli ſancti Stephani in Cælio monte ſubſcripſi.
Ego Gregorius diaconus cardinalis tituli ſanctorum Sergii & Bacchi ſubſcripſi.
Ego Guido diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Via lata ſubſcripſi.
Ego Odo diaconus cardinalis ſancti Georgii ſubſcripſi.
Ego Ioannes diaconus cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano ſubſcripſi.

Datum Piſis per manum Haimerici ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis & cancellarii, XII. Kalendas Ianuarii, indictione duodecima, incarnationis dominicæ MCXXXIII. pontificatus vero domini Innocentii papæ II. anno quarto.

EPISTOLA IV.

INNOCENTII PAPÆ II. AD VVILIELMVM HIEROSOLYMITANVM PATRIARCHAM.

In cauſa Tyriæ diœceſis.

Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Vvilielmo Hieroſolymitano patriarchæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MAGISTERIVM totius eccleſiæ & eccleſiaſticæ inſtitutionis beato Petro apoſtolorum principi cæleſti priuilegio eſſe collatum euangelica declarat auctoritas. *Et infra:* Miramur autem, quoniam cum Romana eccleſia pro liberatione orientalis eccleſiæ tantopere laborauerit, & filiorum multorum ſanguinem effundendo, corda tam eccleſiaſticorum quam ſæcularium ad eius ſeruitium excitauerit, nequaquam, prout conuenit, eidem matri ſuæ hac vice reſpondere curaſti: partim enim tibi viſum fuerat, quod venerabilem fratrem noſtrum Fulcherum Tyrenſem archiepiſcopum, more prædeceſſorum ſuorum pro ſuſceptione pallii ad Romanam eccleſiam venientem diſturbare præſumpſeras, niſi & erga eum a nobis redeuntem te inhumanum difficilemque & nimis aſperum exhiberes: adeo quod nec antiquam dignitatem Tyrenſis eccleſiæ ſibi reſtituere, nec de damnis ſibi illatis, aut etiam de Caipha, ſiue Porphyria, iuxta mandatum noſtrum, infra tres menſes poſt acceptionem noſtrarum literarum ei iuſtitiam facere volueris: cum vtique ſatis indignum ſit vt honor qui ſibi, ſi ei obediret, ab Antiochena exhiberetur eccleſia, a te vel tuis ſucceſſoribus ſubtrahatur. Præterea in ſubiectos illius nimis poteſtatiue diceris te habere. Quocirca auctoritate apoſtolica mandando tibi præcipimus, ſicut eiuſdem matris tuæ piis optas ſtudiis atque ſolatiis confoueri, ſicut in tuis neceſſitatibus eius patrociniis deſideras adiuuari, iam dictum archiepiſcopum diligas & honores, & in nullo perturbare præſumas: quin potius de omnibus, de quibus apud te querimoniam depoſuerit, ſibi plenam iuſtitiam infra quadraginta dies poſt-

quam præsentia scripta susceperis, exhibere non differas, nec aliquid in subditos suos contra statuta Canonum præsumas: alioquin timendum tibi est, ne tam ipsum quam suffraganeos suos a tua obedientia subtrahamus, eosque in manu nostra retineamus. Data Laterani XVI. Kalendas Ianuarii.

EPISTOLA V.
INNOCENTII PAPÆ II.
AD VVILIELMVM HIEROSOLYMITANVM.

Eiusdem argumenti.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo Hierosolymitano patriarchæ salutem & apostolicam benedictionem.

QVANTO munificentiæ supernæ benignitas Hierosolymitanam ecclesiam tuis temporibus altius sublimauit, tanto magis expedit personam tuam erga fratres suos humaniorem existere, & eos, qui tibi obedientiam exhibent, caritate mutua honorare. Proinde fraternitati tuæ mandamus, quatenus venerabilem fratrem nostrum Fulcherium Tyrensem archiepiscopum, qui ex mandato sanctæ Romanæ ecclesiæ tibi obedit, fraterni amoris intuitu diligas & honores: solicite prouidens, ne sibi grauamen aliquod inferas; vel sub obtentu huiuscemodi subiectionis, quæ vtique ex beneficentia apostolicæ sedis tibi & ecclesiæ Hierosolymitanæ impenditur, Tyrensis ecclesia nobilis & famosa suæ iustitiæ aut dignitatis patiatur aliquod detrimentum. Indignum est enim vt honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochia exhiberetur, a te vel tuis successoribus subtrahatur. Data Albani decimosexto Kalendas Augusti.

EPISTOLA VI.
INNOCENTII PAPÆ II.
AD GERARDVM TRIPOLITANVM, R. TORTOSANVM ET H. BYBLITANVM EPISCOPOS.

Eiusdem argumenti.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Gerardo Tripolitano, R. Tortosano, & H. Byblitano, episcopis salutem & apostolicam benedictionem.

SCIRE debet vestra fraternitas, quoniam status ecclesiæ tunc clarius eluceſcit, cum gradus in ea constituti illæsi seruantur, & quæ debetur prælatis singulis absque contentione seu contradictione reuerentia exhibetur. Vnumquemque etenim ex his qui subiecti sunt considerare conuenit, quanta suos prælatos, si quos habeat, reuerentia & honorificentia debeat honorare: quæ si iniuste & immerito subtrahantur, vnitatis status profecto nutabit, ad quem ecclesiastica doctrina ob maiorem firmitatem diligenti consideratione omnia in se ordinando reduxit. Ne igitur ecclesiarum vestrarum honor vel dignitas ob contentionem seu rebellionem indebitam minuatur vel annulletur, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus venerabili fratri nostro Fulcherio Tyrensi archiepiscopo tamquam metropolitano vestro debitam obedientiam & reuerentiam deferatis. Nos enim vos & ecclesias vestras Tyrensi ecclesiæ, quæ vestra metropolis est, auctoritate apostolica restituimus, & a iuramento vel fidelitate, qua patriarchæ Antiocheno estis adstricti, eodem modo absoluimus. Si vero nostris mandatis obedire, & intra tres menses post harum acceptionem literarum ad obedientiam prædicti fratris nostri redire neglexeritis, sententiam, quam ipse in vos canonice promulgabit, nos auctore Deo ratam habebimus. Datum Laterani decimosexto Kalendas Februarii.

EPI-

EPISTOLA VII.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD RADVLPHVM PATRIARCHAM ANTIOCHENVM.

Eiusdem argumenti.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Radulpho Antiocheno patriarchæ salutem & apostolicam benedictionem.

SANCTORVM Canonum institutionibus continetur, vt vnusquisque suis terminis contentus existat, nec in aliena iura irrepat. Ea etiam quæ nobis fieri nolumus, tam diuinis quam humanis legibus, proximis nostris facere prohibemur. Quæ cum ita sint, fraternitati tuæ mandamus, quatenus suffraganeos Tyrensis ecclesiæ non impedias, quin venerabili fratri nostro Fulcherio archiepiscopo, metropolitano suo, debitam obedientiam & reuerentiam deferant: alioquin canonicis sanctionibus contraitur, si metropolitanis a suis suffraganeis obedientia subtrahatur. Optamus enim vt circa prælatos & subditos suum ius & proprius ordo absque contradictione seruetur. Datum Laterani decimosexto Kalendas Februarii.

EPISTOLA VIII.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD BALDVINVM BERYCENSEM, BERNARDVM SIDONIENSEM, ET IOANNEM PTOLEMAIDENSEM episcopos.

Eiusdem argumenti.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Balduino Berycensi, Bernardo Sidonienſi, Ioanni Ptolomaidensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.

AD hoc sancti patres diuersos esse in ecclesia gradus & ordines voluerunt, vt, dum subiectionem & reuerentiam minores maioribus exhibent, vnâ fieret ex diuersitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Grauat autem nos, & valde miramur, quod

cum vobis iampridem literis apoſtolicis præceperimus, vt venerabili fratri noſtro Fulcherio Tyrenſi archiepiſcopo, metropolitano veſtro, obedientiam & reuerentiam exhiberetis, quaſdam occaſiones & interpretationes minus
1. Reg. 15. idoneas prætendendo, id facere contempſiſtis: cum vtique quaſi peccatum ariolandi ſit repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Mandamus itaque vobis, & auctoritate apoſtolica iterato præcipimus, quatenus omni occaſione ſubmota eidem fratri noſtro de cetero pareatis: nec ſub obtentu obedientiæ, quam alicui primati dependitis, ſibi ſubiectionem & reuerentiam metropolitano veſtro debitam aliquatenus ſubtrahatis. Quod ſi contemptores vlterius extiteritis, ſententiam, quam idem archiepiſcopus in vos canonice protulit aut protulerit, nos auctore Domino ratam habebimus. Si vero pro eo quod eidem fratri noſtro obdieritis a patriarcha Hieroſolymitano aliquid contra vos fuerit conſtitutum, nos eamdem ſententiam viribus carere decernimus, & nullius momenti eſſe cenſemus. Data Laterani, decimoſexto Kalendas Februarii.

EPISTOLA IX.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD ROGERIVM SICILIÆ REGEM.

Regium titulum illi ab Honorio conceſſum confirmat.

Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Rogerio illuſtri & glorioſo Siciliæ regi, eiuſque heredibus, in perpetuum.

QVOS diſpenſatio diuini conſilii ad regimen & ſalutem populi ab alto elegit, & prudentia, iuſtitia, aliarumque virtutum decore decenter ornauit, dignum & rationabile eſt, vt ſponſa Chriſti, ſancta & apoſtolica Romana mater eccleſia, affectione ſincera diligat, & de ſublimibus ad ſublimiora promoueat. Manifeſtis ſiquidem probatum eſt argumentis, quod egregiæ memoriæ ſtrenuus & fidelis miles beati Petri Robertus Guiſcardus prædeceſſor tuus dux Apuliæ magnificos & potentes hoſtes eccleſiæ viriliter expugnauit, & poſteritati ſuæ dignum memoria nomen &

imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illustris recordationis Rogerius per bellicos sudores & militaria certamina inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & Christianæ religionis diligens propagator, vtpote bonus & deuotus filius, multimoda obsequia matri suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ impertiuit. Vnde & prædecessor noster religiosus & prudens papa Honorius nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimum de te sperans, & prudentia ornatum, iustitia munitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valde dilexit, & ad altiora prouexit. Nos ergo eius vestigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem & vtilitatem sanctæ Dei ecclesiæ spem atque fiduciam obtinentes, regnum Siciliæ, quod vtique, prout in antiquis refertur historiis, regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem anteceſſore nostro concessum, cum integritate honoris regii & dignitate regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & apostolica auctoritate confirmamus. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum, & insuper principatum Capuanum, integre nihilo minus nostri fauoris robore communimus, tibique concedimus. Et vt ad amorem atque obsequium B. Petri apostolorum principis, & nostrum, ac successorum nostrorum, vehementius astringaris, hæc ipsa, id est regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ, heredibus tuis, qui nobis & successoribus nostris, nisi per nos & successores nostros remanserit, ligium homagium fecerint, & fidelitatem quam tu iurasti iurauerint, tempore videlicet competenti, & loco non suspecto, sed tuto nobis & ipsis, atque salubri, duximus concedenda: eosque super his quæ concessa sunt, Deo propitio, manutenebimus. Quod si per eos forte remanserit, iidem heredes tui nihilo minus teneant quod tenebant sine diminutione. Census autem, sicut statutum est, id est sexcentorum scifatorum, a te tuisque heredibus nobis nostrisque successoribus singulis annis reddatur, nisi forte impedimentum interueniat: remouente vero te impedimentum nihilo minus persoluetur. Tua ergo, fili carissime, interest ita te erga honorem atque seruitium matris tuæ sanctæ Romanæ ecclesiæ deuotum & humilem exhibere, ita temetipsum in eius opportuni-

tatibus exercere, vt de tam deuoto & glorioso filio sedes apostolica gaudeat, & in eius amore quiescat. Si qua siue ecclesiastica sæcularisve potentia huic nostræ concessioni temere contraire tentauerit, donec præsumptionem suam satisfactione coerceat, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius incurrat, &, quousque resipuerit, anathematis sententia percellatur. Amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus.
Ego Albericus Ostiensis episcopus.
Haimericus sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis.

Datum in territorio * Mamanensi per manum Haimerici cancellarii VI. Kalendas Augusti, indictione secunda, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo trigesimonono, pontificatus vero domini Innocentii papæ secundi anno decimo. * Mariannensi.

EPISTOLA X.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD HENRICVM SENONENSEM ET RAINALDVM RHEMENSEM.

De Abailardo & Arnaldo damnatis, & monasterio includendis, libriſque eorum comburendis.

TESTANTE Apostolo, *&c. Extat infra in Concilio Senonensi sub Innocentio II.*

EPISTOLA XI.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD SAMSONEM RHEMENSEM, HENRICVM SENONENSEM, ET BERNARDVM ABBATEM Claræuallensem.

Eiusdem argumenti.

PRÆSENTIA scripta, *&c. Extat in fine Concilii Lateranensis generalis infra sub Innocentio II.*

EPISTOLA XII.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD STEPHANVM SANCTI MEMMII ABBATEM.

De priuilegiis eiusdem monasterii.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Stephano ecclesiæ sancti Memmii eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

OFFICII nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti & vtilitati salubriter, auxiliante Domino, prouidere. Dignum namque & honestati conueniens esse dignoscitur, vt qui ad earum regimen assumpti sumus eas & a prauorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque apostolicæ sedis patrocinio muniamus. Proinde, dilecte in Domino fili Stephane abbas, ecclesiam sancti Memmii, cui Domino auctore præesse dignosceris sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes vt quascumque possessiones, quæcumque bona, præfata ecclesia impræsentiarum iuste & legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Sane per hoc apostolicæ sedis priuilegium constituimus, vt post sæcularium canonicorum decessum nullus in prædicta beati Memmii ecclesia nisi regularem vitam professus substituatur canonicus, ac decedentium canonicorum præbendæ in vsus fratrum regularium redigantur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, nullus ibi abbas nisi regularis canonicus, & secundum beati Augustini regulam, subrogetur. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat prænominatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentauerit, iram Dei & beatorum Petri & Pauli indignationem incurrat, atque in extremo examine districtæ

vltioni ſubiaceat, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant,& apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. *Sic ſignatum:*

Ego Innocentius catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Datum Iotti per manum Haimerici ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis & cancellarii, v. Kalendas Martii, indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXXXI. pontificatus autem domini Innocentii II. papæ anno ſecundo. Sigillatum laqueo rubro ſigilli plumbei.

[a] CONCILIVM CLAROMONTANVM INNOCENTII PAPÆ AVCTORITATE INDICTVM, quo Anacletus antipapa & inuaſor ſedis apoſtolicæ condemnatur, anno Domini MCXXX.

ANNO CHRISTI 1130.

NOTA.

Cauſa & acta Concilii.

[a] *Concilium.*] Initio pontificatus hanc Synodum apud Clarummontem in Gallia celebratam eſſe propter ſchiſmaticum & pſeudopontificem Anacletum teſtatur Otto Friſingenſis lib. 7. cap. 18. his verbis: *Non multo poſt Honorio mortuo grauiſſimum ſchiſma in eccleſia oritur, Innocentio canonice electo, filio Petri Leonis violentia amicorum ſuorum qui fortiſſimi in Vrbe erant, fauente ſibi Rogerio Siculo, intruſo. Cui dum Innocentius reſiſtere non valeret, Vrbe cedit, tranſcenſiſque Alpibus Gallias ingreditur, vbi in regno Gallici regis in ciuitate apud Claromontem Concilium celebrans nuntios Lotharii Conradum Iuuanienſem, Eribertum Monaſterienſem, epiſcopos obuios habuit.* Eadem Synodo Anacletum condemnatum fuiſſe teſtatur Platina in vita Innocentii his verbis: *Innocentius, celebrato apud Claromontem Concilio, Petrum antipapam cum ſectatoribus damnauit.* Hæc ille.

[a] CONCILIVM STAMPENSE CONTRA ANACLETVM ANTIPAPAM congregatum anno Domini MCXXX. tempore Innocentii II.

NOTA.

Innocentii electio approbatur.

[a] *Concilium.*] In hac Synodo, auctore ſancto Bernardo, damnatum eſſe Petrum antipapam, qui ſe Anacletum nominabat, contra vero

ANNO CHRISTI 1130.

approbatam fuisse electionem Innocentii canonice & legitime ordinati, testatur Vincentius lib. 27. cap. 6. & Bernardus abbas lib. 2. cap. 1. in vita S. Bernardi, de qua hæc Sugerius in vita Ludouici regis: *Quo rex, vt erat piissimus ecclesiæ defensor, cito compunctus, Concilium archiepiscoporum, episcoporum, abbatum & religiosorum virorum Stampis conuocat, & eorum consilio tam de persona quam de electione inuestigans, (fit enim sæpe vt Romanorum tumultuantium quibuscumque molestiis ecclesiæ electio minus ordinarie fieri valeat) & assensum electioni consilio virorum præbet, & deinceps manutenere promittit. Cum autem & susceptionis & seruitii primitias Cluniaci primo rex delegasset, tanto exhilarati suffragio, cum gratia & benedictione domino regi per nos referentes, ad propria remiserunt. Vt autem ad sanctum Benedictum super Ligerim descendit, dominus rex cum regina, cum filiis ei occurrens, & nobilem diademate sæpius coronatum verticem tamquam ad sepulcrum Petri inclinans, pedibus eius procumbit, & catholicum affectum & deuoti seruitii effectum ei & ecclesiæ promittit. Cuius exemplo & rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens, deuotissime pedibus eius prostratus, votiuam sui suorumque & terræ suæ susceptionem, & obedientiæ filialis promittit plenitudinem.* Hæc Sugerius de rebus gestis vsque in annum sequentem: quæ his subiicit, suo loco postea dicturi sumus.

Sed quæ his consentientia scripserint eiusdem temporis auctores, vt veritas ore duorum vel trium testium res ipsas spectantium magis ac magis fortiusque roboretur, adducamus in medium. Bernardus abbas, qui res gestas sancti Bernardi accurate conscripsit, de his agens, hæc ait: *Præmissi in Gallias fuerant nuntii, qui Gallicanæ ecclesiæ intimarent negotii veritatem, & hortarentur episcopos, vt in vltionem præsumptionis accingerentur, & damnata parte schismatica, subscriberent vnitati. Necdum vero ad plenum tenor operis innotuerat episcopis, nec priuatim quisquam commodare præsumpsit assensum, donec collecto Stampis generali Conuentu, in commune decernerent quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, ceteris regionibus procliuibus ad schismata, aliquando tali factione fœdata est, nec malignorum acquieuit erroribus, nec fabricata est in ecclesia idolum, nec venerata in Petri cathedra monstrum: neque enim talibus in causis principalia aliquando eos terruerunt edicta, aut generalibus vtilitatibus priuata commoda prætulerunt, nec declinantes in partem personis detulere, sed causis. Conuocato igitur apud Stampas Concilio, abbas sanctus Clarævallensis Bernardus, specialiter ab ipso Francorum rege & præcipuis quibusque pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pauidus & tremebundus aduenit, periculum quippe & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem; vnde sperauit pacem sine dubio prouenturam. Vbi vero ad locum ventum est, celebrato prius ieiunio, & precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi rex & episcopi cum principibus consedissent, vnum omnium consilium fuit, vna sententia, vt negotium Dei famulo imponeretur, & ex ore eius tota causa penderet. Quod ille timens licet & tremens, monitis tamen virorum fide-*

Bernardus abbas in vita sancti Bernardi lib. 2. cap. 1.

lium acquiescens suscepit, & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi. Aperuit os suum, & Spiritus sanctus impleuit illud. Vnus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominauit, & ratum esse, omnes pariter acclamarunt. Hæc Bernardus. Eadem quoque Theobaldus in vita Vvilielmi. ANNO CHRISTI 1130.

Theobaldus in vita sancti Vvilielmi apud Surium, tomo secundo, die 10. Februarii.

[a] CONCILIVM IOTRENSE

OB SANCTVM THOMAM SANCTI VICTORIS Parisiensis priorem occisum, pro iustitia congregatum, anno MCXXX. Innocentii papæ II.

NOTA.

Vide sanctum Bernardum, epistola 158.

[a] *Concilium.*] Cum archidiaconus Parisiensis Theobaldus illicitas exactiones occasione archidiaconatus a presbyteris exigeret, beatus autem Thomas prior S. Victoris Parisiensis, insignis iustitiæ amator & defensor, magno zelo eidem resisteret, per nepotes archidiaconi ipsius vir religiosus in obsequio caritatis, in itinere quod pietas indiceret, in opere sancto, in sanctorum comitatu, in dominico die, in sinu meo, inquit Stephanus Parisiensis in epistola apud Bernardum 159. ad Innocentium papam, & intra manus meas crudeliter ab impiis pro iustitia excerebratus est. *Hac de causa*, inquit Petrus Cluniacensis abbas, *nuper in his partibus archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ac multorum religiosorum & sapientum personæ congregatæ sunt: & Concilio habito, in huiusmodi sacrilegos seueritatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, apostolica auctoritas quod ab eis bene actum est; suppleat, si quid minus seuere decretum est, vt impii debita vltione puniantur, & ab eorum imitatione ceteri deterreantur.* Hæc & alia Petrus ad Innocentium.

Lib. 3. epistola 17.

Ad instantiam Stephani Parisiensis episcopi, per literas quas ex notis Ioannis Picardi ad epistolam 158. subiungo, martyrium ipsum beati Thomæ, eiusque iustam vindictam exponentis, Gaudefridus sedis apostolicæ legatus hanc Synodum Iotri celebrandam indixit, eaque contra sacrilegos martyris occisores constituit, quæ in epistola Innocentii ad episcopos Galliæ qui huic Concilio interfuerant reddita describuntur. Epistolarum a Stephano Parisiensi scriptarum prima ista est.

Stephanus Dei gratia Parisiensis episcopus F. R. E. H. archipresbyteris salutem.

EX auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, & omnium sanctorum, excommunicamus, & anathematizamus, &

ANNO CHRISTI 1130. & a ſanctæ matris eccleſiæ liminibus ſequeſtramus illos qui dominum Thomam priorem ſancti Victoris interfecerunt, & qui cum fortitudine interfectoribus adfuerunt, & eos quorum conſilio & admonitione & auxilio interfectus eſt. Omnes etiam illos excommunicamus qui interfectores & interfectorum præſentes coadiutores in ſuo hoſpitio receperint, & qui cum eis aliquam communionem vel participationem habuerint in cibo & potu, in conſilio & locutione, niſi forte pro eorum correptione, vel emptione, & venditione, in dati & accepti communionem: in ſuſceptione & protectione omnes iſtos excommunicamus, donec reſipiſcant, & ad ſatisfactionem veniant. Mandamus itaque vobis & præcipimus, quatenus per ſingulos dies dominicos hoc modo & his verbis excommunicetis, ac ceteros presbyteros excommunicare faciatis. Mandamus enim vobis, quatenus vnuſquiſque veſtrum in ſuo archipresbyteratu prohibeat vt nullus omnino presbyter, nec de ſæculo, nec de religione, nec abbas, nec canonicus, nec monachus incluſus, nec eremita, nec etiam abbas ſancti Victoris, huius excommunicationis reum ad ſe pro confeſſione venientem ſuſcipiat, neque abſolutionem huius culpæ tribuat, aut pœnitentiam iniungat: quia ego de toto reatu mihi ſoli abſolutionem & pœnitentiam reſeruaui. Hoc quoque præcipimus, vt presbyteri, quando excommunicant, hanc noſtram prohibitionem omnibus dicant. Valete.

Stephanus his ſcriptis præ mœrore nec ſoli Pariſienſis cælum ſuſpicere valens, Claramuallem ſeſe recepit, indeque Gaufrido ſanctæ Romanæ eccleſiæ legato & Carnutum epiſcopo has tranſmiſit:

Gaufrido Dei gratia venerabili Carnotenſium epiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato Stephanus eadem gratia Pariſienſis eccleſiæ miniſter indignus, nunc autem miſeriæ & afflictionis præco infelix, valere in Domino.

CALAMITATIS nouæ pondus, quã veſtris auribus, imo cordi veſtro, illaturus ſum, neſcio ſi verbis aliquibus digne valeat explicari. Nuntiũ durum & graue auditu, omnibus, quibus Chriſti Ieſu & ſanctæ matris eccleſiæ opprobria dura & grauia ſunt, præcipue nobis ſub habitu & ſigno religionis conſtitutis; quibus hæc tanto plus omnibus grauiora

futura ſunt, quanto ſpecialius ad noſtrum grauamen, imo oppreſſionem & ruinam omnium ſpectat noſtrum vnius occaſus. Magiſtrum Thomam priorem cœnobii ſancti Victoris, virum approbatum, omnibuſque bonis amicum & dilectum, ac in ſanctæ eccleſiæ defenſione illum coadiutorem & propugnatorem deuotiſſimum & ſtrenuiſſimum impiorum manibus extinctum ſciatis, carne quidem mortuum, ſed, vt indubitanter credimus, viuentem cum Chriſto. Cui enim Chriſtus vere cauſa moriendi fuit, in gloria omnino deeſſe non poterit: quoniam & ipſe, cum vltimum in noſtris manibus exhalaret ſpiritum, libera voce ſe pro iuſtitia mori proteſtatus eſt: certiſſimum præteritæ præſentiſque iuſtitiæ ſuæ, qua in eccleſia Chriſti contra impios pugnauerat, teſtimonium relinquens, quoniam in ipſa conſummaretur. Hæc enim prima, hæc & vltima cauſa fuit laboris illius. Nam pro ipſa iuſtitia tunc mecum aderat. Ego enim ipſius præcipue admonitione ſicut ei ſemper de his cura eſſe ſolebat, rogatu & aſſenſu regis, per eum quoque ad ipſum perſuaſi ad abbatiam monialium, quæ eſt Chelis, emendandam & ordinandam perrexeram, aſſumptis mecum viris religioſis, abbate ſcilicet ſancti Victoris & ſancti Maglorii & ſubpriore ſancti Martini, aliiſque compluribus monachis, canonicis ac clericis. Cumque pro viribus negotio peracto reuerterer, iuxta domini Stephani caſtrum, quod Gorniacum dicitur, ſubito ab eius hominibus, ſcilicet nepotibus Theobaldi archidiaconi, inſidias mihi in via præſtruentibus aſſultum paſſus ſum. Cumque nos inermes, vtpote die dominico, & pacem ferentes incederemus, ſubito euaginatis gladiis irruunt ſuper nos, & nec Deo, nec diei ſacræ, nec mihi, nec his qui mecum erant religioſis viris, honorem dantes, inter manus noſtras & innocentem trucidauerunt, mihique mortem comminati ſunt, niſi abſcederem a conſpectu eorum celeriter. Nos autem fiducialius agentes in medios gladios nos coniecimus, & iam ſemiuiuum direque laniatum a manibus eorum abſtraximus, atque vndique circumdantes eum de ſua confeſſione, & de eius quam paſſus fuerat inimicorum impietate dimittenda allocuti ſumus. Tunc ille libenti animo omnibus qui in ſe peccauerant dimittens, & ſuorum peccatorum intime remiſſionem

ANNO CHRISTI 1130.

ANNO CHRISTI 1130. petens, percepta tandem communione corporis & sanguinis Christi, libera voce se coram omnibus pro iustitia mori contestatus est, & sic reddidit spiritum. Hinc ergo, licet nostræ spei fiducia certa quantum ad eius spectat salutem & gloriam exultandum omnino non dubitet, precioſamque in conspectu Domini mortem sanctorum eius sciamus, mœror tamen & luctus grauis, qui de amici orbatione, & communi omnium nostrum confusione oboritur, nulla prorsus consolatione in nostro animo temperatur. Me enim in ipso occisum video; & multo magis me occisum quam ipsum: quia me in eius morte periculis expositum cerno, ipsum autem a periculis liberatum. Supereſt igitur, vt, quia me nunc tam grauiter desolatum & contristatum cernitis, ad me consolandum simul & consiliandum venire non differatis. Ego enim, quasi qui ipsam detestandam loci faciem sustinere non valeam, Claræuallis fugiens secessi, illic vos expectaturus, vt consilium pariter capiamus quid nobis pro sanctæ ecclesiæ tam intolerabili ruina faciendum sit. In omnes enim nos impetus iste casum minatur, & veniet, nisi præueniat Dominus. Mando ergo vobis, & summopere deprecor, vt omni dilatione postposita Claræuallis properetis: quia pericula vndique mihi imminent, pro quibus consilium differri non potest.

His Gaudefridus acceptis Claramuallem aduolauit, mandatoque apostolico præcipit episcopis diœceseon Rhemensis, Rothomagensis, Turonensis, Senonensisque ad Synodum Iotri indictam frequentes conuenire. Illis autem coactis Hugo Gratianopolitanus episcopus, Carthusiensiumque familia in hunc modum rescripsere:

Dominis & patribus in Christo reuerendissimis, archiepiscopis, episcopis, & ceteris religiosis personis in præsentem locum defendendæ iustitiæ gratia congregatis, Hugo Gratianopolitanæ ecclesiæ vocatus episcopus, & filii eius, Carthusiensium pauperum seruus inutilis Guigo, & qui secum sunt fratres, agenda cognoscere, cognita viriliter adimplere per Christum Dominum nostrum.

QVOD homines sumus, ad naturam; quod iusti, ad meritum; quod episcopi, vel presbyteri, vel archidiaconi, vel aliquid huiusmodi, ad ecclesiasticum pertinet of-

ficium. In primo existimus; in secundo saluamur, in tertio prouidendi aliis quæ subtiliora sunt, potestatē accepimus. Duo ergo priora ad nos, tertium refertur ad proximos. Quod si manifestum fuerit, iuxta illud ficulneæ euangelicæ exemplar, quæ tamdiu expectata fructum non attulit, officium nos inutiliter habere susceptum; nulla iusta cur in eo relinquamur remanebit occasio. Quid ergo si non solum inutiles ecclesiæ, sed etiam pernicioſi, vel verbis vel exemplis extiterimus? Nonne non solum deiici, sed etiam digni sumus puniri? Etsi igitur beati Thomæ, & ceterorum, qui recenter lotis in sanguine agni stolis suis ad cælestia demigrarunt, in conspectu Domini mors preciosa mundana vltione non egeat; tamen si ecclesia Dei, sine qua nec publicæ res saluæ sunt nec priuatæ, vtilitate careat disciplinæ, rogamus supplices & obsecramus, quatenus armatura fidei protecti, & rectitudinis zelo succensi, & sanctorum Mosis, Phinees, Matthathiæ, beatorum quoque apostolorum Petri & Pauli aduersus Simonem, Ananiam, & Bariesu pie desæuientium, maximeque ipsius Domini venditores de templo cædendo proturbantis exemplis animati, in sacrilegos homicidas ecclesiastici rigoris intrepide gladium producatis, eosque, si fieri potest, omnibus sacrorum officiis priuetis & beneficiis: quatenus omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra quispiam faciat simile. Ipsi enim magis quam homicidæ, in quorum cruentas delitias, vota complenda, & odia satianda, sanctorum sunt corpora laniata. Qui nisi tantæ nequitiæ non solum fructu caruerint, sed & pœnam senserint, omnibus apud nos iustitiæ defensoribus similia sunt metuenda. Valete. Orate pro nobis, & sacris eleuatis dextris super partem mundi, in qua siti sumus, benedictionem & obsecrationem profundite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus sanctorum operum vestrorum gestorum & gerendorum. Valete tertio cum reuerendis principibus Blesensi & Niuernensi.

ANNO CHRISTI 1130.

Dum hæ in Concilium referuntur literæ, Innocentius sancti Bernardi scriptis monitus patribus super eorum decreto in hanc rescripsit sententiam:

ANNO CHRISTI 1130 *Innocentius episcopus seruorum Dei venerabilibus fratribus Rainaldo Rhemensi, Hugoni Rothomagensi, Hugoni Turonensi, archiepiscopis, & eorum suffraganeis episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.*

GRAVIORA delicta amarioribus grauis pœnitentiæ fletibus purganda sunt; & quod aduersus sacros ordines committitur expedit vt celeriter dignis animaduersionibus expietur. Quis enim locus tutus, & cui personæ sit præstanda securitas, si ecclesiæ Dei violenter clerici, cælestibus obsequiis mancipati, iniuriis, vel captionibus, vel cruciatu corporis a perditis hominibus affligantur; aut, quod detestabilius est, morte & sacri sanguinis effusione mulctentur? Aduersus ergo tam Deo odibile & tam piaculare flagitium, quod in dilectos filios nostros bonæ memoriæ Thomam priorem sancti Victoris, & Archenbaldum subdecanum Aurelianensem commissum est, tepiditate sepositа, assumpto vigore iustitiæ exurgant Canones, armentur iura; &, si res expostulat, nouum scelus nouæ Synodi librata sententia conteratur. Quod ergo a vestra dilectione super hoc apud Iotrum nuper iudicatum est, apostolica auctoritate statuimus esse firmatum. Sed quia nimis remissa videtur esse vestra sententia, addendo censemus, vt in quibuscumque locis præfati sanguinarii præsentes fuerint, diuina ibi non celebrentur officia: & si quis sacrilegos illos clericidas, ac cælestis collegii perturbatores, & effusores dominici sanguinis in sæculo remanentes manutenere & confouere tentauerit, anathematis sententia percellatur. Ad hoc addentes statuimus, vt, quia de nefaria parentum nequitia, & horrendo furore, clerici nec adipisci nec retinere ecclesiasticum debent emolumentum. Ipsi enim non precio, non violentia, non terrore, non consanguineorum truculenta nequitia, sed solis interuenientibus meritis oportet acquiri, & acquisitum seruari: tam Tebaldus Noterius, quam alii qui honores sub hac pessima forma acquisierint vel retinuerint, salua nimirum sedis apostolicæ reuerentia, ecclesiasticis priuentur beneficiis. Et quia superabundat iniquitas, summopere prospiciendum est, vt clerici de cetero nihil humanum metuant, & vt grata tranquillitate, famulatibus valeant

vacare diuinis, apoſtolica eis ſuffragia propenſius impertimur. ANNO CHRISTI 1130.

Hactenus varia, quæ de parricidio noſtri Thomæ offendi in manuſcripto reſcripta, & ad lucidiorem rei intellectum non mediocriter conducentia deſcripſiſſe precium operæ duxi. Porro cum Guigo primariæ Carthuſiæ præſes aduerterit in vita Hugonis Gratianopolitani eum hac vita migraſſe anno 1132. Aprili menſe, Innocentius quoque papa fuerit electus anno 1130. XIII. Kalendas Martii, neceſſario noſter Thomas necatus fuit eodem, anno & quidem XIII. Kalendas Septembris, vt legi in necrologio noſtro ſub his verbis: *Anniuerſarium magiſtri Thomæ prioris huius eccleſiæ, qui pro defenſione iuſtitiæ ab inimicis iuſtitiæ crudeliter interfectus, viuens & moriens honeſtatis & patientiæ dignam atque imitabilem ſequacibus ſuis vitæ formulam dereliquit.* In necrologio ſancti Guinaili Corbolienſis eadem legere eſt. Anno, inquam, 1130. noſtrum Thomam occubuiſſe rurſus apparet, quod Innocentius papa ob antipapæ Anacleti potentiam fugerit in Galliam, & ſub initium anni 1131. Lutetiam ingreſſus, mox noſtrum adierit cœnobium: vbi cum vidiſſet in clauſtro ſepulturam noſtri Thomæ, ratus locum dignitati locati non reſpondere, iuſſit efferri in baſilicam ad dexteram ſummi altaris, & aduerſus ſacellum tum memoria crucis Chriſti inſignitum, idque V II. Idus Martii, ad quem diem recitatur rei geſtæ ſumma in hanc ſententiam: *Commemoratio domini Thomæ prioris huius eccleſiæ, quando corpus eius præcepto domini papæ Innocentii de clauſtro tranſlatum, & in eccleſia ſepultum eſt.* Ataui autem tumulo ſuperaddidere carmen; cuius ſuperſcriptionem longiuſculam continuiſſe hæc, teſtificatur liber ſtylo conſcriptus: *Epitaphium magiſtri Thomæ prioris ſancti Victoris, & poſt veri martyris, qui pro execrandis exactionibus & exceſſiuis corruptionibus factis in pluribus dominorum curiis, & ad hoc conſtitutus ex parte domini Stephani Pariſienſis epiſcopi, tandem propter veritatem & iuſtitiam manifeſtam, die dominico inter manus & brachia præfati domini epiſcopi ipſe ſanctus Thomas frater noſter a nepotibus Theobaldi archidiaconi Pariſienſis nefarie & crudeliter occiſus eſt, & excerebratus variis gladiis.* Epitaphium vero, licet rudius, huiuſmodi eſt:

Hic iacet egregius Thomas prior, & poſt ſanguine tinctus,
Thomas vir ſobrius, æquitatis tramite cinctus.
In pietate pater, in iudicio bene rectus.
Nec fuit hic frater donorum turbine flexus.
Martyrium ſitiens, inopum damnis miſeratus:
Nec fraudes patiens curarum preſbyteratus.
Iuſtitiæ Zelo dum militat enſe feritur.
Spiritus in cælo, corpus terra ſepelitur.
Hunc pie deplorat Stephanus tunc Pariſienſis:
Hunc ſcriptis decorat Bernardus Clarævallenſis.
Summi pontificis iuſſu locus hunc capit iſte.
Cœtibus angelicis nos Thomæ iungito Chriſte.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1130.

Mox in eodem libro sequebatur hoc exasticum:

Est lux æterna Thomæ collata priori,
Qui meruit martyr iuris amore mori.
Nouit Bernardus dux Clarævallis idipsum,
Qui causam scribit martyriique modum.
Consignata breui clauduntur membra sepulcro,
Vix tamen acta viri claudit vterque polus.

ANNO CHRISTI 1131.

[a] CONCILIVM RHEMENSE AVCTORITATE INNOCENTII PAPÆ II.

Rhemis indictum, quo pseudopontifex Anacletus vna cum schismaticis fautoribus excommunicatur anno MCXXXI.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Huius Concilii acta periere, sed de eo tantum apud Bernardum abbatem Bonævallis hæc habentur in vita sancti Bernardi his verbis: *Perlustrata igitur Francia*, Innocentius papa *Rhemis conuocauit Concilium, in quo multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludouicum viuente patre, pro Philippo fratre coronauit in regem. In omnibus his dominus papa abbatem*, sanctum Bernardum scilicet, *a se separari non patiebatur, sed cum cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed & priuatim, quotquot habebant negotia, virum Dei secretius consulebant. Ipse vero audita referebat ad curiam, & oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto Concilio*, &c. hæc tantum ibi. Vitæ sancti Bernardi lib. 2. cap. 1. Interfuit eidem Concilio vna cum ceteris sanctus Norbertus episcopus Magdeburgensis; cuius meminit auctor, agens de rebus in eodem Concilio gestis: *Conuocatoque Rhemis Concilio, conuenerunt vndique episcopi de diuersis nationibus; aduenit & pater Norbertus: ibique illum Petrum intrusum excommunicauerunt, & electione Innocentii approbata, eumdem Petrum Leonis leoni rugienti, nisi resipisceret, tradiderunt. Attulit autem Norbertus secum ecclesiæ suæ priuilegia vetustissima, & fere a vermibus consumpta, quæ cuncta Romano munimine fecit renouari & corrigi, apponens ea quæ receperat de manibus illorum, qui ea iniuste & violenter rapuerant. Addidit præterea aliud priuilegium secreto, vt, cum daretur opportunitas, Romana fultus auctoritate, ordinem suæ religionis in episcopali propagaret ecclesia.* Hactenus ibi de rebus in Synodo Rhemensi peractis. Apud Surium die 6. Iunii, cap. 47.

In eodem quoque Rhemensi Concilio, rogante Ludouico Crasso Francorum rege, idem pontifex Innocentius consecrauit in Francorum regem successoremque patris eius filium, Ludouicum etiam nominatum, eiusdem nominis septimum numeratum. At de ista noui regis consecratione Sugerius abbas sancti Dionysii, qui eam suasit ipsi regi seniori, ita scribit: *Qui ergo intimi eius & familiares eramus, formidantes ob iugem debilitati corporis molestiam eius subitum defectum:*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

consuluimus ei, quatenus filium Ludouicum, pulcerrimum puerum regio diademate coronatum, sacri liquoris vnctione regem secum ad refellendum amulorum tumultum constitueret. Qui consiliis nostris acquiescens, Rhemos cum coniuge & filio & regni proceribus deuenit, vbi in pleno & celeberrimo, quod dominus papa Innocentius conuocauerat, Concilio, sacri olei vnctione & coronæ regni deportatione in regem sublimatum, felicem prouidit regno successorem. Vnde multis quasi quodam præsagio videbatur eius debere amplificari potentiam, qui tot & tantorum & tam diuersorum archiepiscoporum, episcoporum Francorum, Teutonicorum, Aquitanorum, Anglorum, Hispanorum, suscepit benedictionem copiosam. Cumque pater viui gaudio defuncti dolorem alleuians Parisium rediret, dominus papa, soluto Concilio, Antisiodori delegit demorari. Hæc Sugerius præsens cuncta spectans ac scribens. ANNO CHRISTI 1131.

Rursus autem, quod ad idem Rhemense Concilium spectat, extant duo sermones apud sanctum Bernardum, habiti in Rhemensi Concilio, alter ad clericos, ad episcopos alter, cum tamen ad episcopos, vel potius in episcopos dicti esse reperiantur, quorum vita haud esset consentiens dignitati: qui sancti Bernardi nomine euulgati, & inter eius scripta recensiti, alterius potius auctoris esse admonuit censura recentior. Nec est quod in alio aliquo Rhemensi Concilio ea prior oratio habita dici possit, cum constet ex ea, iubente Romano pontifice qui aderat, eam dictam fuisse, vt ex eius patet exordio ipsis verbis: *Graue est quod mihi iniungitur, videlicet vt doceam doctores, instruam patres, præsertim cum scriptum sit:* Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi. *Sed præcipit mihi Moyses iste, cuius manus graues sunt, cui obediendum est non solum a me, sed etiam ab omnibus: Et plusquam Moyses hic. Moysi commissa fuit vna plebs Israelitica, isti autem vniuersa ecclesia. Et plusquam angelus hic. Cui enim angelorum dixit aliquando Deus:* Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis? *secundum officium dico, non secundum meritum. Præter Deum non est similis ei, nec in cælo, nec in terra. Hic est Petrus qui misit se in mare, cum alii discipuli nauigarent ad Iesum. Vnusquisque vestrum contentus est nauicula sua, hoc est archiepiscopatu suo, abbatia sua, præpositura sua: iste autem misit se in omnes archiepiscopatus, abbatias, præposituras,* &c.

Exod. 17. *Deut.* 32. *Matth.* 16.

Causa, tempus & acta Concilii.

De causis, tempore & actis huius Synodi Rhemensis ita Vrspergensis in chronico: *Anno Domini* 1130. *Honorius papa secundus obiit, cui Innocentius secundus per electionem canonicam successit: sed propter intrusionem Petri Leonis, cui fauebat multitudo Romanorum, sedem suam obtinere non potuit, ideoque in Franciam se contulit, vbi Concilio Rhemis habito cum multis episcopis præfatum Leonem & suos fautores excommunicauit, sicque in partibus Germaniæ vsque ad septimum annum permansit. Sedit autem annos tredecim, menses septem.* Hæc Vrspergensis prædicto loco. Robertus Sigeberti continuator addit eadem Synodo non tantum Innocentii papæ electionem approbatam, verum etiam ab omnibus Galliæ & Germaniæ episcopis Petri antipapæ ordinationem anathemate damnatam fuisse. Et paulo infra ait: *Concilio Rhemis*

ANNO CHRISTI 1131. *Rhemis habito præsente Francorum rege Ludouico, filius eius Ludouicus in regem consecratur a papa Innocentio, octauo Kalendas Nouembris:* paucis enim diebus antequam hæc Synodus celebraretur, Philippus regis filius, nuper in regem inunctus, equi fortuito casu decidens magno omnium luctu in pœnam sacrilegi patris, iuxta vaticinium sancti Bernardi, occisus fuerat. *Concilio Rhemensi,* inquit Dodechinus in appendice ad Marianum, *præsedit Innocentius papa,* XIV. *Kalendas Nouembris, præsente Ludouico rege Franciæ, cuius filium adhuc paruulum regem consecrauit.* Hæc Dodechinus.

[a] CONCILIVM LEODIENSE AVCTORITATE INNOCENTII PAPÆ indictum, quo Halberstadensis episcopus pristino honori restituitur, & antipapa Anacletus condemnatur, anno Domini MCXXXI.

NOTÆ.

[a] *Concilium.*] *Anno Domini* 1131. inquit abbas Stadensis in chronico, *Conuentus apud Leodium agitur, in quo Otto Halberstadensis episcopus ab Innocentio papa pristino honori restituitur.* Otto Frisingensis cap. 18. lib. 7. de eadem Synodo ista dumtaxat scribit: *Apud Leodium Belgiæ vrbem Synodum episcoporum conuocans, regem Lotharium ad defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ inuitauit.* Ibidem vna cum Lotharío totius regni archiepiscopos, episcopos, duces, marchiones & palatinos comites congregatos fuisse, aduenientemque illuc pontificem magnifice exceptum, ad tyrannidem apostolicæ sedis inuasorum comprimendam cum promissione imperialis coronæ auxilium petiuisse, & impetrasse, Dodechinus & abbas Vrspergensis verbis fere iisdem describunt. Causa & acta Concilii. Qui interfuerint.

Sugerius in vita Ludouici Crassi ponit occursum Lotharii Innocentio papæ factum hoc eodem anno, sed ante Rhemense Concilium, atque his ipsum verbis describit: *Visitando itaque Gallicanam, sicut res exigebat, ecclesiam, ad partes se transfert Lotharingorum,* ipse scilicet Innocentius papa. *Cui cum imperator Lotharius ciuitate Leodii cum magno archiepiscoporum, & episcoporum, & Teutonici regni optimatum collegio celeberrime occurrisset, in platea ante episcopalem ecclesiam humillime seipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tamquam dominum deducebat. Descendente vero tota statione eum subbrachiando deportans, celsitudinem paternitatis eius notis & ignotis clarificauit.* Hæc Sugerius sancti Dionysii abbas. Sed quæ ista sint secutæ inter Lotharium & Innocentium pontificem contentiones & discordiæ, Bernardus Bonæuallis abbas sic exponit: *Sed velociter obnubilata est illa serenitas.*

siquidem importune idem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui inuestituras, quas ab eius prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana ecclesia vendicarat. Ad quod verbum expauere & expalluere Romani, grauius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinauerint Romæ. Nec consilium suppetebat, donec murum se opposuit abbas sanctus, Bernardus scilicet: *audacter enim resistens regi verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.* Hæc ipse. ANNO CHRISTI 1131.

Petrus diaconus, chronico Cassinensi lib. 4. cap. 99.

Hic vides redargui mendacissimum Petrum diaconum Cassinensem, dum in gratiam eiusdem Lotharii, cui postea inhæsit, aduersus tam apertissimam veritatem de inuestituris affirmat eas ab Innocentio papa in eo Conuentu Leodiensi Lothario fuisse concessas, sic dicens: *Innocentius igitur Germaniam ingressus a Lothario rege iuxta Leodium excipitur, virgam ei & annulum antiquo ex more confirmans, & terram comitissæ Mathildæ condonans.* Hæc ipse Petrus, qui aduersus catholicum papam Innocentium vna cum suis pro schismaticorum parte stetit ac laborauit. Sed in eo etiam mendax esse conuincitur, dum iuxta Leodium donationem terræ Mathildæ factam ab Innocentio asserit. Nam diploma pontificis de ea re conscriptum Romæ datum legitur. Suggestum tantum non exactum de inuestitura a Lothario quod petierat Otto Frisingensis affirmat.

Otto Frisingensis, lib. 7. cap. 18.

[a] CONCILIVM MOGVNTINVM IN CAVSA BRVNONIS ARGENTINENSIS episcopi celebratum anno Domini MCXXXI. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Moguntiæ habitum, inquit Dodechinus, anno 1131. præsente Lothario rege, præsidente Matthæo Albanensi cum Moguntinensi archiepiscopo; vbi Bruno Argentinensis episcopus, præsentibus Augustensi, Eistetense, Bambergense, Vvirzeburgense, Spirense, Vvormantiense, episcopis, a clero & populo super violentia, intrusione, & consecratione impetitus, in manus archiepiscopi & cardinalis Argentinensem resignauit episcopatum.

Bruno episcopus Argentinensis resignare cogitur.

ANNO CHRISTI 1132. a

CONCILIVM PLACENTINVM ADVERSVS ANACLETVM PSEVDOPAPAM

celebratum anno MCXXXII. sub Innocentio papa secundo.

NOTA.

a *Concilium.*] Petrus Cluniacensis lib. 3. epistolarum meminit huius Concilii breuiter tantum his verbis: *Recedens Gallia* Innocentius, *venturus Romam, transiens per sanctum Ægidium, & per montem* * *Genuæ, fines Longobardiæ intrauit, & apud Astam solennitate resurrectionis dominicæ celebrata, Placentiam venit. Ibi inuocatis episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, tam de Longobardia, quam de Rauennatensi prouincia, & marchia inferioris partis, tertium Concilium celebrauit.* Ad hæc peragenda multum temporis insumptum esse dubitare nemo potest. Ad consolidandam enim titubantem ecclesiam cisalpinam, Concilium ab Innocentio papa habitum, & ibi diutius immoratum oportuit. Porro huius Concilii non nisi hanc tantummodo breuem mentionem inuenire potuimus.

* Genuæ

ANNO CHRISTI 1134. a

CONCILIVM PISANVM CONTRA PSEVDOPAPAM INDICTVM

anno Domini MCXXXIV. tempore Innocentii papæ secundi.

NOTA.

a *Concilium.*] De hoc ista Bernardus abbas Bonæuallis in vita sancti Bernardi: *Innocentius rursus Pisas reuertitur, ibique aggregatis totius occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ Synodus celebratur. Adfuit per omnia & consiliis & iudiciis & definitionibus omnibus sanctus* Bernardus *abbas, impendebaturque ei reuerentia ab omnibus, & excubabant ante eius limina sacerdotes, non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum: & aliis egredientibus alii introibant, ita vt videretur vir humilis, & nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte solicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones Concilii longum est prosequi, summa tamen in excommunicatione Petri, & irregressibili fautorum eius deiectione constitit, & vsque hodie hæc sententia perseuerat.* Hæc tantum ipse de tam magno Concilio.

Vita sancti Bernardi, lib. 2. cap. 2.

Antipapa condemnatur.

Res in hac Synodo gestas Robertus continuator Sigeberti paucissimis verbis hisce commemorat: *Petro*, antipapa, *ob parentelæ suæ fortitudinem apud sanctum Petrum commorante, Innocentius Roma*

egressus in Gallias proficiscitur, & Gallicana sibi adhærente ecclesia, Conciliis celebratis, primo Rhemis, secundo Pisis, in papatu confirmatur, & Petrus ab omnibus Galliæ & Germaniæ episcopis anathematizatur. Petrus Cluniacensis abbas, qui vna cum Gaufredo Carnutũ episcopo huic Concilio interfuit, de hac Synodo haud dubie id intelligi vult, quod epistola 17. ad Innocentium scripta conquerens ait, non longe a Ponte Tremolo Italiæ opido plurimos Galliæ episcopos & abbates a Synodo reuertentes captos, vulneratos, & in carcerem coniectos esse. ANNO CHRISTI 1134.

Episcopi a Synodo reuersi spoliantur.

Ex gestis abbatum sancti Laurentii reuerendus dominus Ioannes Chapeauille canonicus & vicarius Leodiensis in annotationibus ad cap. 27. tom. 2. de hac Synodo ista refert: Anno 1135. Alexander Leodiensis episcopus apud Innocentium pontificem de simonia accusatus, & ab ipso semel & secundo ac tertio vocatus, cum venire tardaret, in Concilio Pisano deponitur. Quo duro nuntio percepto in tantam amaritudinem incidit, vt quasi vix confessione facta, communioneque percepta, & regulari vita ad sanctum Ægidium promissa, spiritum exhalauerit.

[a] CONCILIVM SVESSIONENSE AVCTORITATE LEGATI SEDIS APOSTOLICÆ contra Petrum Abailardum sub Ludouico seniore Francorum rege celebratum ante annum Domini MCXXXVI. quo Ludouicus rex e viuis excessit.

CIRCI ANNVS CHRISTI 1136.

NOTA.

Abailardus quis, & qualis, quæque eius hæreses.

[a] *Concilium.*] Otto Frisingensis lib. 1. cap. 47. de Friderici I. gestis, personam Petri Abailardi, eiusdem hereses, & acta huius Concilii describens ista ait quæ sequuntur: *Petrus Abailardus ex ea Galliæ prouincia, quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens. (Est enim prædicta terra clericorum, acuta ingenia & artibus applicata habentium, sed ad alia negotia pene stolidorum, ferax, quales fuerunt duo fratres Bernardus & Theodericus viri doctissimi) is, inquam, literarum studiis aliisque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit: sed tam arrogans, suoque tantum ingenio confidens, vt vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit tamen primo præceptorem Rozelinum quemdam, qui primus nostris temporibus in logica sententiam vocum instituit, & post ad grauissimos viros Anselmum Laudunensem, Guilielmum Campellensem Catalauni episcopum migrans, ipsorumque dictorum pondus, tamquam subtilitatis acumine vacuum iudicans, non diu sustinuit. Inde magistrum induens, Parisius venit, plurimum in inuentionum subtilitate non solum ad philosophiam necessariarum, sed & pro commouendis ad iocos animis hominum vtilium valens. Vbi occasione quadam satis nota non bene tractatus, monachus in monasterio sancti Dionysii effectus est. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans,*

CIRCA ANNVM CHRISTI 1136.

de acuto acutior, de literato efficitur literatior, intantum vt post aliquo tempus ab obedientia abbatis sui solutus ad publicum prodiret, docendique rursus officium assumeret. Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non caute theologiæ admiscuit. Quare de sancta Trinitate docens & scribens, tres personas, quas sancta ecclesia non vacua nomina tantum, sed res distinctas, suisque proprietatibus discretis, hactenus & pie credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis vsus exemplis, inter cetera dixit: Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. *Ob hoc Sueßionis prouinciali contra eum Synodo sub præsentia Romanæ sedis legati congregata, ab egregiis viris, & nominatis magistris, Alberico Rhemensi, & Leutaldo Nouariensi, Sabellianus hæreticus iudicatus, libros quos ediderat propria manu ab episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate, eo quod disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. Hæc sub Ludouico seniore Francorum rege facta sunt.* Dominus Ioannes Picardus canonicus regularis sancti Victoris Parisiensis in notis ad sancti Bernardi epistolam 190. hanc Synodum ad annum Domini 1116. & pontificatum Paschalis secundi referendam esse scribit his verbis: *Ex postrema præsertim Abailardi periodo (historiæ calamitatum suarum) in qua dicit se odiosum hæretici nomen & crimen abhorrere, liquet eum suam euulgasse theologiam post Synodum Sueßioni habitam, de qua mox dicemus, sub annum* 1116. *ad summum. Radulphus enim Rhemorum archiepiscopus electus anno* 1114. *qui interfuit, & Cono sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus eidem præsidens obiit anno* 1117. V. *Idus Augustas, vt indicant tabulæ Arroasiæ, in qua fuerat professus canonicum beati Augustini. Soluto Concilio Abailardus repetiit Dionysianum monasterium: in quo aliquot abhinc annos melanchlanum induerat monachum. At non multos post dies a reditu, cum inter fabulandum plusculis audientibus commonachis diceret ex auctoritate Bedæ beatum Dionysium sui cœnobii patronum alterum esse a beato Dionysio Areopagita in Actibus apostolicis memorato, reaccendit extinctas antiquæ discordiæ fauillas: adeo vt pacis gratia recesserit ad Paracletum Campaniæ Gallicæ eremum: quo eum e vestigio discipuli sunt insecuti. Ac tum maxime, ni fallor, dictauit theologiam suam, seu, vt ipse nuncupat in proloquio, diuinæ scripturæ introductionem, & quidem sub annum* 1119. *Vniuersa enim superius enarrata contigere sub Adamo cœnobiarcha Dionysiano, qui sub finem eiusdem anni excessit.* In epistolam 191. ista subiungit: *Fecerat librum de Trinitate, sed sub legato Romanæ ecclesiæ igne,* &c. *Eius libri & Synodi meminere Otto Frisingensis libro* 1. *de gestis Friderici cap.* 49. *ipseque Abailardus in historia calamitatum suarum: ex qua huc referam paucis quæ lectori conferant ad huius epistolæ* 191. *intellectum. Abailardus vt verba de se vouentis effatus est intra peristylia Dionysiana, a discipulis vbique terrarum inuestigantibus tandem repertus, & exoratus a cœnobiarcha, theologicam palæstram non modico intermissam interuallo reuocauit, & quidem tanto concursu, vt priscam æmulationem in Anselmi Laudunensis quondam schola excitatam tumque emortuam excitarit. Annus*

Abailardi de Trinitate error damnatus.

tum vertebatur 1116. *quo Albericus Rhemenſis & Leutaldus Nouarienſis egerunt cum Radulpho archiepiſcopo Rhemenſi, vt Cono ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatus ad Synodum Sueſsioni indictam euocaret Abailardum, Sueſsionenſibus iam ſic exoſum, vt profiteatur ſe ferme lapidatum ab eis, dictitantibus illum eſſe trium deorum prædicatorem & aſſertorem. Legatus interim iuſsit Abailardum porrigere librum ſuum archiepiſcopo. Interim ille palam differebat de theologicis in eodem tractatis. Tandem vero liber, vtpote Trinitarius, Concilii decreto fuit combuſtus, Abailarduſque iuſſus recitare ſymbolum beati Athanaſii, quod inter ſingultus & lacrymas legit. Eo vero deiectum Abailardum ſua ſuperbia conſtat.* CIRCA ANNVM CHRISTI 1136.

Hæc ille de tempore celebratæ Synodi Sueſſionenſis: cui ſententiæ acceſſiſſem, ſi nomen Guilielmi Catalaunenſis epiſcopi ſynodicæ epiſtolæ Senonenſi (quam poſt Abailardum in Lateranenſi generali Synodo anno 1139. celebrata condemnatum indictam & congregatam fuiſſe conſtat infra in notis eiuſdem Concilii) præfixum non eſſet: potiſſimum enim fundamentum quo dominus Picardus nititur, eſt illud, quod Guilielmus Catalaunenſis epiſcopus, qui huic Synodo interfuit, anno 1119. obierit, quem ex allegata epiſtola ſynodica Senonenſi 1140. adhuc ſuperſtitem fuiſſe conſtat. Ad hanc difficultatem ſubterfugiendam, ille infra in fine ad epiſt. 191. recte pro Guilielmo Catalaunenſi, Gaufredus Catalaunenſis, & pro A. Anebanenſe, Aluiſus Atrebatenſis legendum eſſe iudicaret, ſi eſſet omnino certum fundamentum, quod in notis ad epiſtolam 3. probat, Guilielmum Catalaunenſem anno 1119. ſub Calliſto papa II. e viuis exceſſiſſe.

Interim ego, auctoritatem Friſingenſis ſecutus, Concilium Sueſſionenſe ſub Ludouico rege ſeniore, qui anno 1136. obiit, celebratum, non multis annis a Senonenſi Synodo ſeiungendum eſſe putaui.

Maiorem difficultatem ingerit epiſtola Gaufredi de Claraualle ad Albanenſem epiſcopum de rebus in Concilio Rhemenſi geſtis ſcripta, in cuius fine ſcribitur Cononem, qui ſub Paſchali II. obiit, hanc Synodum congregaſſe, eidemque præſediſſe.

CONCILIVM NORTHAMTONIENSE IN ANGLIA CELEBRATVM ANNO Domini MCXXXVIII. tempore Innocentii papæ ſecundi, & Stephani regis. ANNO CHRISTI 1138.

NOTA.

Acta Concilii quæ.

* *Concilium.*] Res geſtas in Concilio continuator Florentii Vvigornienſis ſummatim referens ſcribit quæ ſequuntur: *Rex Anglorum Stephanus, in octauis Paſchæ, quod erat* IV. *Idus Aprilis, tenuit Concilium Northamtoniæ, cui præſidebant Eboracenſis archiepiſcopus Turſtanus, epiſcopi, abbates, comites, barones, nobiles quique per Angliam. In quo etiam Concilio quorumdam electione, Exonienſi eccleſiæ iam pa-*

ANNO CHRISTI 1138. *storali cura destitutæ, de medio facti præsulis Guilielmi de Vvaravvast archidiaconus, nomine Robertus, pastorali curæ præficitur. Duæ quoque dantur abbatiæ, vna Vvincelcumbæ cuidam Cluniacensi monacho, vt ferunt, regis propinquo, nomine Roberto, altera sanctæ Mariæ Eboraci eiusdem ecclesiæ cuidam monacho. Quorum vnus scilicet Vvincelcumbensis electus, die pentecostes* XI. *Kalendas Iunii, a venerando præsule Simone abbas Vvincelcumbensi ecclesiæ ordinatur Vvigorniæ.*

[a] CONCILIVM LONDONIENSE

SVB PRÆSIDIO ALBERICI OSTIENSIS

episcopi, apostolicæ sedis legati, celebratum in Anglia anno MCXXXVIII. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] *Anno ab incarnatione Domini* 1138. subiungit ibidem idem continuator, *pontificatus autem domini papæ Innocentii anno* 9. *regnante nobilissimo Stephano rege Anglorum, Henrici regis magni nepote, anno tertio regni ipsius, celebrata est Synodus Londoniæ, in ecclesia sancti Petri apostolorum principis apud Vvestmonasterium, mense Decembri, decimatertia die mensis. Vbi post multarum discussionem causarum promulgata sunt capitula ab omnibus confirmata numero* 16. *Præfuit autem Synodo Albericus Ostiensis episcopus, & prædicti domini papæ Innocentii in Angliam & Scotiam legatus, cum episcopis diuersarum prouinciarum numero* 17. *& abbatibus circiter* 30. *& innumera cleri & populi multitudine.*

CONCILIVM LATERANENSE II. GENERALE SVB INNOCENTIO II. SVMMO PONTIFICE.

Anno Christi 1139.

HISTORIA EIVSDEM CONCILII.

Bernardus abbas lib. 2. de vita sancti Bernardi cap. 1.

HONORIO *secundo Callisti successore defuncto, maior cardinalium pars Gregorium sancti Angeli diaconum cardinalem summum pontificem elegerunt, qui deinde Innocentius secundus dictus est. Nonnulli vero Petrum Leonis potentissimi Romanorum ciuis filium pseudopontificem creârunt: quem Anacletum secundum appellarunt. De vtroque sanctus Bernardus hæc scribit: Duo itaque, inquit, sunt, de quibus contenditur, quisnam eorum rectius videatur papa. Quorum primo quidem si personas compares, vt neutri sane vel derogare videar vel adulari, dicam quod dici passim reperies, & neminem arbitror diffiteri, quia videlicet Innocentii nostri vita vel fama nec æmulum timet, cum alterius nec ab amico tuta sit. Deinde, si electiones discutias, nostri itidem mox occurrit & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porro de tempore constat. Reliqua duo, merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem saniorem inuenies, tam episcopos, quam cardinales, diaconos,*

Epist. 126.

siue

ANNO CHRISTI 1139.

siue presbyteros, & quorum maxime interest de electione summi pontificis, & quanti in eligendo iuxta scita patrum sufficiant. Quid & in consecratione? Nonne Ostiensem ad quem specialiter spectat habemus. Cum igitur & electus dignior, & electio sanior, & actio ordinabilior teneatur; qua isti ratione, imo qua contentione, contra ius & fas, & vota omnium bonorum, inuitæ & renitenti Dei ecclesiæ præficere alium, & illum deponere tentant. Et alibi, de Innocentio loquens: Merito Epist. 125.
illum, inquit, recipit ecclesia, cuius opinio clarior, & electio sanior inuenta est: nimirum eligentium numero vincens & merito. Hæc sanctus Bernardus. Petrus Leonis propinquorum viribus innixus, sancti Petri basilicam ceteraque Vrbis ecclesias inuasit: & Innocentius pontifex vna cum cardinalibus coactus ab Vrbe discessit, & in Galliam se contulit: vbi a rege & ab episcopis vt verus pontifex recipitur, habetur, & colitur. Galliæ regem est imitatus Henricus Angliæ rex, ac Lotharius Romanorum imperator electus cum episcopis, & optimatibus Teutonici regni. Neque in Gallia tantum aut Germania Innocentius legitimus pontifex habetur, sed etiam in Etruria, seu Campania, aliisque prope innumeris regionibus atque prouinciis, vt scribit sanctus Bernardus: Qui magnum Innocentio Bernardus abbas vbi supra.
Epist. 126.
adiumentum attulit in hoc schismate confutando, tum apud imperatorem, tum apud reges, ob eximiam & doctrinæ & sanctitatis opinionem, atque ideo apud eos auctoritatem. Innocentius ex Gallia in Italiam reuersus Lotharii imperatoris Bernardus abbas lib. 2. cap. 2. & 7.
viribus adiutus schismaticos repressit, & Petro Leone pseudopontifice mortuo, is, qui in eius locum a schismaticis suffectus fuerat Victoris nomine appellatus, pontificalibus vestibus depositis, ad pontificem se contulit. Iis temporibus non schismaticorum tantum factionibus Dei ecclesia perturbabatur, sed hæreticorum etiam nouis ac diuersis dogmatibus oppugnabatur. Petrus de Bruis hac tempestate exortus est; aduersus quem Petrus Cluniacensis disputans eius hæreses recenset. Et primum quidem: Negat, inquit, paruulos infra intelligibilem Lib. 1. epist. 1. & 2.
ætatem constitutos Christi baptismate posse saluari, nec alienam fidem posse illis prodesse qui sua vti non possunt. Deinde templorum vel ecclesiarum fabricam fieri non debere: factas insuper subrui oportere. Nec esse necessaria Christianis sacra loca ad adorandum. Tertio, Cruces sacras confringi præcipit & succendi: quia species illa vel instrumentum, quo Christus tam dire tortus,

tam crudeliter occisus est, non adoratione, non veneratione, vel aliqua supplicatione digna est; sed ad vltionem tormentorum & mortis eius omni dedecore dehonestanda, gladiis concidenda, ignibus succendenda est. Quarto, non solum veritatem corporis & sanguinis Domini quotidie & assidue per sacramentum in ecclesia oblatum negat, sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere decernit. Quinto, sacrificia, oblationes, eleemosynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus a viuis fidelibus facta deridet, nec ea quempiam mortuorum vel in modico posse iuuare affirmat. Narrat etiam Petrus Cluniacensis iure hunc hæreticum concrematum: cum antea impius iste cruces dominicas in vnum congestas concremauerit. Huius Petri de Bruis impias hæreses secuti sunt pene omnes qui post illum fuerunt hæretici: vt merito hæreticorum parens dici possit. Quin etiam Arnaldus de Brixia illius sectatus est errores. De quo hoc Otto Frisingensis scribit: Is a studio e Galliis in Italiam reuertens religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit: omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens; clericorum & episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse saluari: cunctaque hæc principis esse, ab eiusque beneficentia in vsum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc, de sacramento altaris, de baptismo paruulorum, non sane dicitur sensisse. Hæc Otto. Quare Innocentius pontifex, tum ad hæreses damnandas, tum ad schismaticos reprimendos, ac deprauatos mores corrigendos, prædecessorum sanctorum pontificum exempla secutus, vniuersale Romæ indixit Concilium: & conuocatis ex vniuersis Christiani orbis partibus patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & aliarum ecclesiarum prælatis, mille circiter conuenere, vt grauissimi illius temporis scriptores testantur: & in Lateranensi ecclesia illud celebrandum curauit. In quo hæretici damnantur, & inter ceteros Arnaldus de Brixia, qui tum in Vrbe degebat, Petri Leonis, aliorumque schismaticorum acta rescinduntur: & ad pristinam ecclesiasticam disciplinam restituendam aliqua statuuntur decreta. Inter quæ illud præcipuum. Quod, cum per id tempus sacerdotibus & clericis honor, quem par erat, non deferretur, sententiam excommunicationis tulit pontifex in eos qui violentas manus in clericos iniecerint. Prohibuit etiam

ANNO CHRISTI 1139.

Lib. 2. de gestis Friderici imperatoris cap. 29.

Otto Frisingēsis loco citato, & lib. 7. hist. cap. 23. Cencius Camerarius, abbas Vrspergensis, & alii. Guilielmus Neubrigensis lib. 1. cap. 10.

ANNO CHRISTI 1139. *militum torneamenta, in quibus cædes hominum & animarum pericula semper imminent. Quæ a posterioribus pontificibus & Conciliis & innouata & confirmata fuere.*

CANONES
CONCILII LATERANENSIS GENERALIS AB INNOCENTIO PAPA II. CELEBRATI.

I.

STATVIMVS, si quis simoniace ordinatus fuerit, ab officio omnino cadat quod illicite vsurpauit.

II.

Si quis præbendam, vel prioratum, seu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, vtpote chrisma, vel oleum sanctum, consecrationes altarium, vel ecclesiarum, interueniente execrabili ardore * auaritiæ per pecuniam acquisiuit, honore male acquisito careat; & emptor, atque venditor, & interuentor, nota infamiæ percellantur, & nec pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat; quoniam simoniacum est: sed libere, & absque imminutione aliqua collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur.

*emptionis

III.

A suis episcopis excommunicatos ab aliis suscipi modis omnibus prohibemus. Qui vero excommunicato, antequam ab eo qui eum excommunicauerit absoluatur, scienter communicare præsumpserit, pari sententiæ teneatur obnoxius.

IV. ANNO CHRISTI 1139.

Præcipimus etiam quod tam epiſcopi quam clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum; ſed potius quæ eos deceat ſanctitatem præ ſe ferant. Quod ſi moniti ab epiſcopis emendari noluerint, eccleſiaſticis careant beneficiis.

V.

Can. 22. Illud autem, quod in ſacro Calchedonenſi conſtitutum eſt Concilio, irrefragabiliter conſeruari præcipimus. Vt videlicet decedentium bona epiſcoporum a nullo omnino hominum diripiantur, ſed ad opus eccleſiæ & ſucceſſoris ſui in libera œconomi & clericorum permaneant poteſtate. Ceſſet igitur de cetero illa deteſtabilis & ſæua rapacitas. Si quis autem * a modo hoc attentare præſumpſerit, excommunicationi ſubiaceat. Qui vero morientium presbyterorum vel clericorum bona rapuerint, ſimili ſententiæ ſubiiciantur.

* aliquo modo

VI.

Decernimus etiam vt ii, qui in ordine ſubdiaconatus, & ſupra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque eccleſiaſtico beneficio careant. Cum enim ipſi templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſeruire.

VII.

Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum Gregorii

ANNO CHRISTI 1139. septimi, Vrbani, & Paschalis Romanorum pontificum vestigiis inhærentes præcipimus vt nullus Missas eorum audiat quos vxores vel concubinas habere cognouerit. Vt autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in ecclesiasticis personis & sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares, canonici, & monachi * atque conuersi professi, qui sanctum transgredientes * propositum vxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam abinuicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant.

* atque conuersi & professi, * præceptum

VIII.

Idipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si, quod absit, nubere attentauerint, obseruari decernimus.

IX.

Praua autem consuetudo, prout accepimus, & detestabilis inoleuit, quoniam monachi, & regulares canonici, post susceptum habitum & professionem factam, spreta beatorum magistrorum Benedicti & Augustini regula, leges temporales, & medicinam gratia lucri temporalis addiscunt. Auaritiæ namque flammis accensi se patronos causarum faciunt: &, cum psalmodiæ & hymnis vacare debeant, glorioſæ vocis confisi munimine, allegationum suarum varietate, iustum & iniustum, fas nefasque confundunt. Attestantur vero imperiales

constitutiones absurdum, imo & opprobrium esse clericis, si peritos se velint disceptationum esse forensium. Huiusmodi temeratores grauiter feriendos apostolica auctoritate decernimus. Ipsi quoque, neglecta animarum cura, ordinis sui propositum nullatenus attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum curatores se faciunt corporum. Cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuntius, illa, de quibus loqui erubescit honestas, non debet religio pertractare. Vt ergo ordo monasticus & canonicus Deo placens in sancto proposito inuiolabiliter conseruetur, ne hoc vlterius præsumatur apostolica auctoritate interdicimus. Episcopi autem, abbates, & priores tantæ enormitati consentientes, & non corrigentes, propriis honoribus spolientur, * & ab ecclesiæ liminibus arceantur. ANNO CHRISTI 1139. * vel

X.

Decimas ecclesiarum, quas in vsu pietatis concessas esse canonica demonstrat auctoritas, a laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus. Siue enim ab episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & periculum æternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam vt laici, qui ecclesias tenent, aut eas episcopis restituant, aut excommunicationi subiaceant. Innouamus autem & præcipimus, vt nullus in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus vel presbyter, ordinetur: Archidiaconi vero, decani, vel præpositi, qui infra ordines prænominatos existunt, si

ANNO CHRISTI 1139. inobedientes ordinari contempserint, honore susceptо priuentur. Prohibemus autem ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia & merito vitæ clarescunt, prædicti concedantur honores. Præcipimus etiam ne conductitiis presbyteris ecclesiæ committantur, & vnaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

XI.

Præcipimus etiam vt presbyteri, clerici, monachi, peregrini, & mercatores, & rustici euntes, & redeuntes, & in agricultura persistentes, & animalia cum quibus aratur, & semina portant ad agrum, & oues, omni tempore securi sint.

XII.

Treguam autem ab occasu solis in quarta feria vsque ad ortum solis in secunda feria, & ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniæ, & a quinquagesima vsque ad octauam paschæ, ab omnibus inuiolabiliter obseruari præcipimus. Si quis autem treguam facere tentauerit, post tertiam commonitionem, si non satisfecerit; episcopus suus in eum excommunicationis sententiam dictet, & scriptam episcopis vicinis annuntiet. Episcoporum autem nullus excommunicatum in communionem suscipiat, imo scripto susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo subiacebit. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus, vt episcopi ad solum Deum & salutem populi habentes respectum, omni tepiditate sepositа, ad pa-

cem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, neque hoc alicuius amore aut odio prætermittant. Quod si quis in hoc Dei opere tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat. ANNO CHRISTI 1139.

XIII.

Porro detestabilem & probrosam diuinis & humanis legibus per scripturam in veteri & in nouo testamento abdicatam, Illam, inquam, insatiabilem feneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus: præcipientes, vt nullus archiepiscopus, nullus episcopus, vel cuiuslibet ordinis abbas, seu quiuis in ordine & clero, nisi cum summa cautela vsurarios recipere præsumat, sed in tota vita infames habeantur: &, nisi resipuerint, Christiana sepultura priuentur.

XIV.

Detestabiles autem illas nundinas, vel ferias, in quibus milites ex condicto conuenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temerarie congrediuntur, vnde mortes hominum & animarum pericula sæpe proueniunt, omnino fieri interdicimus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamuis ei poscenti, pœnitentia & viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

XV.

Item placuit, vt si quis suadente diabolo huius sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo

ANNO CHRISTI 1139. vinculo subiaceat, & nullus episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat. Præcipimus etiam, vt in eos, qui ad ecclesiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod si fecerit, excommunicetur.

XVI.

Indubitatum est, quoniam honores ecclesiastici sanguinis non sunt, sed meriti, & ecclesia Dei non hereditario iure aliquem, neque secundum carnem successorem expectat, sed ad sua regimina, & officiorum suorum dispensationes, honestas, sapientes, & religiosas personas exposcit. Propterea auctoritate prohibemus apostolica, ne quis ecclesias, præbendas, præposituras, capellanias, aut aliqua ecclesiastica officia, hereditario iure valeat vindicare, aut expostulare præsumat. Quod si quis improbus, aut ambitionis reus attentare præsumpserit, debita pœna mulctabitur, & postulatis carebit.

XVII.

Sane coniunctiones consanguineorum omnino fieri prohibemus, huiusmodi namque incestum, qui fere, stimulante humani generis inimico, in vsum versus est, sanctorum patrum instituta, & sacrosancta Dei detestatur ecclesia; leges etiam sæculi de tali contubernio natos infames pronuntiant, & ab hereditate repellunt.

XVIII.

Pessimam siquidem, & depopulatricem, & hor-

rendam incendiorum malitiam auctoritate Dei, & beatorum apostolorum Petri & Pauli omnino detestamur, & interdicimus: hæc etenim pestis, & hostilis vastitas omnes alias deprædationes exuperat. Quæ quantum populo Dei sit damnosa, quantumque detrimentum animabus & corporibus inferat, nullus ignorat. Assurgendum est igitur, & omni modo laborandum, vt tanta clades, tantaque pernicies pro salute populi eradicetur, & extirpetur. Si quis igitur post huius nostræ prohibitionis promulgationem malo studio, siue pro odio, siue pro vindicta ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura. Nec absoluatur nisi prius, damno cui intulit secundum facultatem suam resarcito, iuret se vlterius ignem non appositurum. Pœnitentia autem videtur, vt Hierosolymis aut in Hispania in seruitio Dei per annum integrum permaneat. ANNO CHRISTI 1139.

XIX.

Si quis autem archiepiscopus, vel episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat, & per annum ab officio episcopali abstineat.

XX.

Sane regibus & principibus facultatem faciendæ iustitiæ, consultis archiepiscopis & episcopis, non negamus.

XXI.

Presbyterorum filios a sacri altaris ministeriis

ANNO CHRISTI 1139. remouendos decernimus; nisi aut in cœnobiis aut in canonicis religiose fuerint conuersati.

XXII.

Sane quia inter cetera vnum est quod sanctam maxime perturbat ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, confratres nostros & presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio. Vnde scriptum est: *Qui totam legem obseruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus*; scilicet quantum ad vitam æternam. Iacob. II. sicut enim, si peccatis esset omnibus inuolutus, ita si in vno tantum maneat, æternæ vitæ ianuam non intrabit. Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet, aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iustitiam gerat.

XXIII.

*religionis Eos autem qui * religiositatis speciem simulantes Domini corporis & sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium, & ceteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab ecclesia Dei *ceteras pellimus, & damnamus, & per potestates * exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum eiusdem damnationis vinculo innodamus.

XXIV.

ANNO CHRISTI 1139.

Illud quoque adiicientes præcipimus, vt pro chriſmatis, olei ſacri & ſepulturæ acceptione nullum venditionis precium exigatur.

XXV.

Si quis præpoſituras, præbendas, vel alia eccleſiaſtica beneficia de manu laici acceperit, indigne ſuſcepto careat beneficio. Iuxta namque decreta ſanctorum patrum, laici, quamuis religioſi ſint, nullam tamen habent diſponendi de eccleſiaſticis facultatibus poteſtatem.

XXVI.

Ad hæc pernicioſam & deteſtabilem conſuetudinem quarumdam mulierum, quæ licet neque ſecundum regulam beati Benedicti, neque Baſilii, aut Auguſtini viuant, ſanctimoniales tamen vulgo cenſeri deſiderant, aboleri decernimus. Cum enim iuxta regulam degentes in cœnobiis, tam in eccleſia quam in refectorio atque dormitorio communiter eſſe debeant, propria ſibi ædificant receptacula, & priuata domicilia, in quibus ſub hoſpitalitatis velamine paſſim hoſpites & minus religioſos, contra ſacros Canones & bonos mores ſuſcipere nullatenus erubeſcunt. Quia ergo omnis qui male agit odit lucem, ac per hoc ipſæ abſconditæ in iniuſtorum tabernaculo opinantur ſe poſſe latere oculos Iudicis cuncta cernentis: hoc tam inhoneſtum deteſtandumque flagitium, ne vlterius fiat, omnimodis prohibemus, & ſub pœna anathematis interdicimus.

ANNO CHRISTI 1139.

XXVII.

Simili modo prohibemus, ne ſanctimoniales ſimul cum canonicis vel monachis in eccleſia in vno choro conueniant ad pſallendum.

XXVIII.

Obeuntibus ſane epiſcopis, quoniam vltra tres menſes vacare eccleſias prohibent patrum ſanctiones, ſub anathemate interdicimus, ne canonici de ſede epiſcopali ab electione epiſcoporum excludant religioſos viros, ſed eorum conſilio honeſta & idonea perſona in epiſcopum eligatur. Quod ſi excluſis eiſdem religioſis electio fuerit celebrata, quod abſque eorum aſſenſu & conuenientia factum fuerit irritum habeatur & vacuum.

XXIX.

Artem autem illam mortiferam & Deo odibilem balliſtariorum & ſagittariorum aduerſus Chriſtianos & catholicos exerceri de cetero ſub anathemate prohibemus.

XXX.

Ad hæc ordinationes factas a Petro Leonis & aliis ſchiſmaticis & hæreticis euacuamus, & irritas eſſe cenſemus.

EPISTOLA INNOCENTII PAPÆ II.

Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Samſoni Rhemenſi, Henrico Senonenſi archiepiſcopis, & cariſſimo in Chriſto filio Bernardo Claræuallis abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PER præſentia ſcripta fraternitati veſtræ mandamus, quatenus Petrum Abailardum & Arnaldum de Brixia peruerſi dogmatis fabricatores, & catholicæ fidei impu-

gnatores in religiosis locis, vbi vobis melius visum fuerit, separatim faciatis includi, & libros erroris eorum, vbicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani XVII. Kalendas Augusti: Transcripta ista nolite ostendere cuiquam, donec ipsæ literæ in Parisiacensi colloquio, quod prope est, præsentatæ fuerint ipsis archiepiscopis. ANNO CHRISTI 1139.

IN

[a] CONCILIVM LATERANENSE II.

OECVMENICVM SIVE VNIVERSALE X.

approbatum, mille circiter patrum, pro iure cleri contra Anacletum & Victorem antipapas eorumque fautores celebratum, anno Domini MCXXXIX. tempore Innocentii papæ II. & Conradi regis Germaniæ,

NOTA.

Tempus, causa & acta Concilii.

[a] *Concilium.*] De tempore, causa actisque Concilii, & de numero episcoporum, qui huic Concilio plenario & œcumenico interfuerunt, Vrspergensis in chronico ista habet quæ sequuntur: *Anno Domini 1139. qui est primus Conradi regis, Innocentius papa, facta plenaria Synodo, vt quidam dicunt fere mille episcoporum, mediante quadragesima totam partem Leonis* (pseudopontificem Petrum Leonis filium intelligit) *condemnauit cum ordinatione illius.* Eadem iisdem fere verbis Otto Frisingensis huius temporis scriptor celeberrimus refert libro 7. cap. 23. *Proxima media quadragesima Synodus maxima circiter mille episcoporum, præsidente Romæ summo pontifice Innocentio, celebratur, ibique, post multa salutifera decreta promulgata, schismatici, qui parti Petri Leonis fauerant, damnantur.* Hæc Otto Frisingensis. Quibus de causis pontifex hanc Synodum œcumenicam, cui ipse præsedit, congregatam voluerit, intelliges ex iis quæ supra in vita Innocentii commemoraui. Quod ad diem spectat, in scripto chronico Beneuentano hæc de eiusdem Concilii certa die: *Hoc anno præfatus apostolicus Innocentius, octauo die intrante mensis Aprilis, Romæ Synodum celebrauit. Ad cuius sacri Conuentus præsentiam archiepiscopi, episcopi, & abbates innumeri conuenerunt: ibique inter cetera, quæ Spiritu sancto mediante statuta sunt, vinculis excommunicationis alligauit regem Rogerium prædictus apostolicus Innocentius in præsentia omnium catholicorum virorum qui conuenerunt, & omnes eius sequaces.*

Ex Canonibus huius Concilii, ex Vaticana bibliotheca iam recens editis, Gratianus in suum decretum intulit. Secundum, 1. quæst. 3. cap. Si quis præbendam. Quartum, 21. quæst. 4. cap. Præcipimus. Quintum, 12. quæst. 2. cap. Illud. Sextum, dist. 28. Can. Decernimus. Septimum & octauum, 27. quæst. 1. cap. Vt lex. Decimi, §. 1. 16.

ANNO CHRISTI 1139. quæst. 7. cap. Decimas. Eiusdem decimi §. Secundum, dist. 60. cap. Innouamus, §. Tertium & vltimum, 21. quæst. 2. cap. Præcipimus. Duodecimum, dist. 90. cap. Præcipimus. Item extra, cap. 1. de treuga & pace. Decimumquintum, 17. quæst. 4. cap. Si quis suadente. Decimumsextum, 8. quæst. 1. cap. Apostolica. Decimumseptimum, 35. quæst. 2. & 3. cap. Coniunctiones consanguineorum. Decimumoctauum, decimumnonum, & vigesimum, 23. quæst. 8. cap. Pessimam. Vigesimumprimum, dist. 56. cap. Presbyterorum. Vigesimum sextum, & septimum, 18. quæst. 2. cap. Pernicioſam. Vigesimum octauum, dist. 63. can. Obeuntibus.

In hoc eodem magno, imo maximo Concilio Lateranensi, inter alia delata est accusatio aduersus Arnaldum de Brixia recentem hæreticum, discipulum Petri Abailardi. De Arnaldo siue Arnoldo vel Arnolpho (ita varie nominatus reperitur) hæc habet Otto Frisingensis sui temporis rerum gestarum scriptor: *Acceßit ad huius seditioſi facinoris argumentum, quod* **Arnolphus quidam Brixienſis, de quo ſupra dictum eſt, ſub typo religionis, &, vt euangelicis verbis vtar, ſub ouina pelle lupum gerens, Vrbem ingreſſus, ad factionem iſtam*, nempe vt reuocaret antiquum senatum, cui & summam rerum committeret, *rudis populi animis præmolli dogmate ad animoſitatem accenſis, innumeram poſt ſe duxit, imo ſeduxit multitudinem. Arnaldus iſte ex Italia ciuitate Brixia oriundus, eiuſdemque eccleſiæ clericus, ac tantum lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluuio quam ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, nouitatis cupidus, cuiuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes ſchiſmatumque perturbationes ſunt prona. Is a ſtudio e Galliis in Italiam reuertens, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens: clericorum ac epiſcoporum derogator, monachorum perſecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec epiſcopos regalia, nec monachos poſſeßiones habentes aliqua ratione poſſe ſaluari: cunctaque hæc principis eſſe, ab eiuſque beneficentia in vſum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de ſacramento altaris & baptiſmo paruulorum non ſane dicitur ſenſiſſe. His aliiſque modis, quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem eccleſiam perturbaret, laiciſque terræ illius, prurientes erga clerum aures habentibus, eccleſiaſticas malitioſe exponeret paginas, in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito ab epiſcopo ciuitatis illius, viriſque religioſis accuſatur. Romanus ergo pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit: ſicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens ad tranſalpina ſe contulit, ibique in opido Alemaniæ Turego officium doctoris aſſumens, pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminauit*, &c. Subiicit de rebus ab eo gestis sub Eugenio post obitum Innocentii, cum Romam se contulit. Porro non inanem Arnaldi prædicationem fuisse Romanis, sed renouasse senatum, & aduersus propinquos Tiburtinos prælia cœpisse, inferius suo loco dicetur.

* Arnaldus

Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici imperatoris lib. 2. cap. 20.

Ligur. de gestis Friderici I. lib. 3.

Sed haud ingratum erit Guntherum Ligurinum versibus ita canentem audire, huius temporis scriptorem eximium: ANNO CHRISTI 1139.

Cuius origo mali, tantæque voraginis auctor
*Extitit * Arnoldus, quem Brixia protulit ortu* * Arnaldus.
Pestifero, tenui nutriuit Gallia sumptu,
Edocuitque diu: tandem natalibus oris
Redditus, assumpta sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes, clerumque procaci
Insectans odio, monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque graui corrodere lingua
Audebat papam, sceleratæque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium cleri, fundos & prædia nullo
Iure sequi monachos, nulli fiscalia iura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, sacras referens concedere leges.
Omnia principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus atque regenda:
Illis primitias, & quæ deuotio plebis
Offerat, & decimas castos in corporis vsus,
Non ad luxuriam, siue oblectamina carnis
Concedens: mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitosque toros, lasciuaque gaudia cleri,
Pontificum fastus, abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, monachosque superbos.
Veraque multa quidem, nisi tempora nostra fideles
Respuerent monitus, falsis admixta monebat,
Et, fateor, pulcram fallendi nouerat artem;
Veris falsa probans, quia tantum falsa loquendo
Fallere nemo potest: veri sub imagine falsum
Insluit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam fidei certumque tenorem
Non satis exacta stolidus pietate fouebat,
Impia mellisluis admiscens toxica verbis.
Ille suam vecors in clerum pontificemque,
Atque alias plures adeo commouerat vrbes,
Vt iam ludibrio sacer extremoque pudori
Clerus haberetur. Quod adhuc, ni fallor, in illa
Gente nocet, multumque sacro detruncat honori.
Mox in Concilio Romæ damnatus ab illo
Præsule, qui numeros vetitum contingere nostros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita,
Territus, & miseræ confusus imagine culpæ,
Fugit ab vrbe sua, transalpinisque receptus,
Qua sibi vicinas Alemannia suspicit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens (vt fama) Lemanno,

Nobile

ANNO CHRISTI 1139.

Nobile Turegum, doctoris nomine falso
Insedit, totamque breui sub tempore terram
Perfidus impure fœdauit dogmatis aura.
Vnde venenato dudum corrupta sapore,
Et nimium falsi doctrina vatis inhærens,
Seruat adhuc uuæ gustum gens illa paternæ.

[a] CONCILIVM VVINTONIENSE I.

PRO IMMVNITATE ECCLESIASTICA,

contra regem Stephanum, qui castella ecclesiæ inuaserat, & episcopos nonnullos carceribus mancipauerat, celebratum anno Domini MCXXXIX. tempore Innocentii papæ secundi.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Causam Concilii Vvilielmus Malmesburiensis lib. 2. historiæ nouellæ his verbis describit: *Anno dominicæ incarnationis* 1139. *venenum malitiæ diu in animo Stephani regis nutritum, tandem erupit in publicum. Serebantur in Anglia rumores, iam iamque venturum e Normannia comitem Robertum cum sorore. Quæ spe cum multi a rege non solum animo, sed & facto deficerent, ipse iniurias suas multorum dispendiis sarciebat. Plures etiam pro sola suspicione diuersarum contra se partium in curia sua contra decus regum captos, & ad redditionem castellorum, & ad quascumque voluit conditiones abduxit. Erant tunc duo in Anglia episcopi potentissimi Rogerius Salesberiensis, & nepos eius ex fratre Alexander Lincolniensis. Alexander ad tutamen, vt dicebat, & dignitatem episcopii, castellum de Neuuverche construxerat. Rogerius, qui ædificiorum constructione magnanimum se videri vellet, plura apud Scireburnam, & apud Diuisas multum terrarum ædificiis amplexus, turritas moles erexerat. Apud Malmesberiam in ipso cœmeterio ab ecclesia principali vix iactu lapidis castellum inchoauerat. Castellum Salesberiæ, quod regii iuris proprium esset ab Henrico rege impetratum, muro cinctum, custodiæ suæ attraxerat. His moti quidam potentes laici, qui se a clericis & opum congerie & municipiorum magnitudine superatum iri dolerent, cæcum intra pectus vulnus alebant inuidiæ. Itaque conceptas querimonias regi effundunt, episcopos oblitos ordinis in castellis ædificandis insanire, nulli dubium esse debere quin hæc ad perniciem regis fierent omnia, dum illi statim vt venisset imperatrix cum traditione castellorum dominæ occurrerent, paternorum scilicet beneficiorum memoria inducti. Præueniendos ergo citius, & ad deditionem munitionũ arctandos, alioquin regem seram pœnitentiam acturum, cum in potestate hostium videret, quæ si saperet sibi apponere potuisset. Hæc optimates sæpius. Ille, quamuis eis nimio esset fauore obnoxius, aliquamdiu auribus suis blandientes dissimulauit audire, molliens dilationis amaritudinem, vel religionis in episcopis*

Causa & acta Concilii.

gratia, vel, quod magis opinor, suæ detractionis inuidia. Denique illorum, quæ proceres suaserant, effectum non distulit, cum primum volenti se occasio ingessit. Ea fuit huiusmodi. ANNO CHRISTI 1139.

Occasio inuadendorum castellorum quæ?

Apud Oxeneford, circa VIII. Kalendas Iulii, facto Conuentu magnatum, prædicti quoque pontifices aduenerunt. Inuitus valde Salesberiensis hanc expeditionem incepit. Audiui eum dicentem verba in hanc sententiam: Per dominam meam sanctam Mariam (nescio quo pacto) reluctatur mens mea huic itineri. Hoc scio, quod eius vtilitatis ero in curia, cuius est equinus pullus in pugna. Ita præsagiebat animus mala futura. Tunc quasi fortuna famulari videretur voluntati regis, concitatus est tumultus inter homines episcoporum & Alani comitis Britanniæ, pro vendicandis hospitiis, euentu miserabili, vt homines episcopi Saresberiensis mensæ assidentes, semesis epulis ad pugnam prosilirent. Primo maledictis, mox gladiis res acta. Satellites Alani fugati, nepos eius paulo minus occisus: victoria non incruenta episcopalibus cessit, multis sauciatis, vno etiam milite occiso. Rex occasionem aucupatus, per antiquos incentores conueniri iussit episcopos, vt curiæ suæ satisfacerent de hoc quod homines eorum pacem ipsius exturbassent: modus satisfactionis foret, vt claues castellorum suorum quasi fidei vades traderent. Illos ad satisfaciendum paratos, sed de deditione castellorum cunctantes, ne abirent, arctius asseruari præcepit. Itaque Rogerium episcopum absque vinculis, cancellarium, qui nepos, vel plusquam nepos eiusdem episcopi esse ferebatur, compeditum duxit ad Diuisas, scilicet castellum multis & vix innumerabilibus sumptibus, non, vt præsul ipse dictabat, ad ornamentum, sed, vt se rei veritas habet, ad ecclesiæ detrimentum ædificatum. In ipsa obsessione castella Salesberiæ, Scireburniæ, Malmesberiæ regi data: ipsæ Diuisæ post triduum redditæ, cum sibi vltroneum ieiunium episcopus indixisset, vt hac angustia sua animositatem episcopi Elyensis, qui eas occupauerat, flecteret. Nec episcopus Lindecolniensis obstinatius egit, redditione castelli liberationem mercatus.

Hoc regis factum in diuersas sententias soluit ora multorum. Quidam dicebant iure castellis alienatos episcopos videri; qui præter scita Canonum ædificassent: illos euangelistas pacis esse debere, non architectos domorum, quæ auctoribus forent refugium maleficii. Hæc amplioribus rationibus & sermonibus agebat Hugo archiepiscopus Rothomagi, quantum ille facundia poterat, maximus regis propugnator. Alii contra, quorum partibus assistebat Henricus Vvintonienſis episcopus, sedis apostolicæ in Anglia legatus, frater regis Stephani, vt ante dixi: quem nec fraterna necessitudo, nec periculi metus a vero exorbitare cogebat. Sic porro dicebat: Si episcopi tramitem iustitiæ in aliquo transgrederentur, non esse regis, sed Canonum iudicium: sine publico & ecclesiastico Concilio illos nulla possessione priuari debuisse: regem id non ex rectitudinis zelo, sed commodi sui compendio fecisse, qui castella non ecclesiis, ex quarum sumptibus, & in quarum terris constructa erant, reddiderit, sed laicis, eisdemque parum religiosis, contradiderit. Ista vir ille cum priuatim, tum etiam publice coram rege affirmans, eiusdemque aures de liberatione & restitutione pontificum appellans, omnem consumpsit operam, in nullo auditus. Qua-

ANNO CHRISTI 1139.

propter vigorem Canonum experiendum ratus, Concilium quod quatuor Kalendas Septembris celebraturus erat Vvintoniæ, fratrem incunctanter adesse præcepit.

Acta Concilii.

Acta Concilii verbis subsequentibus describens subiungit: *Dicto die omnes fere episcopi Angliæ cum Theobaldo archiepiscopo Cantuariensi, qui Vvilielmo successerat, venerunt Vvintoniam, archiepiscopus Eboracensis Turstanus pro valetudine qua grauabatur, vix enim animi viribus corpus regebat, ceteri vero pro guerra literis absentiam suam excusarunt. Lectum est primo in Concilio decretum Innocentii papæ, quo iam a Kalendis Martii, si bene commemini, partes solicitudinis suæ idem apostolicus domino episcopo Vvintonienſi iura legationis in Anglia iniunxerat. Exceptum id summo fauore, quod diuturnitate temporis temperantiam suam ostendens episcopus, non se prærupta legatum promulgasset iactantia. Processit deinceps in Concilio sermo eiusdem latialiter ad literatos habitus, de indignatione captionis episcoporum, quorum Salesberiensis in camera curiæ Lindecolniensis in diuersorio suo intercepti essent, Helyensis exemplum simile veritus, veloci profugio ad diuisas se calamitati exemisset. Scelus miserabile regem ab incentoribus ita fuisse seductum, vt hominibus suis præsertim episcopis, in curiæ suæ pace manus iniici iussisset. Adiecta esset regio dedecori cælestis iniuria, vt sub obtentu culpæ pontificum ecclesiæ possessionibus suis spoliarentur: sibi regis contra legem Dei excessum tanto dolori esse: vt mallet se multo dispendio & corporis & rerum suarum affici, quam episcopalem celsitudinem tanta indignitate deiici: quin etiam regem de emendatione peccati multotiens admonitum; postremo tunc Concilii vocationem non abnuisse. Proinde archiepiscopus & ceteri consulerent in medium quid opus esset facto: se ad executionem Concilii nec pro regis amicitia, qui sibi frater erat, nec pro damno possessionum, nec etiam pro capitis periculo, defuturum.*

Rex ad Synodum vocatus.

Cum hæc ille sensim per amplificationem exponit, rex causæ suæ non diffisus, comites in Concilium misit, quærens cur vocatus esset. Responsum est a legato ex compendio: Non debere illum, qui se Christi fidei subiectum meminisset, indignari, si a ministris Christi ad satisfactionem vocatus esset, tanti reatus conscius, quantum nostra sæcula nunquam vidissent. Gentilium quippe sæculorum opus esset episcopos incarcerare, & possessionibus suis exuere. Dicerent ergo fratri, quod si Concilio suo placidum commodare dignaretur assensum, tale illi, Deo auctore, largiretur, cui nec ecclesia Romana, nec curia regis Franciæ, nec comes Theobaldus frater amborum, sapiens profecto vir & religiosus, ex ratione contraire posset, sed quod fauorabiliter complecti deberent. Consulte vero impræsentiarum rex faceret, si vel rationem facti sui redderet, vel canonicum iudicium subiret: Ex debito etiam oportere, vt ecclesiæ faueret, cuius sinu exceptus, non manu militum, in regnum promotus fuisset: Sic cum dicto comites egressi, nec multo post prouiso responso reuersi sunt. Comitabatur eos quidam Albericus de Ver, homo causarum varietatibus exercitatus. Is responsum regis retulit, & quantum potuit causam antistitis Rogerii, episcopus enim Alexander abierat, grauauit: Modeste tamen sine vlla verborum contumelia: quamuis quidam co-

mitum ſtantes iuxta crebro loquelam eius interrumperent, probra in epiſcopum iacientes. ANNO CHRISTI 1139.

Albericus regis defenſor.

Hæc ergo fuit ſumma dictorum Alberici: Multis iniuriis Rogerium epiſcopum affeciſſe regem Stephanum: rariſſime ad curiam regis veniſſe: quin homines ſui de eius potentia præſumentes ſeditiones mouiſſent. Qui cum ſæpe alias, tum nuper apud Oxeneford feciſſent impetum in homines, & in ipſum nepotem comitis Alani: in homines etiam Heruei de Leions, qui eſſet tantæ nobilitatis, tanti ſupercilii, vt nunquam regi Henrico petenti animum indulſerit in Angliam venire. Iniuriam ergo regi Stephano redundare, pro cuius amore venerit, quod ei tanta vis illata ſit. Epiſcopum Lincolnienſem ex veteri odio in Alanum ſeditionis per homines ſuos auctorem fuiſſe: epiſcopum Saleſberienſem inimicis regis clam fauere, diſſimulata interim pro tempore verſutia. Id regem ex multis indubitanter comperiſſe: eoque potiſſimum, quod Rogerium de Mortemer cum militibus regiis, quos ductitabat in ſummo de Briſtouuenſibus metu, nec vna nocte idem epiſcopus Malmeſberiæ manere dimiſiſſet. Omnibus eſſe in ore, quod ſtatim vt imperatrix veniſſet, ille ſe ad eam cum nepotibus & caſtellis conferret. Rogerius itaque captus ſic, non vt epiſcopus, ſed vt regis ſeruiens, qui & procurationes eius adminiſtraret, & ſolidatas acciperet. Caſtella non per violentiam rex eripuerit, ſed epiſcopi ambo gratanter reddiderint: vt calumniam de tumultu, quem in curia concitauerant, euaderent. Aliquantulum pecuniarum rex in caſtellis inuenerit, quæ ipſius legitime eſſent: quia eas tempore Henrici regis auunculi & anteceſſoris ſui ex fiſci regii reditibus epiſcopus Rogerius collegiſſet. Eis tamen, ſicut & caſtellis, idem præſul pro timore commiſſorum in regem libens ceſſerit: inde non deeſſe teſtes regi. Ipſum proinde velle, vt pacta inter ſe & epiſcopos rata permanerent.

Rogerius Albericum redarguit.

Reclamatum eſt ab epiſcopo Rogerio contra ſermones Alberici, quod nunquam regis Stephani miniſter fuiſſet, nec ipſius ſolidatas accepiſſet. Minæ quinetiam ab animoſo viro, & qui malis erubeſceret frangi, prolatæ, ſi iuſtitiam de rebus ſibi ablatis in illo Concilio non inueniret, eam in audientia maioris curiæ quærendam. Leniter legatus, vt cetera: Omnia quæ dicuntur contra epiſcopos, prius in Concilio eccleſiaſtico & accuſari, & an vera eſſent decuiſſet inquiri, quam in indemnes contra Canonum decreta ſententiam proferri. Rex itaque faciat quod in forenſibus iudiciis legitimum eſt fieri, vt reueſtiat epiſcopos de rebus ſuis. Alioquin iure gentium diſſaiſati non placitabunt. Dictis in hunc modum vtrobique multis, cauſa petitu regis in poſterum diem dilata, nec minus in craſtinum, ad aduentum archiepiſcopi Rothomagenſis poſtridie prolongata. Is vbi venit, omnium ſuſpenſis animis quidnam afferret, dixit ſe concedere vt caſtella epiſcopi haberent, ſi ſe iure habere debere per Canones probare poſſent: quod quia non poſſent, extremæ improbitatis eſſe contra Canones niti velle. Et eſto, inquit, iuſtum ſit vt habeant. Certe, quia ſuſpectum eſt tempus, ſecundum morem aliarum gentium optimates omnes claues munitionum ſuarum debent voluntati regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controuerſia epiſcoporum infirmabatur. Aut enim ſecundum Canonum ſcita iniuſtum eſt vt habeant

Dilatio regi conceditur.

An & quomodo liceat epiſcopis inuito rege caſtella poſſidere.

ANNO CHRISTI 1139. *castella, aut, si hoc pro indulgentia principali toleratur, vt tradant claues, necessitati temporis debent cedere. His addidit prædictus causidicus Albericus, significatum esse regi, quod minarentur inter se pontifices, pararentque aliquos ex suis contra eum Romam mittere. Et hoc, ait, laudat vobis rex, ne quisquam vestrum præsumat facere, quia si quis contra voluntatem suam & regni dignitatem ab Anglia quoquam iret, difficilis ei fortassis reditus esset. Ipse quinetiam, quia se grauari videt, vltro vos ad Romam appellat. Hæc postquam rex partim quasi laudando, partim minando mandasset, intellectum est quo tenderet. Quapropter ita discessum est, vt nec ipse censuram Canonum pati vellet: nec episcopi eam consultum exerere ducerent duplici ex causa, seu quia principem excommunicare sine apostolici conscientia temerarium esset, seu quoniam audirent, quidam etiam viderent gladios circa se nudari. Non enim iam ludicra erant verba, sed de vita & sanguine pene certabatur. Non omiserunt tamen legatus & archiepiscopus, quin tenorem officii sui prosequerentur. Suppliciter enim pedibus regis in cubiculo affusi orauerunt, vt misereretur ecclesiæ, misereretur animæ & famæ suæ, ne pateretur fieri dissidium inter regnum & sacerdotium. Ille dignanter assurgens, quamuis a se facti eorum amoliretur inuidiam, malorum tamen præuentus consiliis, nullam bonarum promissionum exhibuit efficaciam.*

Kalendis Septembris solutum est Concilium. Hæc ille.

ANNO CHRISTI 1140. [a]

CONCILIVM SENONENSE CONTRA PETRVM ABAILARDVM

celebratum in præsentia Ludouici regis iunioris anno Domini MCXL. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De tempore actisque huius Concilii Baronius anno 1140. ista: Quod ad tempus spectat, ipsum audi sanctum Bernardum, ita querentem: *Stulte mihi dudum requiem promittebam, si quidem leonina rabies quieuisset, & pax ecclesiæ redderetur*, sed secus accidit, nam inferius: *Leonem euasimus, sed incidimus in draconem, qui non minus forsan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quamquam non iam in insidiis, cuius virulenta folia vtinam adhuc laterent in scriniis, & non in triuiis legerentur. Volant libri, & qui oderant lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem; putantes lucem tenebras. Vrbibus & castellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle, venenum passim omnibus propinatur, transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Nouum cuditur populis & gentibus euangelium, noua proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est. De virtutibus & vitiis non moraliter, de sacramentis ecclesiæ non fideliter, de arcano sanctæ Trinitatis non simpliciter nec sobrie disputatur: sed cuncta nobis in peruersum,* Epistola 189.

cuncta præter solitum, & præterquam accepimus, ministrantur. Procedit Golias procero corpore nobili illo suo bellico apparatu circummunitus: antecedente quoque eius armigero Arnaldo de Brixia. Squama squamæ coniungitur, nec spiraculum incedit per eas. Siquidem sibilauit apis quæ erat in Francia api de Italia, & venerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius, &c. Ecce tempus, nempe post extinctum schisma Petri Leonis, & cum Arnaldus ex Italia, vt audisti, rediit in Franciam ad suum magistrum Petrum Abailardum, quando & cœptum est agi aduersus eiusmodi hæreses recens emergentes. ANNO CHRISTI 1140.

At dicamus, quomodo ipso primo egressu prouocauerit sanctum Bernardum ad disputandum in publico episcoporum & abbatum Conuentu, sicut alter Golias, vt audisti, insultans agminibus Dei viuentis, ratus nimirum perfacilem sibi fore suarum hæresum promulgationem, si eius qui colebatur ab omnibus doctissimus atque sanctissimus victor existeret, nam captionibus inanis philosophiæ eum a se vincendum nullatenus dubitabat. Vt autem hoc præstaret, adiit metropolitanum, nempe archiepiscopum Senonensem, qui eiusmodi disputationem indiceret eo colore, quod si ipse vinceretur, omnino cedens palinodiam recantaret. Cum idem archiepiscopus, vt fastum comprimeret insultantis hæretici, ne gloriari posset, non inuentum in Gallia qui suis propositionibus contradicere se posse confideret, pollicitus est illi congressum quem peteret, & Conuentum quem cuperet, sicque suffraganeos ad Synodum vocans episcopos, de his scripsit ad sanctum Bernardum, vt se ad hæreticum expugnandum pararet, sed audi ista ab eodem sancto Bernardo in dicta epistola ad Innocentium, cum subiicit: *Denique*, inquit, *scripsit mihi, solicitante quidem ipso, archiepiscopus Senonensis, diem statuens congressionis, quo ille in præsentia eius & coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere praua dogmata sua, contra quæ ego mutire ausus fuissem. Abnui, tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia; tum quia iudicarem indignum rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constet esse subnixam. Dicebam sufficere scripta eius ad accusandum eum, nec mea referre, sed episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus iudicare. Ille nihilo minus, imo amplius leuauit vocem, vocauit multos, congregauit complices. Quæ de me ad discipulos suos scripserit dicere non curo. Disseminauit vbique se mihi die statuto apud Senonas responsurum. Exiit sermo ad omnes, & non potuit me latere. Dissimulaui primum: nec enim satis rumore populari mouebar. Cedens tamen, licet vix, ita vt flerem, consilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent timebant ne de nostra absentia & scandalum populo & cornua crescerent aduersario; & quia error magis confirmaretur, cum non esset qui responderet aut contradiceret*, &c. Hæc de suo consensu ad conferendum manus cum nouo hæretico tandem extorto.

Bernardus epistola 187.

Scripsit de his interea idem Bernardus ad episcopos qui causæ Christi fauerent, quo scirent omnes se inuitum, sed necessitate coa-

ANNO CHRISTI 1140. ctum eiusmodi susceпisse certamen. At quid tandem accidit? Audiamus ea ab eo qui interfuit, vel a fide dignissimis testibus qui viderunt, accepit, Gofrido monacho Clarauallensi, qui ait: *Adfuit dies, & ecclesia copiosa conuenit, vbi a Dei famulo Petri illius Abailardi in medium scripta prolata sunt, & erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi si posset obiiciendis sibi rationibus pariter & sanctorum testimoniis patrum. At ille nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur, vt tempus redimeret, sedem apostolicam appellauit. Sed & postea ab egregio illo catholicæ fidei aduocato,* Bernardo videlicet, *monitus, vt vel iam sciens in personam suam nihil agendum responderet tam libere quam secure, audiendus tantum & ferendus in omni patientia, non sententia aliqua feriendus; hoc quoque omnimodis recusauit. Nam & confessus est postea suis, vt aiunt, quod ea hora maxima quidem ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit, & interior fugerit sensus. Nihilo minus tamen ecclesia, quæ conuenerat, dimisit hominem, mulctauit abominationem, a persona abstinens, sed dogmata praua condemnans.* Hæc ipse. Sed audiamus ipsum sanctum Bernardum ita scribentem in epistola citata superius ad Innocentium: *Occurri ad locum & diem imparatus, quidem & immunitus, nisi quod illud mente voluebam:* Nolite præmeditari qualiter respondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: *& illud:* Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. *Conuenerant autem præter episcopos & abbates plurimi viri religiosi, & de ciuitatibus magistri scholarum, & clerici literati multi, & rex præsens erat. Itaque in præsentia omnium, aduersario stante, ex aduerso producta sunt quædam capitula de libris eius excerpta. Quæ cum cœpissent legi, nolens audire exiuit, appellans ab electis iudicibus, quod non putamus licere. Porro capitula iudicio omnium examinata, inuenta sunt fidei aduersantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne leuitate, aut certe temeritate vsus in tanto negotio putarer. Verum tu, o successor Petri, iudicabis an debeat habere refugium ad sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice sponsi, prouidebis quomodo liberes sponsam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. Sed, vt paulo audacius loquar cum domino meo, attende etiam tibi ipsi, amantissime pater, & gratiæ Dei quæ in te est. Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, ipse te constituit super gentes & regna? Ad quid, nisi vt euellas & destruas, & ædifices & plantes? Qui igitur tulit te de domo patris tui, & vnxit te vnctione misericordiæ suæ, attende quæso extunc & deinceps quanta fecit animæ tuæ, quanta per te ecclesiæ suæ, quanta in agro dominico, cælo & terra testibus, tam potenter quam salubriter euulsa sunt & destructa, quanta rursum bene ædificata, plantata, propagata. Suscitauit Deus furorem schismaticorum in tuo tempore, vt tuo opere contererentur. Vidi stultum firma radice, & statim maledictum est pulcritudini eius.* Vidi, *inquam*, vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat. Oportet autem, *ait*, hæreses & schismata esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. *Et in schismate quidem iam, vt dictum est, Dominus*

Vita sancti Bernardi, lib. 3. cap. 5.

Epist. 189.

Matth. 10.

Psalm. 117.

Psalm. 36.

1. *Cor.* 11.

ANNO CHRISTI 1140.

probauit te & cognouit te. Sed ne quid deſit coronæ tuæ, en hæreſes ſurrexerunt. Itaque ad conſummationem virtutum, & ne quid minus feciſſe inueniamini a magnis epiſcopis anteceſſoribus veſtris, capite nobis, pater amantiſsime, vulpes quæ demoliuntur vineam Domini, &c. Hæc ſcripſit ſanctus Bernardus ad Innocentium.

Quippe qui vt audiuit appellantem ad apoſtolicam ſedem hæreticum hominem, vt ipſe pontifex, & vniuerſa Romana eccleſia de his omnibus certior redderetur, idem ſanctus Bernardus legauit Romam ad eumdem pontificem Nicolaum monachum Ciſtercienſem, cuius eſt plurima laus in epiſtolis ad eum datis a Petro Cluniacenſi: huic inquam literas dedit ad Innocentium ipſum, itemque ad eumdem ſcripſit errores eiuſdem Abailardi atque confutationes. Quod, inquam, ille ſedem apoſtolicam appellaſſet, & cauſa ibi cognoſcenda eſſet, voluit de omnibus eumdem pontificem certiorem reddidiſſe, a quo eſſet ſententia expectanda. Sed & ex perſona Rhemenſis archiepiſcopi, & quorumdam aliorum epiſcoporum ſcripſit alias eodem argumento literas ad eumdem Innocentium papam. Scripſit & ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, & de eodem epiſtolam ſcripſit ad Guidonem de Caſtello, qui poſtea fuit Cæleſtinus papa, antea vero fuerat in philoſophia eiuſdem Abailardi diſcipulus: ne videlicet ob antiquam amicitiam eius ſuſciperet patrocinium, perſtringenſque errores eius quam enormes fuerint, hæc breuiter habet in fine: *Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arium; cum de gratia, ſapit Pelagium; cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium*, &c. ſcripſit pariter ad Iuonem ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem, & cum de eius animo prauo teſtificationes adducit, addit, iam antea damnatum fuiſſe vna cum opere ſuo coram ſedis apoſtolicæ legato, ſed adhuc ſecurum eſſe, inquit, quod cardinales & Romanæ eccleſiæ clericos ſe habuiſſe diſcipulos gloriaretur. Etenim ipſe publice profeſſus erat in Gallia, & ob celebre nomen eius complures ad eum confluxerant diſcipuli literis philoſophicis imbuendi.

Bernardus epiſt. 189. 190.

Epiſt. 191.

Epiſt. 188.

Epiſt. 192.

Epiſt. 193.

Cauſam & acta Concilii huius Otto Friſingenſis lib. 1. de Friderico cap. 48. & 49. deſcribit his verbis: *Poſthæc dum rurſus pluribus diebus legeret, maximamque poſt ſe ſociorum multitudinem traheret, ſedente in vrbe Roma Innocentio, in Francia vero Ludouico ſuperioris Ludouici filio regnante, ab epiſcopis abbateque Bernardo denuo ad audientiam apud Senonas euocatur, præſentibus Ludouico rege, Theobaldoque palatino comite, & aliis nobilibus, de populoque innumeris. Vbi dum de fide ſua diſcuteretur, ſeditionem populi timens, apoſtolicæ ſedis præſentiam appellauit. Epiſcopi vero ſimul & abbas, miſſa ad Romanam eccleſiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur capitulis, damnationis eius ſententiam in literis reportauerunt, quarum exemplar hoc eſt:*

Reueren-

ANNO CHRISTI 1140.

Reuerendißimo domino, & dilectißimo patri, Dei gratia ſummo pontifici Innocentio, Samſon Rhemenſis archiepiſcopus, Iozelinus Sueßionenſis, Guilielmus Catalaunenſis, Aluiſus Atrebatenſis epiſcopi, debitæ ſubiectionis voluntarium obſequium.

Est epiſtola 191. D. Bernardi.

AVRIBVS occupatis ad plurima, verbum facimus breue de prolixo negotio, pro eo maxime quod idipſum plenius & diffuſius continetur in literis domini Senonenſis. Petrus Abailardus Chriſtianæ fidei meritum euacuare nititur, dum totum quod Deus eſt, humana ratione arbitratur ſe poſſe comprehendere: aſcendit vſque ad cælos, & deſcendit vſque ad abyſſos. Nihil eſt quod lateat eum, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Homo eſt magnus in oculis ſuis, diſputans de fide contra fidem, ambulans in magnis & mirabilibus ſuper ſe; ſcrutator maieſtatis, hæreſum fabricator. Iamdudum fecerat librum de ſancta Trinitate, ſed ſub legato Romanæ eccleſiæ igne examinatus eſt; quia inuenta eſt in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Ierico. Surrexit a mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreſes, quæ dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Denique iam extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad Romam propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber ſuus in curia Romana habet vbi caput ſuum reclinet: hinc confortatus & confirmatus eſt *error illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis vſquequaque. Propterea cum in conſpectu epiſcoporum ſuper his eum argueret abbas Claræuallenſis zelo iuſtitiæ & fidei armatus, ille nec confeſſus eſt, nec negauit, ſed a die, a loco & iudice, quem ipſe ſibi elegerat, ſine læſione, ſine grauamine, vt prolongaret iniquitatem, ſedem apoſtolicam appellauit. Epiſcopi qui propter hoc in vnum conuenerant, veſtræ reuerentiæ deferentes, nihil in perſonam eius egerunt, ſed tantummodo capitula a ſanctis olim patribus condemnata, medicinali neceſſitate, ne morbus ſerperet, abiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum qui ſibi credat habet, neceſſe eſt vt huic morbo celeri medicina occurratis:

*furor

ſero (enim) *medicina paratur,*
Cum mala per longas inualuere moras.

Proceſſimus nos in hoc negotio quouſque auſi ſumus. Tuum, beatiſſime pater, eſt de cetero prouidere, ne aliqua hæreticæ prauitatis macula decor eccleſiæ contaminetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti, o amice ſponſi. Tuum eſt eamdem vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. ANNO CHRISTI 1140.

RESCRIPTVM INNOCENTII PAPÆ.

Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Henrico Senonenſi, Reinaldo Rhemenſi archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis, & cariſſimo in Chriſto filio Bernardo Carauallenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Epheſ. 4. TESTANTE Apoſtolo, ſicut vnus Deus, vna fides eſſe dignoſcitur, in qua tamquam immobili fundamento, præter quam nemo aliud poteſt ponere, firmitas catholicæ eccleſiæ inuiolata conſiſtit, inde eſt quod beatus Petrus apoſtolorum princeps pro eximia huius fidei confeſſione audire meruit: *Tu es*, inquam, *beatus Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* *Matth. 16.* Petram vtique firmitatem fidei, & catholicæ vnitatis ſoliditatem manifeſte deſignans. Hæc ſiquidem eſt inconſutilis tunica Redemptoris noſtri, ſuper quam milites ſortiti ſunt, ſed eam diuidere minime potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania: aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Verum apoſtoli duces dominici gregis, & eorum ſucceſſores apoſtolici viri, ardore caritatis, & zelo rectitudinis ſuccenſi, fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprii ſanguinis effuſione plantare non dubitauerunt. Demum ceſſante perſecutorum rabie, imperauit ventis, & facta eſt in eccleſia tranquillitas magna. Sed quia hoſtis humani generis ſemper circuit, quærens quem deuoret, ad expugnandam ſinceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam ſubinduxit. Contra quas veri eccleſiarum rectores viriliter inſurgentes, eorum praua dogmata cum ipſorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicæna Synodo Arius hæreticus eſt damnatus. Conſtantinopolitana Synodus Manichæum hæreticum

Hæreſes in Conciliis damnatæ.

ANNO CHRISTI 1140. debita sententia condemnauit. In Ephesina Synodo Nestorius condignam sui erroris condemnationem recepit. Calchedonensis quoque Synodus Nestorianam haresin & Eutychianam cum Dioscoro & eius complicibus iustissima sententia confutauit. Marcianus praterea licet laicus, Christianissimus tamen imperator, catholicæ fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo papæ Ioanni scribens, aduersus eos qui sacra mysteria profanare contendunt, inter cetera sic loquitur, dicens: Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publice conetur in posterum tractare. Nam iniuriam facit iudicio reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata & recte disposita reuoluere, & iterum disputare contendit: & in contemptores huius legis tamquam in sacrilegos pœna non deerit. Igitur si quis clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, a consortio clericorum remouebitur. Dolemus autem, quoniam sicut literarum vestrarum inspectione, & missis a fraternitate vestra nobis errorum capitulis cognouimus, in nouissimis diebus, quando instant periculosa tempora, magistri Petri Abailardi pernicioſa doctrina, & prædictorum hæreses, & alia peruersa dogmata catholicæ fidei obuiantia, pullulare cœperunt. Verum in hoc maxime consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, quod in partibus vestris pro patribus tales filios susscitauit, & in tempore apostolatus nostri in ecclesia sua tam præclaros voluit esse pastores, qui noui hæretici studeant calumniis obuiare, & immaculatam sponsam vni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque qui in cathedra sancti Petri, cui a Domino dictum est, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, licet indigni, residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri dogmata, sanctorum Canonum auctoritate, cum suo auctore damnauimus, eique tamquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque errores sui sectatores & defensores, a fidelium consortio sequestrandos, & excommunicationis vinculo innodandos esse censemus. Luc. 22.

Datum Laterani duodecimo Kalendas Augusti.

Sententia quam in Abailardum & Arnaldum de Brixia Innocentius papa tulit, extat supra in fine Concilii Lateranensis. Post hæc subiungit: *Petrus damnationem sui dogmatis a Romana ecclesia confirmatam cognoscens, ad Cluniacense cœnobium se contulit, apologeticum scribens, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit: Ne, iuxta Boetianum illud, proœmiis nihil afferentibus, tempus teratur, ad rem ipsam veniendum est, vt innocentiam meam ipsa rerum veritas potius quam verborum excuset prolixitas. Hæc autem pauca de multis contra eum posita sufficiant capitula:*

Quod Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia.

Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.

Quod Spiritus sanctus sit anima mundi.

Quod Christus non assumpsit carnem, vt nos a iugo diaboli liberaret.

Quod non peccauerunt qui Christum ignoranter crucifixerunt.

Ipse vero non multis post diebus coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens in eodem vitam finiuit cœnobio. Hæc Otto Frisingensis.

Anno Christi 1140.

[a] CONCILIVM VVINTONIENSE II.

Anno Christi 1142.

IN CAVSA ANGLICANI REGNI CELEBRATVM anno Domini MCXLII. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

Acta Concilii.

[a] *Concilium.*] Vvilielmus Malmesburiensis lib. 2. historiæ nouellæ acta huius Concilii describit his verbis: *Feria secunda post octauas paschæ Concilium archiepiscopi Cantuariæ Theobaldi, & omnium episcoporum Angliæ, multorumque abbatum, legato præsidente, Vvintoniæ ingenti apparatu inceptum. Si qui defuerunt, legatis & literis causas cur non venissent dederunt. Cuius Concilii actioni, quia interfui, integram veritatem rerum posteris non negabo: egregie quippe memini. Ipsa die post recitata scripta excusatoria, quibus absentiam suam quidam tutati sunt, seuocauit in partem legatus episcopos, habuitque cum eis arcanum consilii sui: mox abbates, postremo archidiaconi conuocati. Ex consilio nihil processit in publicum: volutabatur tamen per omnium mentes & ora quid foret agendum.*

Feria tertia hoc fere sensu legati cucurrit oratio: Dignatione papæ se vices eius in Anglia tenere: ideoque per eius auctoritatem clerum Angliæ ad hoc Concilium congregatum, vt de pace patriæ, quæ grandi periculo naufragabatur, consuleretur in medium. Tempore regis Henrici auunculi sui singulare domicilium pacis in Anglia fuisse, ita vt per viuacitatem, animositatem, industriam eiusdem præcellentissimi viri non solum indigenæ cuiuscumque potentiæ vel dignitatis essent, nihil turbare

ANNO CHRISTI 1142. auderent, sed etiam eius exemplo finitimi quicumque reges, & principes in otium & ipsi concederent, & subiectos vel inuitarent, vel impellerent. Qui videlicet rex nonnullis ante obitum annis filiæ suæ quondam imperatrici, quæ sola sibi proles ex desponsata quondam coniuge supererat, omne regnum Angliæ, simul & ducatum Normanniæ, iurari ab omnibus episcopis, simulque baronibus fecerit, si successore masculo ex illa, quam ex Lotharingia duxerat, vxore careret. Et inuidit, inquit, atrox fortuna præcellentissimo auunculo meo, vt sine masculo herede in Normannia decederet. Itaque quia longum videbatur dominam expectare, quæ moras ad veniendum in Angliam nectebat, in Normannia quippe residebat, prouisum est paci patriæ, & regnare permissus frater meus. Enimuero quamuis ego vadem me apposuerim inter Deum & eum, quod sanctam ecclesiam honoraret, & exaltaret, & bonas leges manuteneret, malas vero abrogaret, piget meminisse, pudet narrare, qualem se in regno exhibuerit, quomodo in præsumptores nulla iustitia exercita quomodo pax omnis statim ipso pene anno abolita, episcopi capti, & ad redditionem possessionum suarum coacti, abbatiæ venditæ, ecclesiæ thesauris depilatæ, consilia prauorum audita, bonorum vel suspensa vel omnino contempta. Scitis quoties eum tum per me, tum per episcopos conuenerim, Concilio præsertim anno præterito ad hoc indicto, & nisi odium nihil acquisierim. Nec illud quemquam, qui recte pensare velit, latet, debere me fratrem meum mortalem diligere, sed causam Patris immortalis multo pluris facere. Itaque quia Deus iudicium suum de fratre meo exercuit, vt eum, me nesciente, in potestatem potentium incidere permitteret, ne regnum vacillet, si regnante careat, omnes vos pro iure legationis meæ huc conuenire inuitaui. Ventilata est hesterno die causa secreto coram maiori parte cleri Angliæ, ad cuius ius potissimum spectat principem eligere, simulque ordinare. Inuocata itaque primo, vt par est, in auxilium diuinitate, filiam pacifici regis, glorioſi regis, diuitis regis, boni regis, & nostro tempore incomparabilis in Angliæ Normanniæque dominam eligimus, & ei fidem & manutenementum promittimus.

Cumque omnes præsentes vel modeste acclamassent sententiæ, vel silentes non contradixissent, subiecit: Londinenses, qui sunt quasi optimates pro magnitudine ciuitatis in Anglia, nuntiis nostris conuenimus, & conductum, vt tuto veniant, misimus, eosque confido non vltra hunc diem moraturos: bona venia vsque cras sustineamus.

Feria quarta venerunt Londinenses, & in Concilium introducti causam suam eatenus egerunt, vt dicerent missos se a communione quam vocant Londoniarum, non certamina sed preces afferre, vt dominus suus rex de captione liberaretur: hoc omnes barones, qui in eorum communionem iamdudum recepti fuerant, summopere flagitare a domino legato, & ab archiepiscopo, simulque omni clero, qui præsens erat. Responsum est eis a legato vbertim, & splendide, & quo minus fieret quod rogabant, eadem oratio quæ pridie habita. Adiectum etiam, Non decere, vt Londonienses, qui præcipui habebantur in Anglia, sicut proceres, illorum partes fouerent qui dominum suum in bello reliquerant,

quorum consilio idem sanctam ecclesiam exhonorauerat, qui postremo non ob aliud ipsis Londonien sibus fauere videbantur, nisi vt eos pecuniis emungerent. ANNO CHRISTI 1141.

Interea surrexit quidam, cuius nomen, si bene memini, Christianus, reginæ, vt audiui, clericus, porrexitque chartam legato, qua ille sub silentio lecta, voce, quantum potuit, exaltata dixit non esse legitimam, nec quæ deberet in tanto, præsertimque sublimium & religiosarum personarum Conuentu recitari. Præter cætera enim quæ reprehensibilia & notabilia erant scripta, testem appositum, qui præterito anno, in eodem, quo tunc sedebant, capitulo venerabiles episcopos maxima verborum affecerit contumelia. Ita illo tricante clericus legationi suæ non defuit, sed præclara fiducia literas legit in audientia, quarum hæc erat summa: Rogabat regina obnixe omnem clerum congregatum, & nuncupatim episcopum Vvintoniæ fratrem domini sui, vt eumdem dominum regno restituerent, quem iniqui viri, qui etiam homines sui essent, in vincula coniecissent. Huic suggestioni retulit legatus verba in eamdem sententiam, qua & Londinensibus. Illi communicato consilio dixerunt, se decretum Concilii conuicaneis suis relaturos, & fauorem suum, quantum possent, præstituros.

Feria quinta solutum est Concilium, excommunicatis ante multis, qui regiarum erant partium, nominatim Vvilielmo Martello, qui quondam pincerna regis Henrici, tunc dapifer Stephani. Iste immaniter exulcerauerat legati animum, multis rebus eius interceptis & subreptis. Itaque multæ fuit molis Londinensium animos permulcere posse, vt cum hæc statim post pascha, vt dixi, fuerint actitata, vix paucis ante natiuitatem beati Ioannis diebus imperatricem reciperent.

[a] CONCILIVM ANTIOCHENVM CONTRA RADVLPHVM PATRIARCHAM

Antiochenum sub præsidio Alberici Ostiensis archiepiscopi, & apostolicæ sedis legati, celebratum anno Domini MCXLII. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

Occasio Concilii.

[a] *Concilium.*] Occasionem Concilii celebrati Tyrius lib. 15. cap. 15. his verbis commemorat: *Interea legatus quidam ecclesiæ Romanæ, Petrus nomine, natione Burgundio, Lugdunensis archiepiscopus, missus a domino Innocentio papa, vt causæ prædictæ debitum finem imponat, venit in Syriam, apud Accon applicans. Erat autem vir vitæ venerabilis, simplex, ac timens Deum, longæuus, & iam in senium vergens. Qui statim, ex quo Syriam ingressus est, Hierosolymam orationis gratia profectus est: vnde sub compendio digressus, vrgentibus eum prædictis Lamberto & Arnulpho, vt Antiochiam, vti finem impositurus, accelaret, Accon iterum peruenit: vbi graui correptus ægritudine, antequam*

ANNO CHRISTI 1142. *procederet, veneno, vt dicitur, in potu miniſtrato, ſubito deficiens, in fata conceſsit. Prænominati autem patriarchæ aduerſarii Antiochiam properantes, omnimodo deſtituti auxilio, ſpe quoque, quam de aduentu legati conceperant, fruſtrati, viæ & laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tædio fatigati, per interuentores, quos ad hoc reputabant idoneos, pacem ſupplices poſtulant, reſtitutionem beneficiorum ſuorum implorant, accuſationi renuntiare parati, & fidelitatem exhibere. Lambertus in archidiaconatum reſtituitur: Arnulphus vero nihil humanitatis inueniens, principis iterum fretus auxilio, ſolita longanimitate iterum ad labores & iter accingitur: Romamque proficiſcens, iterum opportune & importune pulſat: tandemque precibus proterue inſiſtens, obtinet vt prædictus legatus, de quo nobis in præſenti ſermo eſt, in Syriam dirigatur. Qui Hieroſolymam, vt præmiſimus, adueniens, completis orationibus, dominum patriarcham & vniuerſos regni pontifices ad Synodum conuocans, apud Antiochiam pridie Kalendas Decembris celebrandam, illuc cum omni celeritate contendit.*

De illis qui Concilio interfuerunt, quæque in eo in cauſa patriarchæ geſta ſunt, hæc ſubiungit: *Die igitur ſtatuta adfuerunt de diœceſi Hieroſolymitana dominus Vvilielmus patriarcha, Gaudentius Cæſarienſis archiepiſcopus, Anshelmus Bethlehemita epiſcopus: adfuit & dominus Fulcherus Tyrenſis archiepiſcopus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ multum deuotus & fidelis, in quo tota legato ſpes erat conſummationis negotii: erat autem vir magnanimus, & diſcretus plurimum: adfuit quoque cum duobus de ſuffraganeis ſuis, Bernardo videlicet Sidonienſi, & Balduino Berytenſi. De prouincia autem Antiochena, quoniam viciniores erant, adfuerunt vniuerſi, quorum varia nimis & abinuicem diſſona erant deſideria. Nam Stephanus Tarſenſis archiepiſcopus, Gerardus Laodicenſis, Hugo Gabulenſis epiſcopi, canonicorum contra dominum patriarcham fouebant cauſam. Franco autem Hieropolitanus, & Gerardus Coritienſis, Serlo quoque Apamienſis, licet ei ab initio aduerſarius fuiſſet, conuerſus ad eum, domino patriarchæ ſuum manifeſte præſtabat patrocinium; alii in neutram partem manifeſte videbantur declinare. Die ergo præfixa, reſidentibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ex more, in eccleſia principis apoſtolorum, & pontificalibus indutis, præſidente domino legato, & vices domini papæ obtinente, lectus ibi eſt in publico mandatorum domini papæ tenor. Quo perlecto diligentius, & plenius cognito, prodierunt in publicum accuſatores, Arnulphus ſæpe dictus, & Lambertus archidiaconus: qui licet prius cum domino patriarcha conueniſſet in dolo, & beneficii ſui obtinuiſſet reſtitutionem, tamen conuerſus in arcum prauum, denuo ſe conſtituit accuſatorem. Adiunctique ſunt eis alii etiam complures, videntes non ſatis proſpere tempora domino patriarchæ reſpondere. Hic etiam erat illud manifeſte verum deprehendere quod Naſo noſter prouerbialiter dicendum tradidit:*

Cum fueris felix, multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Procedentes igitur in publicum auditorium accuſatores, paratos ſe dicunt, ſecundum iuris regulas, porrectis libellis accuſatoriis, ad accu-

ſandum procedere ; & ſubire, ſi deficiant, talionem. Erant autem capitula ſuper quibus propoſuerant eum impetere ſchedulis inſcripta. Quædam de enormi & indiſciplinato, & contra regulas ſanctorum patrum, eius in patriarchatum introitu : quædam de eius incontinentia, & operibus ſimoniacis. His inſtanter poſtulantibus vt ſe præſentem exhiberet, mittuntur qui eum ad Synodum ſolenniter inuitent, & vt ad obiecta veniat reſponſurus moneant : qui omnino venire refutauit. Ea itaque die nihil amplius proceſſum eſt in verbo illo, niſi quod exhortatorios habuerunt ſermones adinuicem, ſicut moris eſt in talibus. Secunda iterum die, conuenientes denuo, & ex ordine reſidentes, iterum citatorio edicto dominum patriarcham ſolenniter vocant : qui, ſicut & pridie, omnino venire noluit. Interim Serlo Apamienſis archiepiſcopus, in choro pontificum ſine veſte reſidens nuptiali, non enim more aliorum indutus erat pontificalibus, a domino legato conuenitur, quare reliquis fratribus non conſonaret : & quare ad accuſandum, ſicut aliquando fecerat, non procederet. Reſpondit : Quod aliquando feci, inconſulto calore, & contra ſalutem animæ meæ, detrahens patri meo, & more maledicti Cham verenda patris diſcooperiens, operatus ſum : & nunc ab errore deuio, me, auctore Domino, reuocans, nec eum accuſare, nec iudicare præſumptuoſe, tentabo ; ſed pro eius ſtatu & incolumitate paratus ſum vſque ad mortem decertare. Præcipitur ergo exire : & data in eum ſententia excommunicationis ſimul & degradationis, ſiue iuſte, ſiue aliter, ab omni officio ſacerdotali & pontificali depoſitus eſt. Tantus enim timor domini principis, in partem legati nimium procliuis, omnes inuaſerat, vt iam nulla contradicendi libertas alicui præſtaretur. Incendebat eumdem principem, minus prouidum, & indiſcretum, quidam Petrus Armoinus, præſidii ciuitatis cuſtos, vir malitioſus ſupra modum, ſperans, quod ſi patriarcham deponi contingeret, quemdam nepotem ſuum, Haymericum nomine, quem dominus patriarcha in ſuam perniciem eiuſdem eccleſiæ decanum fecerat, poſſet per ſeductum principem in ſedem illam proue-here : quod & factum eſt. Serlo igitur, ſiue de facto, ſiue de iure depoſitus, Antiochia egrediens, in ſuam diœceſim ſe contulit : peruenienſque ad caſtrum Harenc, ægritudine præuentus, & curarum anxius pondere, lecto decubuit : & conuerſus ad parietem, & iniuriarum enormitatem non ferens, exſpirauit. ANNO CHRISTI 1142.

Tertia demum die iterum conuenientes, & reſidentes ex ordine, tertio dirigunt qui dominum patriarcham peremptorio citent edicto, & vt veniat obiectis reſponſurus moneant. Qui (vtrum conſcientiam veritus, an contra ſe Synodum inuidioſe collectam ſciens, & principis violentiam timens, pro certo compertum non habemus) venire, ſicut & prius, omnino negauit. Erat autem in palatio ſuo, cum ſuis familiaribus, multo ſtipatus equitum & popularium comitatu : confluxerant enim ad eius ſubſidium vniuerſi de ciuitate : qui niſi principis timuiſſent potentiam, legatum cum vniuerſis, qui in eius depoſitionem conuenerant, vrbe cum ignominia parati erant depellere. Videns ergo legatus quod ad ſe venire nolebat patriarcha, de domini principis confiſus patrocinio & viribus, in palatium aſcendit, ibique data in eum depoſitionis ſenten-

ANNO CHRISTI 1142. *sententia, annulum & crucem compulit violenter resignare: inde, iubente legato, principi traditus, & vinculis miserabiliter alligatus, tamquam vir sanguinum ignominiose tractatus, apud monasterium sancti Simeonis, iuxta mare, in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Fuit autem idem dominus Radulphus (nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum) vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum, literatus mediocriter, sed facundus plurimum, & iucundissimi sermonis, multam habens gratiam, liberalis admodum, militarium virorum, sed & secundæ classis fauorem non modicum assecutus, promissorum & pactorum facile immemor: in verbo suo varius & inconstans, subdolus, ac nimium in omni via sua multiplex, prouidus & discretus: in eo solo repertus imprudentior, quod aduersarios, quos sibi merito suscitauerat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Dicebatur etenim, & vere sic erat, arrogans, & de se plus æquo præsumens: vnde in eum deuenit casum, quem, si aliquantulum circumspectius se habuisset, facile potuisset declinare. Captus ergo, & catenatus, in monasterio diu detentus, tandem elapsus Romam profectus est. Ibi aliquatenus gratiam sedis apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interiit: in seipso, quidquid vtraque fortuna facere poterat, alter Marius, plenius expertus.* Hucusque Tyrius.

Baronius de tempore incertus de hac & sequenti Synodo, plura anno 1136. num. 30. & sequentibus coniungit.

[a] CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM SVB EIVSDEM LEGATI APOSTOLICI præsidio contra Armeniorum in fide errores celebratum sub Innocentio papa II. circa annum Domini MCXLIII.

ANNO CHRISTI 1143.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Postquam Tyrius prædictis capitibus de Antiocheni Concilii actis egisset, de rebus in hac Synodo gestis ista ait: *Legatus igitur, depositio patriarcha, & consummatis apud Antiochiam pro quibus venerat negotiis, Hierosolymam reuersus est: vbi vsque ad solennitatem paschalem moram faciens, habito prius consilio cum prælatis ecclesiarum, tertia post sanctum pascha die, vna cum domino patriarcha, & episcoporum nonnullis, templum Domini solenniter dedicauit. Adfuerunt ibi dedicationis die multi tam de partibus vltramontanis, quam de cismarinis regionibus, magni & nobiles viri. Inter quos adfuit & dominus Ioscelinus iunior, comes Edessanus, qui tunc in solennibus sancti paschæ diebus magnifice nimis in ciuitate moram faciebat. Qua celebritate completa, conuocatis archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, vna cum domino patriarcha Concilium celebrauit, in primitiua* Acta Concilii.

& eccleſiarum matre ſancta Sion, tractans ibi cum eis de iis quæ inſtanti tempore videbantur conuenire. Cui Synodo interfuit Maximus Armeniorum pontifex, imo omnium epiſcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Perſidis, & vtriuſque Armeniæ princeps, & doctor eximius, qui catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus a nobis diſſentire videtur populus eius, habitus eſt tractatus, & ex parte eius promiſſa eſt in multis correctio: quibus rite peractis, prædictus legatus ad Acconenſem rediens ciuitatem, inde parato nauigio Romam reuerſus eſt. Clerus vero Antiochenus, & maxime qui in depoſitione domini Radulphi conſpirauerant, inſtinctu & ſuggeſtione principis, & maxime, vt dicitur, interuentu munerum, elegerunt ſibi quemdam eiuſdem eccleſiæ ſubdiaconum, Haimericum nomine, Lemouicenſem, hominem abſque literis, non ſatis honeſte: quem prædictus dominus Radulphus, arbitrans eum ſibi reddere obligatiorem & fideliorem amplius, in decanum eiuſdem eccleſiæ promouerat, ſpe fruſtratus. Nam ab ea die cum eius aduerſariis dicitur conueniſſe, & in benefactoris ſui fidelitatis immemor conſpiraſſe depoſitionem. Quod autem de eius promotione factum eſt, Petrus quidam, cognomine Armenius, eiuſdem ciuitatis caſtellanus, artibus ſuis & multa munerum profuſione aggreditur, & tam clerum quam principem ad id impuliſſe dicitur, eo quod eius eſſet conſanguineus.

Anno Christi 1143.

VITA CÆLESTINI PAPÆ II.

Anno Christi 1143.

Cæleſtinus papa quando.

CÆLESTINVS ſecundus, natione Tuſcus, Guido antea vocatus, ex presbytero cardinale tituli ſancti Marci, iuxta conſtitutionem Innocentii prædeceſſoris ſui, qua populus omnino a pontificis electione arcebatur, primus ſine vllis populi ſuffragiis, teſte Onuphrio, propter ciuile bellum quod a Romanis ſenatum reſtituere ſatagentibus imminebat, creatus eſt pontifex tempore Conradi imperatoris, anno Domini 1143. illo die quo Innocentius ſecundus e viuis deceſſerat. Petrus Cluniacenſium abbas ſcripſit ad eum epiſtolam, apud Papirium Maſſonum extantem, qua continetur ipſum legitime electum initio pontificatus Romæ omnia pacata habuiſſe. Vvilielmum Eboracenſis eccleſiæ theſaurarium, hominem tunc temporis improbum, in ſedem Eboracenſem bis intruſum, ab Innocentio damnatum & fugatum, per ſurreptionem eccleſiæ Eboracenſis epiſcopum ordinauit & conſecrauit, & contra ſanctum Bernardum hac de re grauiter conquerentem defendit. Cum, iuxta Vrſpergenſem, menſibus

quinque & diebus tredecim, ſecundum Ottonem Friſingenſem, menſibus fere ſex pontificatum tenuiſſet, obiit anno Domini 1144. & ſepultus eſt Romæ in baſilica Conſtantiniana. Vaticanus codex de vitis pontificum iſta habet: Hic fecit ordinationem per menſem Decembrem, in qua creauit diaconos ſeptem, presbyteros per diuerſa loca, & epiſcopos per diuerſa loca . . . . . Defunctus eſt apud Palladium octauo Idus Martii, & in eccleſia Lateranenſi tumulatus.

Tempus ſedis & obitus papæ.

Anno Christi 1143.

CONCILIVM LONDONIENSE CONTRA SACRILEGOS RERVM ET perſonarum eccleſiaſticarum violatores celebratum anno Domini MCXLIII. ſub Cæleſtino papa II.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De hoc Concilio Rogerus in annalibus his verbis: *Anno gratiæ milleſimo centeſimo quadrageſimotertio, qui erat annus octauus regni regis Stephani, rex Stephanus interfuit Concilio Londoniæ in media quadrageſima. Quo quia nullus honor vel clericis vel eccleſiæ Dei a raptoribus deferebatur, & æque capiebantur & redimebantur clerici vt laici, tenuit idem Vvintonienſis epiſcopus Vrbis Romanæ legatus Concilium apud Londoniam, clericis pro tempore neceſſarium: in quo ſancitum eſt, ne qui alicui clerico violentas manus iniecerit, ab alio poſſit abſolui, quam ab ipſo papa, & in præſentia ipſius. Unde clericis aliquantulum ſerenitatis vix tamdem illuxit.* Hæc Rogerus. De eadem Synodo, *Anno*, inquit Matthæus Paris, 1142. *Vvilielmus Vvintonienſis epiſcopus, & ſedis apoſtolicæ legatus, in media quadrageſima, apud Londoniam, Concilium, rege præſente & epiſcopis, celebrauit. Nullus enim honor vel reuerentia ferebatur Dei eccleſiæ vel eius ordinatis a prædonibus ſceleratis, ſed æque clerici & laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur. Sancitum eſt ergo ibi, & generaliter conſtitutum, ne aliquis, qui eccleſiam cœmeteriumque violauerit, vel in clerico aut viro religioſo manus iniecerit violentas, ab alio quam ipſo papa poſſit abſolui. Statutum eſt etiam, vt aratra in campis cum ipſis agricolis talem pacem habeant in agris, qualem haberent in cœmeterio, ſi extitiſſent. Excommunicauerunt autem omnes qui contra hoc decretum venirent, candelis accenſis, & ſic miluorum rapacitas aliquantulum conquieuit.*

Tempus & acta Concilii.

VITA ET EPISTOLÆ LVCII PAPÆ II.

Anno Christi 1144.

Lucius papa quis & qualis.

LVCIVS, cui Gerardi nomen fuerat, patre Alberto ciue Bononienſe ex Caccianimica familia genitus, vir pro manſuetudine & humilitate ſua, iudicio Ottonis Friſingenſis, officio ſacerdotali dignus, ex cardinale tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem factus eſt pontifex anno Domini

Quando creatus.

1144. tempore Conradi imperatoris. De quo ex Vaticano codice iſta Baronius: Hic fuit ex prouincia Æmiliæ, patria Bononienſis, ex patre Viſeo. Hic aſſumptus eſt a domino papa Honorio in titulo ſanctæ Crucis, & creatus Romanæ eccleſiæ bibliothecarius, ſuamque eccleſiam ſicut bonus paſtor, tam in ædificiis quam in poſſeſſionibus multum ac plurimum augmentauit, & diuitem de pauperrima fecit. Fabrica autem ipſius eccleſiæ a ſummo vſque deorſum in melius reformata, & clauſtrum cum omnibus officinis de nouo ædificauit, & conuentum ibidem canonicorum regularium, Deo auctore, conſtituit. Hunc autem præclarum virum pro ſcientia & vitæ ſuæ meritis papa Innocentius poſt mortem Haimerici cancellarii arctius ſibi aſtrinxit, & cancellarium apoſtolicæ ſedis conſtituit, atque in obitu ſuo tamquam præcipuo & digniori eccleſiæ membro bona eccleſiæ commiſit. Hic tamquam vir prudens & fortis, habito cum eccleſiæ fidelibus conſilio, ſenatores, qui contra prohibitionem prædeceſſoris ſui papæ Innocentii Capitolium conſcendere, ſenatum abiurare coegit. Quas cum Rogerio Siciliæ rege belli inducias iniuerit, indicat eius epiſtola quam ad Petrum Cluniacenſem ſcripſit. Grauem a ciuibus perſecutionem paſſus, ait

Quid paſſus.

Friſingenſis lib. 7. cap. 31. humiles ad regem Conradum, tam ſuam oppreſſionem continentes, quam de incolumitate & proſperitate eius Deo gratias agentes, ipſumque ad patrocinium Romanæ eccleſiæ inuitantes literas mittit. Et paulo poſtquam recitaſſet fragmentum commemoratæ epiſtolæ, ait: De die in diem animam iuſti affligere non timuerunt. Ipſe autem quotidianis cruciatibus ac tædio vitæ affectus, infra anni ſpacium pontificatus

ſui, diem obiit, quinto Kalendas Martii, cum ſediſſet menſes vndecim, dies vero quatuordecim. In codice Vaticano, qui inſcribitur de priuilegiis Romanæ eccleſiæ, inter res geſtas Lucii, ait Baronius, de occaſione obitus eius aſſeritur, ipſum cum Romanos ad noua ſtudia concitatos a Capitolio depellere conaretur, incerto lapidis ictu percuſſum, inde ægrotaſſe, & ex hac vita migraſſe. Huius pontificis tempore Alphonſus Portugalliæ dux pietatis ergo ſuum ducatum conſtituit Romanæ eccleſiæ vectigalem, annuo cenſu vnciarum auri quatuor: ita Innocentius III. epiſtola 100. lib. 1. epiſtolarum. Atque ita Romanis Romanæ eccleſiæ rebellantibus & aduerſantibus principes longe poſiti eamdem venerantes illi ſeſe ſponte ſubiiciunt. Huius pontificis diebus, ſcribit Otto Friſingenſis de geſtis Friderici lib. 1. cap. 27. & 28. Arnoldus, alias Arnaldus, quidam religionis habitum habens, ſed eum minime, vt ex doctrina eius patuit, ſeruans, ex eccleſiaſtici honoris inuidia vrbem Romam ingreditur, ac ſenatoriam dignitatem equeſtremque ordinem renouare ad inſtar antiquorum volens, totam pene Vrbem ac præcipue populum aduerſus pontificem ſuum concitauit, eaque de re literas, quas idem Otto loco ſupradicto refert, ad Conradum imperatorem dederunt. Sectatores huius Arnaldi Arnaldiſtæ dicuntur hæretici; quibus ex Romanis, iiſque obſcurioribus, pauci dumtaxat adhæſerunt, & nominantur Romani Arnaldiſtæ. Horum machinationibus, auctore & conſultore Arnaldo, acciderunt quæ ex Ottone Friſingenſi in vita Eugenii III. narrantur infra.

EPISTOLA I.

LVCII PAPÆ II.

AD PETRVM CLVNIACENSEM ABBATEM.

De ſua ægritudine, & treuga cum rege Siciliæ inita.

Lucius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Petro Cluniacenſi abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DILECTIONIS tuæ literas debita benignitate ſuſcepimus, & petitiones tuas, quæ nobis & fratribus noſtris rationabiles viſæ ſunt, libenter admiſimus. De ſtatu vero

noſtro te ſolicitum cognoſcentes, ſcire te volumus, quia omnipotens Dominus ſua nos gratia viſitauit, caſtigans caſtigauit, ſed morti non tradidit. Per ipſius miſericordiam conualeſcimus, & priſtinam ſanitatem in breui nos recepturos ſperamus. Ad colloquium regis Siciliæ condeſcendimus; & quia ad honorem Dei & eccleſiæ ſuæ firmam pacem cum eo facere non potuimus, inſtanti tamen ipſius violentia nos cogente, treugam cum eo compoſuimus. Placet autem nobis, vt, ſicut literis tuis ſignificaſti, tredecim de fratribus tuis, quam citius poteris ad nos tranſmittas: quia nos, Domino auxiliante, eos honeſte recipere, & ad honorem Dei & Cluniacenſis eccleſiæ collocare curabimus. Sanctam congregationem veſtram pro nobis orantem gratia diuina cuſtodiat, & ab omnibus peccatis abſoluat. Datum Laterani decimo Kalendas Octobris. Anno Christi 1145.

EPISTOLA II.

LVCII PAPÆ II.

AD REGEM CONRADVM.

De ſua oppreſſione: & ipſum ad patrocinium eccleſiæ Romanæ inuitat.

Lucius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cariſſimo filio Conrado Romanorum regi illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Iacob. 1. OMNE *datum optimum*, &c. Populus enim Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, ſenatoribus, quos ante inſtituerat, patricium adiiciunt, atque ad hanc dignitatem Iordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes ei tamquam principi ſubiiciuntur. Et infra: Deinde pontificem ſuum adeunt, ac omnia regalia eius, tam in Vrbe quam extra poſita, ad ius patricii ſui repoſcunt; eumque more antiquorum ſacerdotum de decimis tantum & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, de die in diem animam iuſti affligere non timuerunt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPISTOLA III.
LVCII PAPÆ II.
AD RAYMVNDVM TOLETANVM.

De primatu Toletanæ eccleſiæ.

EXTAT *tom.* 14. *Conciliorum pag.* 385. *in notis ad Decretum regis Gundemari.*

VITA ET EPISTOLÆ
EVGENII PAPÆ III.

Anno Christi 1145.

EVGENIVS natione Piſanus, vir religione ac ſanctitate conſpicuus, creatus eſt pontifex anno Domini 1145. tempore Conradi imperatoris. Hic, inquit Otto Friſingenſis lib. 7. cap. 31. in principio dignitatis ſuſceptæ, eo quod, auctore Arnaldo, populus ad tradenda Vrbi regalia, ſicut anteceſſores ſuos, ita ipſum ſolicitare vellet, cum epiſcopis & cardinalibus Vrbe cedit, ac proxima dominica in monaſterio Farfenſi, conſecratione pontificali, ob perſecutionis immanitatem morem mutans, ſublimatur. Ad hunc papam Eugenium venerabilis Bernardus abbas Claræuallenſis librum de conſideratione ſui quatuor diſtinctionibus ordinatum conſcripſit, in quo perfectæ vitæ ac ſubtiliſſimi ingenii perſpicuitatem euidentiſſime demonſtrauit. Nam idem apoſtolicus, prius Bernardus dictus, & primum vicedominus Piſanus, ac demum in Claraualle, omnibus mundanis pro Chriſto ſpretis, eiuſdem venerabilis Bernardi abbatis diſcipulus effectus, ac ab eo poſtmodum monaſterio beati Anaſtaſii, Ciſtercienſis ordinis, in vrbe Roma abbas prælatus, ſummus pontifex, vt prælibauimus, conſtituitur. Inde poſt conſecrationem, furorem populi Romani declinans, ad munita loca ſe tranſtulit: poſtque Viterbium veniens, ibi per aliquod tempus moram fecit. At Romanus populus cum patricio ſuo Iordane in furorem verſus, præfecturæ dignitatem abolentes, omnes principes ac nobiles ex ciuibus ad ſubiectionem patricii compellunt: & non ſolum quorumdam illuſtrium

Eugenius qualis & quando papa factus.

Romani habenas pontificis excutiunt.

laicorum turres, sed & cardinalium ac clericorum domus subruentes, prædam immensam diripiunt. Ecclesiam etiam beati Petri omnium ecclesiarum caput incastellare sacrilege ac profanissime non metuunt: peregrinos causa orationis aduenientes ad oblationem, quæstus gratia, plagis & verberibus cogunt, ac quosdam ex ipsis offerre nolentes in ipso porticu & vestibulo templi nefario ausu occidere non verentur. Quos venerabilis pontifex, percusso prius cum quibusdam fautoribus suis anathematis gladio Iordane, adiuncta Tiburtinis Romanorum antiquis hostibus militia coercuit, tandemque pacem petere coegit. Quam pacem eo tenore dedit, vt patriciatus dignitatem exfestucarent, & præfectum in pristinam dignitatem reciperent, senatores autem ex eius auctoritate tenerent. Sicque in Vrbem rediens, natiuitatem Domini celebrauit.

Ex Anglia ad Eugenium papam recens creatum venit Alexander episcopus Lincolnienſis, qui benigne acceptus est ab ipso Eugenio papa, cuius benignitas & affabilitas mirifice commendatur a Rogero in annalibus, vbi hæc habet: Eodem anno episcopus Lincolnienſis Alexander iterum Romam petens, susceptus est honorifice ab Eugenio papa nouo, viro summa dignitate condigno, cuius mens semper benigna, cuius discretio semper æqua, cuius facies semper non solum hilaris, sed etiam & iucunda. Hæc de Eugenio Rogerus huius temporis scriptor accuratissimus.

Tunc quoque temporis, cum Viterbii Eugenius consisteret, orientales ex Armenia atque Syria legationes accepit, prout ab eo qui præsens aderat, Ottone, qui & ea quæ vidit etiam fidelissime scripsit, refertur his verbis: Ea tempestate legati Armeniorum episcoporum, eorumque metropolitani, quem ipsi catholicum, id est vniuersalem, propter infinitum, id est amplius quam mille episcoporum sub se habentem numerum vocant, legati ab vltimo pene oriente summum pontificem Viterbii, laboriosum iter per annum & sex menses complentes, adeunt: eique ex parte illius ecclesiæ subiectionem omnimodam eum consalutando offerentes, causas viæ nobis cum aliis multis præsentibus apud veterem aulam aperiunt,

riunt, quæ tales erant: Inter ipsos & Græcos quædam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis vero discrepantia: ponunt enim fermentatum panem, sicut illi, aquam autem vino non admiscent, sicut nos, & illi. Præterea natiuitatem Domini epiphaniæ continuantes, duas illas festiuitates vnam faciunt. Pro his & aliis, dum inter se dissentirent, Romanam ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificii iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt.

Quos Romanus antistes gratanter suscipiens, Missarum solenniis ac sacrificii secretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentique sacro altari astarent, vnus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini octaua, quando dedicatio ecclesiæ beati Petri celebrari solet, summo pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret: deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat aperuit. At venerabilis pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cælitus hoc sibi monstratum affirmabat; vt videlicet ecclesia, a qua ipse missus fuerat, sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reuerentia & forma tractare deberet, addisceret. Retulit etiam præfatus episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fetus suos fœtentes generarent, eosque statim ad aquas Armeniorum lauandos transmitterent: quos cum illi baptismatis vnda tingentes innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remissi, ad paganismi ritum & spurcitiam redibant. Quod vtrum faciendum esset item Romanam ecclesiam consuluerunt.

Vidimus etiam ibi tunc prætaxatum de Syria Gabulensem episcopum, cuius præcipue opera ad plenum Antiochia Romanæ sedi subesse cœpit, tam de patriarcha suo Antiocheno, & de principis matre Balduini Hierosolymi-

tani quondam regis filia querimoniam facientem, quam de ſpoliis Saracenis ablatis, iure antiquitatis exemplo Abrahæ decimas (qui eas Deo, recognoſcens victoriam, de ſuis ſpoliis Melchiſedec dedit) exigentem, ac ſuper hoc apoſtolicæ ſedis auctoritatem requirentem. Audiuimus eum periculum tranſmarinæ eccleſiæ poſt captam Edeſſam lacrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes tranſcendere ad regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem.

His auditis, Eugenius papa non curans quæ ſua eſſent, ſed quæ Dei eſſe ſciret; non ad ſui liberationem exilii aduerſus Romanos occidentalium Chriſtianorum principum arma conuertenda putauit, ſed aduerſus Saracenos res Chriſtianorum in oriente inuadentes, & poſſidentes, fore mouenda omni conatu, pontificia auctoritate laborat, primus omnium ſcribens ad Ludouicum Francorum regem: perfacile namque fuit ad religioſum opus impellere ipſum, qui iam venerat eamdem inire ad ſancta loca peregrinationem, de qua iſta Otto Friſingenſis:

Otto Friſingenſis de geſtis Friderici lib. 1. cap. 34.

Ludouicus dum occulte Hieroſolymam eundi deſiderium haberet, eo quod frater ſuus Philippus eodem voto aſtrictus morte præuentus fuerat, diutius protelare nolens propoſitum, quibuſdam ex principibus ſuis vocatis quid in mente volueret aperuit. Erat tunc temporis in Gallia cœnobii Claræuallenſis abbas quidam, Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conſpicuus, ſapientia literarumque ſcientia præditus, ſignis & miraculis clarus. Hunc principes vocandum, ab eoque quid de hac re fieri oporteret, tamquam a diuino oraculo, conſulendum decernunt. Vocatur præfatus abbas, conſiliumque ipſius ſuper prædicti expoſcitur principis voluntate. Ille de tam grandi negotio ex propriæ auctoritatis arbitrio reſponſum dare friuolum iudicans, vt ad Romani pontificis audientiam & examen deferatur optimum eſſe reſpondit. Itaque miſſa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui anteceſſorum ſuorum exempla reuoluens, quod videlicet Vrbanus huiuſmodi occaſione tranſmarinam eccleſiã, duaſque patriarchales ſedes, id eſt Antiochiam & Hieroſolymã ab ôbedientia Romanæ ſedis ſciſſas, in pacis vnitatem receperit, votis prædicti regis, pro

dilatando Christianæ religionis ritu annuit; auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commouendi, prænominato abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos vt propheta vel apostolus habebatur, concessa. Cuius scriptum ad regem principesque suos directum, vide postea pagina 166.

Quid autem de pontifice actum? vtique quod Christus pollicitus fuerat, dicens: *Primo quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Dum Eugenius laborat pro liberatione terræ sanctæ, Deus expugnat inimicos eius, Romanos ipsos, de quibus hæc habet idem auctor: Quos venerabilis pontifex, percusso prius cum quibusdam fautoribus suis anathematis gladio Iordane, creato ab ipsis patricio, adiuncta Tiburtinis Romanorum antiquis hostibus militia coercuit, tandemque pacem petere coegit: adeo vt Eugenius rediens in Vrbem, ibi natalem diem Domini solenniter celebrarit. De cuius ad Vrbem regressu & ingressu hæc idem auctor inferius: At Eugenius cum Romanis hoc tempore pacem fecit, vt patriciatus dignitatem exfestucarent, abolerent scilicet; & præfectum, qui videlicet arbitrio pontificis eo munere fungeretur, in pristinam dignitatem reciperent: senatores vero ex eius auctoritate tenerent. Sicque in Vrbem rediens, natiuitatem Domini ibidem celebrauit, incipiente anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo quadragesimosexto.

Matth. 6.

Otto Frisingensis chronici lib. 7. cap. 31. in finem.

Idem ibidem cap. 34.

In scripto autem codice Vaticano ita ingressus Eugenii in Vrbem narratur: Factum est igitur Deo auctore gaudium magnum in tota Vrbe ex inopinato accursu ipsius pontificis. Occurrit ei maxima frequens populi multitudo cum ramis; ad eius vestigia continuo accurrentes, post pedum oscula eleuabantur ad oris oscula. Procedebant signiferi cum bandis, sequebantur scriniarii, & iudices. Iudæi quoque non deerant tantæ lætitiæ, portantes cum humeris suis legem Mosaicam. Vniuersus enim Romanus chorus psallebat in vnum dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sic itaque cum magno populi gaudio idem pontifex Lateranense palatium conscendere meruit. Hæc ibi.

Reditus Eugenii papæ in Vrbem.

Matth. 23.

Parisios veniens, inquit Matthæus Paris, consecrauit Petrum quemdam Aimerici ecclesiæ Romanæ cancellarii

nepotem in archiepiſcopum Bituricenſem, contra Ludouici regis Franciæ voluntatem. Quod rex in iniuriam ſuæ dignitatis factum vehementer indignans, propoſitis publice ſacroſanctis reliquiis, in præſentia multorum iurauit, quod archiepiſcopus præfatus, quamdiu ipſe viueret, ciuitatem Bituricam non intraret. Sic per triennium regis perſona ſubiacuit interdicto. In quamcumque ciuitatem, vicum vel caſtellum intrabat, ſuſpendebatur celebratio diuinorum. Tandem, Bernardo abbate Claræuallenſi perſuadente, ad hoc eſt cor regis inclinatum, vt archiepiſcopum reciperet, & pro tranſgreſſione periurii Hieroſolymam ſe promitteret profecturum. Igitur per totam Galliam fit exactio generalis, nec ſexus, vel ordo, aut dignitas, quempiam excuſauit, quin auxilium regi conferret. Ad inſtantiam ſancti Bernardi Vvilielmum Eboracenſis eccleſiæ inuaſorem, per obreptionem a Cæleſtino defenſum, damnauit, & relegari mandauit.

Rex Francorum Ludouicus a papa Eugenio excommunicatus.

Treuiros cum octodecim cardinalibus ad Synodum venientem pontificem per tres menſes propriis ſumptibus Adelbertus loci illius archiepiſcopus munificentiſſime aluit. *Chronicon Hirſaugienſe.* Per ſanctum Bernardum impetrauit a Conrado imperatore & Ludouico Francorum rege, vt Chriſtianis in Aſia contra Alcoraniſtas opem ferrent, & contra Saracenos expeditionem ſuſcipiant, ſeque Cruce ſignent. *Tyrius lib. 16. cap.* 18.

Cumque Tibur in amœnum ſeceſſum ſe contuliſſet, mortuus eſt vir iuſtus, & religione inſignis, anno Domini 1152. menſe Iulio, vt ait Matthæus Paris, circa initium imperii Frederici primi, cum pontificatum geſſiſſet annis octo, menſibus quatuor & diebus 20.

Obitus Eugenii quaſis, & quando.

De obitu eius iſta Baronius annalium eccleſiaſticorum tomo 12. Octauo Idus Iulii Eugenius papa diem obiit Tibure, cum ſediſſet annos octo, menſes quatuor, & dies tredecim: de quo iſta in vetere codice Romanorum pontificum Vaticanæ bibliothecæ: Hic recuperauit Tarracinam, Setiam, Narniam, & arcem Fummonis, quæ a dominio beati Petri iamdiu alienatæ fuerant. Hic vniuit epiſcopatum Velitrenſem cum Oſtienſi & ſanctæ Rufinæ. Fecit hic ordinationes per menſem Decembrem, in quibus diacones decem, presbyteros vndecim, & epiſcopos ſexagin-

Obitus Eugenii.

Hoc idem apud Sigeberti chronicon, anno 1181.

ta vnum creauit. Defunctus est apud Tibur dicta die octaua Idus Iulii, & inde per stratam publicam & mediam Vrbem, atque in Vaticanum cum totius cleri & populi Romani frequentissima turba, maximo luctu, communique omnium immensa tristitia deportatus est, & in ipsa beati Petri ecclesia coram maiori altari tumulatus est. Hæc ibi de Eugenio papa, quem pluribus illustratum miraculis testatur Gofridus huius temporis scriptor in fine vitæ sancti Bernardi.

Porro idem Eugenius inter alia magnam inde laudem commeruit, quod munerum abstinentissimus erat, de quo ista præter asserta a sancto Bernardo habet Ioannes Sarisberiensis in Policratico: Amplectendæ memoriæ & imitandæ sanctitatis summus pontifex Eugenius, quem vidisti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Vnde cum in aduentu suo prior quidam modicæ facultatis, cuius causam nondum audierat, ei marcham auri deuotione multa instanter offerret: Nondum, inquit, domum ingressus es, & iam vis corrumpere dominum? Corruptionem namque vir sanctus esse dicebat quod efferebatur iudici lite pendente. Hæc de Eugenio Ioannes Sarisberiensis.

Ioannes Sarisberiensis, lib. 5. cap. 15.

Egregia de his memoria adhuc extat Tarracinæ in arce in media turri, in pariete meridiem versus, his verbis:

EVGENIVS PAPA III. HOC OPVS GLORIÆ IPSIVS MEMORIAM REPRÆSENTANS FIERI IVSSIT. QVI MIRA ANIMI . . . . . ET HONESTI STVDIO PRÆDITVS REGALIA MVLTA LONGO TEMPORE AMISSA BEATO PETRO RESTITVIT. QVORVMDAM VITIVM IN MODVM HONESTATIS REDEGIT. NE QVID * A QVOQVAM PETERENT NEVE QVID A QVOQVAM ANTE DECISAM CAVSAM ACCIPERENT POST DECISAM OBLATVM QVID VERECVNDE ET CVM GRATIARVM ACTIONE SVSCIPERENT.

* IVDICES.

EPISTOLA I.
EVGENII PAPÆ III.
AD LVDOVICVM REGEM GALLIARVM.

De expeditione in terram ſanctam ſuſcipienda.

Eugenius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cariſſimo filio Ludouico illuſtri & glorioſo Francorum regi, & dilectis filiis principibus, & vniuerſis Dei fidelibus per Galliam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Eugenii papæ apoſtolicæ literæ pro expeditione in terram ſanctam.

QVANTVM prædeceſſores noſtri Romani pontifices pro liberatione orientalis eccleſiæ laborauerunt, antiquorum relatione didicimus, & in geſtis eorum ſcriptum reperimus. Prædeceſſor etenim noſter felicis memoriæ papa Vrbanus tamquam tuba intonuit, & ad ipſius deliberationem ſanctæ Romanæ eccleſiæ filios de diuerſis mundi partibus ſolicitare curauit. Ad ipſius ſiquidem vocem vltramontani, & præcipue Francorum regni fortiſſimi & ſtrenui bellatores, & illi etiam de Italia, caritatis ardore ſuccenſi conuenerunt, vt maximo congregato exercitu, non ſine magna proprii ſanguinis effuſione, diuino eos auxilio comitante, ciuitatem illam, in qua Saluator noſter pro nobis pati voluit, & glorioſum ipſius ſepulcrum paſſionis ſuæ nobis memoriale dimiſit, & quamplures alias, quas prolixitatem vitantes memorare ſupерſedemus, a paganorum ſpurcitia liberarent. Quæ per gratiam Dei & patrum veſtrorum ſtudium, qui per interualla temporum eas defendere, & Chriſtianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus ſtuduerunt, vſque ad noſtra tempora a Chriſtianis detentæ ſunt, & aliæ vrbes infidelium ab ipſis viriliter expugnatæ.

Edeſſæ captiuitas deploratur.

Nunc autem noſtris & ipſius populi peccatis exigentibus, quod ſine magno dolore & gemitu proferre non poſſumus, Edeſſa ciuitas, quæ noſtra lingua Rohais dicitur; quæ etiam, vt fertur, cum quondam in oriente tota terra a paganis detineretur, ipſa ſola ſub Chriſtianorum poteſtate Domino ſeruiebat, ab inimicis Crucis Chriſti capta eſt, & multa Chriſtianorum caſtella ab ipſis occupata:

ipsius quoque ciuitatis archiepiscopus cum clericis suis, & multi alii Christiani ibidem interfecti sunt, & sanctorum reliquiæ in infidelium conculcationem datæ sunt & dispersæ. In quo quantum ecclesiæ Dei & toti Christianitati periculum immineat, & nos cognoscimus, & prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namque nobilitatis & probitatis indicium fore cognoscitur, si ea, quæ patrum strenuitas acquisiuit, a vobis filiis strenue defendantur. Verumtamen si, quod absit, secus contigerit, patrum fortitudo in filiis imminuta probatur.

Hortatur pontifex Francos.

Vniuersitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt qui Dei sunt, & maxime potentiores & nobiles, viriliter accingantur, infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptum lætatur, sic occurrere, & ecclesiam orientalem tanta patrum vestrorum, vt prædiximus, sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captiuorum millia confratrum nostrorum de ipsorum manibus eripere studeatis, vt Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per vniuersum mundum laudatur, integra & illibata seruetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Mathathias, qui pro paternis legibus conseruandis seipsum cum filiis & parentibus suis morti exponere, & quidquid in mundo possidebat relinquere nullatenus dubitauit; atque tandem, diuino cooperante auxilio, per multos tamen labores tam ipse quam sua progenies de inimicis viriliter triumphauit. *1. Mach. 2.*

Quæ concedantur Crucesignatis.

Nos autem vestrorum quieti & eiusdem ecclesiæ destitutioni paterna solicitudine prouidentes, illis, qui tam sanctum tamque perneccessarium opus & laborem deuotionis intuitu suscipere & perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam præfatus prædecessor noster papa Vrbanus instituit, auctoritate nobis a Deo concessa concedimus, & confirmamus, atque vxores & filios eorum, bona quoque & possessiones sub sanctæ ecclesiæ, nostra etiam & archiepiscoporum, episcoporum, & aliorum prælatorum ecclesiæ Dei protectione manere decernimus.

Auctoritate etiam apostolica prohibemus, vt de omnibus, quæ, cum Crucem acceperint, quiete possederint:

nulla deinceps quæstio moueatur, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur.

Præterea, quoniam illi qui Domino militant nequaquam in vestibus preciosis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, vel aliis, quæ portendant lasciuiam, debent intendere, prudentiam vestram in Domino commonemus, vt qui tam sanctum opus incipere decreuerint, ad hæc non intendant, sed in armis, equis & ceteris, quibus infideles expugnent, totis viribus studium & diligentiam adhibeant.

Quicumque vero ære premuntur alieno, & tam sanctum iter puro corde inceperint, de præterito vsuras non soluant, & si ipsi vel alii pro eis occasione vsurarum astricti sunt, sacramento vel fide apostolica eos auctoritate absoluimus.

Liceat eis etiam terras, siue ceteras possessiones suas, postquam commoniti propinqui siue domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint, ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, vel aliis quoque fidelibus libere sine vlla reclamatione impignorare.

Indulgentia pœnarum concessa.

Peccatorum remissionem & absolutionem, iuxta præfati prædecessoris nostri institutionem, omnipotentis Dei & beati Petri apostolorum principis auctoritate nobis a Deo concessa talem concedimus, vt qui tam sanctum iter deuote inceperit & perfecerit, siue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, de quibus corde contrito & humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium Remuneratore percipiat.

Datum Vetrallæ Kalendis Decembris.

EPI-

EPISTOLA II.
EVGENII PAPÆ III.
AD THEOBALDVM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

De controuersia inter Cantuariensem archiepiscopum & Bernardum episcopum sancti Dauidis de iure metropolitico.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

VENERABILIS frater noster Bernardus, episcopus sancti Dauid, ad nostram præsentiam veniens, ecclesiam sancti Dauid olim metropolim fuisse asseruit voce viua, & eamdem dignitatem sibi a nobis restitui postulauit. Cum autem circa petitionem istam inuigilans diu in curia nostra commoratus esset, tu, frater archiepiscope, tandem, eo præsente, ex aduerso consurgens, in præsentia nostra aduersus eum querelam deposuisti, quod debitam, tamquam primo metropolitano, obedientiam subtraxisset, tibique inobediens & rebellis existeret, cum a prædecessore tuo, tamquam a metropolitano primo consecratus esset, & viua voce & scripto Cantuariensi ecclesiæ professionem fecisset, & in multis postea, tamquam alii suffraganei, tibi obedisset, & astitisset. Ille vero consecrationem negare non potuit; sed professionem se fecisse, & obedientiam exhibuisse omnino negauit: quod tu audiens, duos testes in medium produxisti, testimonium perhibentes quod ipse, illis videntibus & audientibus, post consecrationem suam, & viua voce & scripto Cantuariensi ecclesiæ professionem fecisset. Nos igitur auditis vtriusque partis rationibus, & diligentius inquisitis, & testibus tuis studiose examinatis, communicato fratrum nostrorum consilio, iuramenta eorum recipimus, & vt ipse episcopus tibi, tamquam primo metropolitano, obedientiam, & reuerentiam exhibeat, iustitia dictante, præcepimus. Vnde, quoniam singulis ecclesiis & ecclesiasticis personis suam dignitatem, & iustitiam volumus conseruare, beati Lucæ

festiuitate proximi sequentis anni, tibi & ipsi diem præfiximus, vt tunc, præsentibus partibus, de dignitate ecclesiæ sancti Dauid, & libertate sua rei veritatem cognoscamus, & quod iustum fuerit, auctore Domino, exinde statuamus.

Datum Meldis tertio Kalendas Iulii.

EPISTOLA III.
EVGENII PAPÆ III.
AD HILDEGARDEM ABBATISSAM.

Monet eam vt per humilitatem studeat donum prophetiæ conseruare.

MIRAMVR o filia, *&c. Extat infra in Concilio Treuerensi sub Eugenio.*

EPISTOLA IV.
EVGENII PAPÆ III.
AD VNIVERSVM CLERVM ROMANVM.

Vt capellani promittant obedientiam rectoribus titulorum, siue ecclesiarum.

Eugenius tertius vniuerso Romano clero.

FALLAX & inuidus humani generis inimicus per Arnaldum schismaticum, quasi per membrum proprium, hoc effecit, vt quidam capellani vnitatem ecclesiæ, quæ sectionem non patitur, quantum in eis est, diuidentes, ipsius Arnaldi sequantur errorem: & cardinalibus atque archipresbyteris suis obedientiam & reuerentiam promittere & exhibere debitam contradicant. Ne igitur vires dare præfati schismatici prauis actionibus per silentium de cetero videamur, per præsentia vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum Arnaldum, tamquam schismaticum modis omnibus deuitetis. Quod si aliqui clerici Dei & sanctæ ecclesiæ contemptores, eius errorem post præsentium acceptionem sequi præsumpserint, scire vos volumus, quia tam officio quam beneficio ecclesiastico reddemus eos penitus alienos.

Datum Brixiæ Idibus Iulii.

EPISTOLA V.

EVGENII PAPÆ III.

AD ARCHIPRESBYTERVM TITVLI SANCTI MARCI.

De eodem.

SVPER controuersia obedientiæ exhibendæ, quæ inter vos & capellanum de Pinea agitari dignoscitur, ecclesiæ sancti Marci prospicere cupientes, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus eum districtius moneatis, vt secundum antiquam & rationabilem consuetudinem vestræ ecclesiæ obedientiam promittere nullatenus contradicat. Si vero vestris monitis super hoc obedire contempserit, sententiam, quam in ipsum & præfatam ecclesiam de Pinea iuste tuleritis, nos auctore Deo ratam habebimus.

EPISTOLA VI.

EVGENII PAPÆ III.

AD CONRADVM REGEM ROMANORVM.

Eum Hierosolymis reuersum, ob tribulationes ipsi & exercitui eius irrogatas, consolatur.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Conrado Dei gratia Romanorum regi illustri salutem & apostolicam benedictionem.

CVM in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, sicut nec prosperis eleuari, ita nec frangi aduersis, confidentes de diuina miseratione, debemus, quia Dei & hominum Mediator admiranda dispensatione consueuit omnem filium quem recipit aduersitatibus flagellare, vt dum ipsum per amorem ad æterna præmia vocat, præsens mundus eius animum per turbationes, quas ingerit, a se ipso repellat, tantoque facilius ab huius sæculi amore recedat, quanto magis impellitur dum vocatur. Quod in Israelitico populo, Moyse vocante, & Pharaone* signatur. Moyses namque tunc ad vocandum missus est, cum Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenus alter

* deest tenente, vel quid simile.

vocando pertraheret, alter impelleret sæuiendo; vt plebs in seruitio turpiter fixa, vel prouocata bonis, vel impulsa molestiis moueretur. Hoc itaque rationis debito incitati discretionem tuam commonemus & exhortamur in Domino, quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotens Deus irrogauit, patienter supportes, & in eo spem tuam constituas, qui quem vult permittit affligi, & confidentes in se misericorditer liberare consueuit. Si enim patientiam & humilitatem in aduersis perfecte tenueris, per desertum huius vitæ, sub protectione columnæ nubis & ignis, id est patientiæ solatio, & caritatis ardore, intrepidus perduceris.

Quia igitur personam tuam vera caritate diligimus, & de te valde confidimus, si post tuum reditum sine delatione de his quæ ad honorem sanctæ ecclesiæ & regni spectare noscuntur tecum mutuis potuissemus tractare colloquiis, nobis vtique gratum fuisset. Verum quia id nobis temporis qualitas denegauit, & de tua salute sumus soliciti, quosdam de fratribus nostris, postquam te ad Longobardiæ partes, auctore Domino, incolumem peruenisse accepimus, sicut per venerabiles fratres nostros Artuuicum Bremensem archiepiscopum, & Anselmum Hamelburgensem episcopum tibi significauimus, ad tuam serenitatem duximus destinandos, vt affectum & beneuolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, & quod de te audire cupimus, ipsorum relatione nosceremus. Quibus dedimus in mandatis, vt tibi, tamquam carissimo filio nostro, & catholico principi, atque speciali Romanæ sanctæ ecclesiæ defensori, ipsius ecclesiæ statum & nostrum exponerent. Qui siquidem in Tusciam vsque progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse nouerunt, longitudinem viæ & difficultatem itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiam redierunt. Ceterum quia statum tuum, & dilecti filii nostri Henrici iunioris regis, quem post discessum tuum paterno affectu diligimus, & in posterum actiones eius prosperari in Domino præoptamus, cognoscere cupimus, cum fratres nostri, propter æstatis feruorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum Franconem latorem præsentium & apostolica scripta tuam excellentiam visi-

tantes, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenus ea quæ circa te & ipsum geruntur, & statum regni per eumdem Franconem nobis studeas intimare, & hoc tempore deuotionem, quam erga matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam geris, ostendas, vt nostro respondere affectui congrue videaris, & beati Petri apostolorum principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri.

Datum in Tusculano, octauo Kalendas Iulii.

EPISTOLA VII.

EVGENII PAPÆ III.

AD EGELBERTVM EPISCOPVM ET CANONICOS BAMBERGENSIS ECCLESIÆ.

De Henrici imperatoris sanctitate, miraculis & canonizatione.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Egelberto episcopo, & dilectis filiis canonicis Bambergensis ecclesiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

SICVT per literas & nuntios vestros vobis mandasse meminimus, venerabiles fratres nostros N. sanctæ Rufinæ episcopum, & N. presbyterum cardinalem, pro diuersis negotiis ad partes illas de nostro latere delegauimus, eisque viua voce iniunximus, vt ad ecclesiam vestram accederent, atque de vita & miraculis Henrici regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis suis nobis significarent. Nunc autem eorumdem fratrum nostrorum, & multorum religiosorum & discretorum virorum attestatione, de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis ecclesiæ, & multarum aliarum, quarumdam quoque episcopalium sedium reparatione, & multiplici eleemosynarum largitione, de conuersione regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta; de glorioso etiam ipsius obitu, pluribusque miraculis post eius obitum ad ipsius corporis præsentiam diuinitus ostensis, multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimum attendentes, quod cum diadema sceptrum-

que imperii ſuſcepiſſet, non imperialiter ſed ſpiritualiter vixit. In toro etiam legitimo poſitus, quod paucorum fuiſſe legitur, integritatem caſtimoniæ vſque in finem vitæ conſeruauit. Quæ quidem nos omnia ſimul perpendentes, atque deuotionem veſtram, & eccleſiæ Bambergenſis, quæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſoli ſubeſſe dignoſcitur, diligenter conſiderantes, tametſi huiuſmodi petitio niſi in generalibus Conciliis admitti non ſoleat, auctoritate tamen ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus, atque eiuſdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum noſtrorum archiepiſcoporum, & epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio, memoriam inter ſanctos de cetero fieri cenſemus, & anniuerſarium ipſius diem ſolenniter celebrari conſtituimus. Veſtra itaque intereſt ſic in ſanctæ Romanæ eccleſiæ obedientia & fidelitate perſiſtere, & ei dignæ deuotionis obſequiis reſpondere, vt ampliori beati Petri & noſtra gratia digni inueniamini.

Data trans Tiberim ſecundo Idus Martii.

EPISTOLA VIII.

EVGENII PAPÆ III.

AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

Improbat tranſlationem epiſcopi Cicenſis in Magdeburgenſem archiepiſcopatum tranſlati.

Eugenius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Eberardo Saltzburgenſi, Artuuico Bremenſi, & Hillino Treuerenſi archiepiſcopis, Eberardo Bambergenſi, Hermanno Conſtantienſi, Henrico Ratiſponenſi, Ottoni Friſingenſi, Conrado Patauienſi, Danieli Pragenſi, Anſelmo Hamelburgenſi, & Burchardo Eiſtetenſi, epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LITERAS, quas pro cauſa Magdeburgenſis eccleſiæ veſtra nobis prudentia delegauit, debita benignitate ſuſcepimus. In lectione autem & cognitione earum ſtupore nimio & admiratione repleti ſumus, eo quod longe aliud in eis, quam vobis ex officio pontificatus immineat, per-

ſpeximus contineri. Cum enim in eccleſiæ vertice ſitis ex diuina prouidentia conſtituti, vt de medio eius quæ fuerint nociua propellere, quæ vtilia debeatis attento ſtudio conſeruare, in cauſa iſta, ſicut ex ſuggeſtione literarum veſtrarum nobis innotuit, non quod expediat eccleſiæ Dei, quod ſacrorum Canonum ſanctioni concordet, quod exinde a cæleſti arbitrio approbetur; ſed quod terrenis principibus placeat, attendiſtis. Et qui eorum animos a ſua minus recta deflectere debuiſtis intentione, atque vbi eſſet via Domini demonſtrare, non perſuaſiſtis quod rectum eſt, nec ſtetiſtis murus pro domo Iſrael, quinimo *ipſis*, vt ait Propheta, *parietem ædificantibus, vos* (quod ſine grandi animi rancore vix dicimus) *liniuiſtis illum luto abſque paleis*. Non ita ſentiebat princeps apoſtolorum, qui ex fidei ſuæ confeſſione, vt totius eccleſiæ fundamentum eſſet accepit; ſed comminantibus ſæculi filiis, & apoſtolis, ſi prædicarent in nomine Ieſu mortis exterminium intentantibus, confiſus de Domini virtute reſpondit: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Vos autem ne a terrenis videamini principibus diſſentire, illi cauſæ fauorem veſtrum impenditis, cui & eccleſiaſticæ auctoritas conſtitutionis, & ſupernæ voluntatis examen pro certo creditur obuiare.

Ezech. 13.

Act. 5.

Cum enim tranſlationes epiſcoporum ſine manifeſtæ vtilitatis & neceſſitatis indicio diuinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus cleri & populi eas debeat præuenire concordia, in facienda tranſlatione de venerabili fratre noſtro Guicmanno Cenſi epiſcopo, nihil horum eſt, ſed ſolus fauor principis expectatur: & nec inſpecta neceſſitate illius eccleſiæ, nec conſiderata vtilitate perſonæ, clero nolente, imo, vt dicitur, ex parte maxima reclamante, in Magdeburgenſi eum dicitis eccleſia ſupplantandum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto perſona illa, cuius grauitatis ſit atque ſcientiæ ab anteactis agnouimus, ac proinde quantum eccleſiæ illi ſit vtilis non penitus ignoramus. Quoniam igitur, quicumque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ ſoliditate fundati, quæ in fundamento meruit eccleſiæ collocari: ſicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut a ſa-

crorum Canonum rectitudine impulsu aliquo deuiare, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti fauorem vlterius non præstetis, & apud carissimum filium nostrum Fridericum, quem Deus hoc tempore pro seruanda libertate ecclesiæ in eminentiam regni euexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, vt & ipse a sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros Canones, contra regiæ dignitatis officium, eidem causæ fauorem vlterius non impendat, sed ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis ecclesiis regni a Deo sibi commissi, liberam facultatem quem voluerint secundum Deum eligendi relinquat, & electionem ipsam postmodum fauore suo, sicut decet maiestatem regiam, prosequatur. Nos enim si quod de supradicto fratre nostro facere nititur videremus ratione fulciri, nec voluntati eius, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obuiandum; contra Deum autem, & sacrorum Canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.

Datum Signiæ decimosexto Kalendas Septembris.

EPISTOLA IX.

EVGENII PAPÆ III.

AD CANONICOS SANCTI PETRI ROMÆ.

De quarta parte oblationum ipsis concessa.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Bernardo presbytero cardinali sancti Clementis, & ecclesiæ beati Petri archipresbytero, atque ceteris eiusdem ecclesiæ canonicis tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.

BEATORVM Petri & Pauli tam eminens & tam gloriosa societas, vt & ambo sint doctores gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum: & cum inter vniuersos apostolos peculiari quadam prærogatiua præcellant, æqualitatis in cælo meritis disparitatem non sentiunt. Petro ab ipso Saluatore nostro Domino Iesu Christo claues regni cælorum sunt commissæ: Paulus a Deo electus est, vt de multitudine gentium regnum cælorum impleat sua prædicatione. Petrus petræ est & fundamentum fidei, & ne ruamus in soliditate nos firma sustentat: Paulus ne

prauo

prauo hæreticorum dogmate vulneremur, mortalitatis honestate & inuincibili ratione fidei nos armat. Petrus principatum tenens ex potestate ligat & soluit; Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile vel ligatione dignum in nobis appareat, mirabili nos exhortatione præmunit: Petrus firmamentum nostrum est ac domus fortitudinis, & in fide eius plantati & radicati sumus; Paulus vas electionis prædestinatos a Deo & electos cælestis tubæ sonoritate vocauit; & pro nobis sine intermissione orans, ne a fide & veritate deuiemus, apud Deum interueniendo nos protegit. Cum igitur ii duo maxima seminaria Dei ecclesiam illustrantia pari & amicabili splendore & fraterno amore præfulgeant, æquitatis & iustitiæ persuadet ratio, vt nos, qui licet indigni Christi vices in terris agimus, & in eiusdem apostolorum principis cathedra residere conspicimur, domesticam beati Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia eam prouisione in suis necessitatibus adiuuemus. Huius itaque rationis debito prouocati, dilecti in Domino filii, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari eiusdem beati Petri apostoli, & tam de arca, quam de omnibus ministeriis ipsius ecclesiæ, præterquam de ministerio beati Leonis proueniunt, vobis ex consensu fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium sedis apostolicæ auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina confirmamus: ita videlicet, vt semper, cum volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in vestris manibus retinendi atque custodiendi, seu aliis quibus volueritis cum nostro atque nostrorum successorum consensu vendendi, salua in omnibus aliis & retenta in nostris & successorum nostrorum manibus ipsius ecclesiæ libera dispositione atque custodia.

Hoc autem ideo facere dignum duximus, vt vos die ac nocte studiose in Dei laudibus desudantes, tam in Missarum celebratione, qua in Matutinis & aliis horis pro viuorum ac defunctorum salute attenta diligentia & honeste decantandis, prædictam beati Petri ecclesiam obsequio debito veneremini, & Dei fideles apostolorum limina deuotione debita visitantes, locum ipsum in maiori deuotione ac veneratione semper habeant. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum fas sit huius nostræ concessionis

paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona id attentare præsumpserit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & in futurum præmia æternæ pacis inueniant. Amen, amen, amen.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.
Ego Conradus Sabinensis episcopus subscripsi.
Ego * Ymarus Tusculanus episcopus subscripsi. * Igna-
Ego Hugo Ostiensis episcopus subscripsi. sius
Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli sancti Callisti subscripsi.
Ego Guido presbyter cardinalis tituli sancti Chrysogoni subscripsi.
Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis subscripsi.
Ego Manfredus presbyter cardinalis tituli sanctæ Sauinæ subscripsi.
Ego Aribertus presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ subscripsi.
Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Ierusalem subscripsi.
Ego Guido presbyter cardinalis tituli Pastoris subscripsi.
Ego Iordanus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ subscripsi.
Ego Octauianus presbyter cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ subscripsi.
Ego Astaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Priscæ subscripsi.
Ego Rolandus presbyter cardinalis tituli sancti Marci subscripsi.
Ego Gerardus presbyter cardinalis tituli sancti Stephani in Cælio monte subscripsi.
Ego Ioannes Paparo presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso subscripsi.
Ego Ioannes presbyter cardinalis tituli sanctorum Ioannis & Pauli tituli Pammachii subscripsi.
Ego Centius presbyter cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina subscripsi.
Ego Henricus presbyter cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei subscripsi.
Ego Oddo diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum aureũ subscripsi.
Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi.
Ego Hyacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin subscripsi.
Ego Ioannes diaconus cardinalis sanctorũ Sergii & Bacchi subscripsi.
Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Via lata subscripsi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ego Odo diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano subscripsi.

Ego Bernardus diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani iuxta templum Romuli subscripsi.

Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris, quarto Idus Aprilis, indictione prima, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimotertio, pontificatus vero domini Eugenii III. papæ anno nono. Locus plumbi.

EPISTOLA X.

EVGENII PAPÆ III.

AD ARNOLDVM ARCHIEPISCOPVM COLONIENSEM.

De iurium & priuilegiorum multorum archiepiscopo & metropolitanæ ecclesiæ Colonienſis presbyteris canonicis ante diu concessorum confirmatione.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Arnoldo Colonienſi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis.

In eminenti apostolicæ sedis specula, diuina disponente gratia, constituti, ex iniuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres nostros episcopos sincera caritate diligere, & ecclesiis eorum regimini & gubernationi commissis, suam debemus iustitiam conseruare. Sicut enim in humani compage corporis naturalis ratio singulis quibusque membris ad salutem prouidens speciales & proprios actus edocet, nobilioribus vero suam dignitatem conseruat; ita in corpore ecclesiæ apostolica prouidentia secundum sacrorum Canonum institutiones, vniuersas regit ecclesias; digniores autem & famosiores in sui status prærogatiua custodit. Æquum itaque & rationabile est, vt suus vnicuique honor ecclesiæ, & propria iura munimine sedis apostolicæ confirmentur. Quocirca, dilecte in Christo frater Arnolde archiepiscope, tuis iustis postulationibus benignum impertientes assensum, ad exemplar prædecessoris nostri felicis memoriæ Leonis IX. papæ, beati Petri Colonienſem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub ipsius apostolorum principis, cuius in loco, licet immeriti, residere conspicimur, & nostra

protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: ſtatuentes vt quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem eccleſia impræſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum, vel principum oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Pallii quoque vſum, & viuificæ Crucis vexillum, atque naccum, inſigne videlicet feſtiui equi, quæ prædeceſſoribus tuis a noſtris prædeceſſoribus conceſſa ſunt, ſuo tempore ſuoque loco ferenda, nos tam tibi quam tuis ſucceſſoribus confirmamus: adiicientes vt nulli primati, niſi tantum Romano pontifici, debeas eſſe ſubiectus. Pro amplioris etiam & ſpecialioris gratiæ prærogatiua ordinationem regis infra tuam prouinciam tibi duximus concedendam. Et ſi Romanus pontifex, vel apoſtolicæ ſedis legatus, in eadem prouincia Concilium celebrauerit, tu poſt eos primum inter alios locum obtineas. Statuimus præterea, vt ſeptem idonei presbyteri cardinales in prædicta eccleſia ordinentur, qui induti dalmaticis, & mitris ornati, ad principalia duo altaria eiuſdem eccleſiæ, cum totidem diaconibus & ſubdiaconibus, quibus ſandaliorum vſum concedimus; Miſſarum ſolennia in feſtiuis diebus tantummodo adminiſtrent. Vt ergo hæc omnia, quæ ſupra diximus, plenum in poſterum robur obtineant, ſicut in priuilegiis prædeceſſorum noſtrorum continentur, tam tibi quam ſucceſſoribus tuis ea fauoris noſtri auctoritate firmamus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura: ſalua in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei

& Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Ego Eugenius catholicæ eccleſiæ epiſcopus.
Ego Ymarus Tuſculanus epiſcopus.
Ego Nicolaus Albanenſis epiſcopus.
Ego Hugo Oſtienſis epiſcopus.
Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli ſancti Calliſti.
Ego Hubaldus preſbyter cardinalis tituli ſanctæ Praxedis.
Ego Manfredus preſbyter cardinalis tituli ſanctæ Sauinæ.
Ego Guido preſbyter cardinalis tituli ſancti Paſtoris.
Ego Bernardus preſbyter cardinalis tituli ſancti Clementis.
Ego Gerardus preſbyter cardinalis tituli ſancti Stephani in monte Cælio.
Ego Otto diaconus cardinalis ſancti Georgii ad Velum aureum.
Ego Rodulphus diaconus cardinalis ſanctæ Luciæ in Septiſoliis.
Ego Gregorius diaconus cardinalis ſancti Angeli.
Ego Ioannes diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ nouæ.
Ego Guido diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in porticu.
Ego Hyacinthus diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.
Ego Cencius diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Akyro.

Datum Signiæ, per manus Boſonis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſcriptoris, VI. Idus Ianuarii, indictione decimaquinta, incarnationis dominicæ anno 1151. pontificatus vero domini Eugenii III. papæ anno ſeptimo.

Anno Christi 1145.

[a] CONCILIVM VIZELIACVM PRO EXPEDITIONE CONTRA TVRCAS in Burgundia celebratum anno Domini MCXLV. tempore Eugenii papæ III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Platina & Ioanne Mairio auctoribus, refert Genebrardus in chronicis, hanc Synodum pro expeditione contra Turcas congregatam eſſe in Burgundia præſide Eugenio papa, & præſente Ludouico rege cum Eleonora regina, aliiſque regni principibus; qui poſt habitam orationem a diuo Bernardo Crucem accipiunt, ſacram militiam profeſſi. Expeditio contra Turcas promota.

CONCILIVM CARNOTENSE PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM

ANNO CHRISTI 1146.

suscipienda indictum anno Domini MCXLVI. sub Eugenio papa III.

NOTA.

* *Concilium.*] De tempore indicti Concilii & rebus in eo gestis ex diuersis epistolis sancti Bernardi cardinalis Baronius tomo 12. annalium, anno 1146. ista scribit quæ sequuntur:

Interea autem in Galliis feruet opus parandæ expeditionis in terram sanctam: cuius causa promouendæ statuitur certa dies, certusque locus Concilii celebrandi. Dies indicitur tertia dominica post pascha, & locus deputatur, Carnotum ciuitas. De his enim ita sanctus Bernardus in epistola ad Petrum abbatem Cluniacensem: *Episcopi Franciæ vna cum domino rege & principibus tertia dominica post pascha apud Carnotum venturi sunt, & de verbo hoc tractaturi: vbi vtinam mereamur habere præsentiam vestram. Quia enim magnis omnino magnorum virorum consiliis hoc verbum constat egere, gratum profecto obsequium præstabitis Deo, si negotium eius a vobis non duxeritis alienum*, &c. Multis quidem eum inuitat; sed indictum iam ab ipso omnium priorum Cluniacensium capitulum ne ire posset eum detinuit, vt eius literæ ad sanctum Bernardum redditæ docent, in quibus hæc inter alia: *Quem enim Christianum, in Christo suo aliquam spem habentem, fama tam lamentabilis non moueret, qua, vt ex literis etiam domini abbatis sancti Dionysii comperi, iam pene vbique diuulgatum est, fratres Templi, regem Hierosolymitanum, ipsam insuper dominicam ac saluatricem Crucem, in vrbe Antiochena cum aliis multis obsessos; ac, nisi manus Domini in brachio extento cito succurrat, omnes in breui captiuandos? Quem non moueat, ne forte terra illa sancta a iugo impiorum, tantis patrum laboribus, tanto Christicolarum sanguine ante non multum temporis eruta, rursum impiis & blasphemis subdatur? Quem non moueat, si tam salubris peccatorum pœnitentium via, quæ, vt dignum est credere, innumera peregrinantium millia a quinquaginta iam annis inferis abstulit, & cælo restituit, nequam Saracenorum obice obstante, claudatur? Absit, absit*, &c.

Petrus Cluniacensis lib. 6. epistola 19.

Idem ibidem epistola 20.

Carnotense Concilium agitur pro decernenda expeditione.

Extant de his ipsæ Sugerii abbatis sancti Dionysii tunc datæ literæ ad eumdem Petrum Cluniacensem, inuitantis ipsum ad indictum ea de causa Concilium; & ipsius Petri ad eum eiusdem argumenti redditæ literæ, quibus & significatur idem Concilium fuisse generale ex omnium Galliarum prouinciis episcopis & archiepiscopis. Conuenerunt igitur vndique ex Galliis Carnotum archiepiscopi, episcopi, & abbates: astitit & rex vna cum principibus regni. Quid actum ibi? Illud in primis plane mirandum, quod obstupefaciet omnes audientes: dum videlicet ibi totius belli dux ipse sanctus

ANNO CHRISTI 1146. Bernardus omnium consensu deligitur, qui principem militiæ agat, cui milites omnes & principes ipsi subiicerentur. Hoc decretum in Concilio consensu omnium. Hæc ne tu putes fabulam, describendæ hic sunt literæ sancti Bernardi ad Eugenium papam de his agentis, primumque studium Eugenii ex scriptis ab eo literis commendantis, eumdemque ad vlteriora hortantis, atque ad postremum quid actum in Carnotensi Concilio enarrantis, sic enim se habent:

Bernardi epist. 256. de rebus gestis in Carnotensi Concilio.

Non est leue verbum quod sonuit: triste satis & graue est. Et cui triste? imo cui non triste? Soli filii iræ iram non sentiunt, nec tristantur tristibus, sed lætantur & exultant in rebus pessimis. De cetero communis tristitia est, quia communis est causa. Bene feciſtis, iustissimum zelum nostræ Gallicanæ ecclesiæ collaudando, & corroborando auctoritate literarum vestrarum. Non est, dico vobis, in causa tam generali & tam graui tepide agendum, sed ne timide quidem. Legi apud quemdam sapientem: Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico: Fideli homini magis & inter flagella fidendum. Intrauerunt aquæ vsque ad animam Christi, tacta est pupilla oculi eius.

De duobus Petri gladiis.

Exerendus est nunc vterque gladius in passione Domini; Christo denuo patiente, vbi & altera vice passus est. Per quem autem, nisi per vos? Petri vterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, euaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: Conuerte gladium tuum in vaginam. *Ergo suus erat & ille, sed non sua manu vtique educendus. Tempus & opus esse existimo, ambos educi in defensionem orientalis ecclesiæ. Cuius locum tenetis, Zelum negligere non debetis. Quale est hoc principatum tenere, & ministerium declinare? Vox clamantis: Venio Hierosolymam iterum crucifigi. Ad quam vocem etsi alii tepidi, alii & surdi sint, successori Petri dissimulare non licet. Loquetur & ipse:* Etsi omnes scandalizati fuerint, *Ioan. 18. Matth. 26.*

sed non ego. *Nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis resarciendis operam dabit. Numquid ideo non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult.*

Romani pontificis, esse in hoc opus incumbere.

Ego vero pro tantis malis, tamquam Christianus & fidelis, meliora sperabo, & omne gaudium æstimabo, quod in varias tentationes incidimus. Reuera panem doloris comedimus, & potati sumus vino compunctionis. Quid diffidis, amice sponsi, quasi non more suo vinum bonum seruauerit vsque adhuc benignus & sapiens sponsus? Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Et certe sic operari, sic iudicare, superna diuinitas solet: scienti loquor. Quando autem magna bona mortalibus prouenerunt, quæ non magna præuenerint mala? Nam, vt cetera taceam, nonne illud vnicum & singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Saluatoris? Tu ergo, amice sponsi, amicum te in necessitatem probato. Si triplici illo amore, de quo tuus interrogatus est prædecessor, tu quoque toto corde, tota anima, tota virtute Christum diligis, vt oportet, nihil reseruabis, nihil dissimulabis in tanto periculo sponsæ eius: sed quidquid habes virium, quidquid zeli, quidquid solicitudinis, quidquid auctoritatis, quidquid potestatis, impendes. Singulare periculum singularem exigit operam. Fundamentum

concutitur, & tamquam imminenti ruinæ totis est nisibus occurrendum, & hæc propter vos fidenter quidem, sed fideliter dicta. Subdit autem de his quæ gesta essent in Conuentu illo Carnotensi his verbis: *De cetero verbum illud, quod iam, ni fallor, audistis: quomodo videlicet in Carnotensi Conuentu (quonam iudicio satis miror) me quasi in ducem & principem militiæ elegerunt: certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ, quantum metior vires meas, peruenire vsque illuc. Quis sum ego vt disponam castrorum acies? vt egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? sed neque hoc meum est vestram docere sapientiam, nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam caritatem, qua mihi specialiter debitor estis? ne me humanis voluntatibus exponatis; sed, sicut singulariter vobis incumbit, diuinum consilium perquiratis, & operam detis vt sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Hucusque ad Eugenium papam sanctus Bernardus, in spiritu quidem ardoris eum hortando, & spiritu humilitatis eius consilium rogando de his quæ essent agenda.

Anno Christi 1146.

Sanctus Bernardus eligitur belli dux primarius.

[a] CONCILIVM PARISIENSE CONTRA GILIBERTVM PORRETANVM Pictauensem episcopum congregatum anno Domini MCXLVII. tempore Eugenii papæ III.

Anno Christi 1147.

NOTA.

Causa & acta Concilii.

[a] *Concilium.*] Causam & acta Concilii, personam, mores & dogmata Porretani describens Otto Frisingensis libro 1. de gestis Friderici primi cap. 50. & nonnullis sequentibus ista refert quæ sequuntur:

Porretanus quis & qualis, quæve eius hæreses.

Igitur vt ad id, a quo digressa fuit, redeat oratio, prætaxati archidiaconi, adscito sibi tanta auctoritatis & æstimationis viro abbate Bernardo, episcopum Gilibertum eadem qua prædictum Petrum via damnare attentabant. Sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subiiciens, magisque illorum ponderi, quam suo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictauensis, post Bernardus Carnotensis, ad vltimum Anselmus & Radulphus Laudunenses Germani fratres, non leuem ab eis, sed grauem doctrinam hauserat, manu non subito ferulæ subducta, a scientia haud censura morum vitæque grauitate discordante: non iocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, vt tam gestu quam voce pondus seruans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ

Causa Concilii.

Dogmata Porretani.

ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque primo Antisiodorum, post Parrisius vocatus est. Erant inter cetera quæ illi obiiciebantur, de diuina maiestate quatuor capitula:

Quod

ANNO CHRISTI 1147.

Quod videlicet assereret diuinam essentiam non esse Deum.
Quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ.
Quod theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione.
Quod diuina natura non esset incarnata. Et præter hæc alia minora, id est:
Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Christum.
Quod ecclesiæ sacramenta euacuando, diceret nullum baptizari, nisi saluandum. & cetera in hunc modum:

Itaque præsidente cum cardinalibus episcopis, aliisque viris venerabilibus & eruditis in iam dicta ciuitate Parisiis, summo pontifice Eugenio, prædictus episcopus Gilibertus consistorio præsentatur, de his capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Paruo ponte, vir subtilis & Parisiensis ecclesiæ canonicus recenter factus, Hugo de Campo florido, cancellarius regis; asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio eius ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione, viros magnos, & in ratione disserendi exercitatos, pro argumento iuramentum afferre. Testes aduersus Porretanum producti.

Ibidem dum hincinde multa sibi obiicerentur, pluriumque impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, inter cetera dixisse traditur: Audacter confiteor Patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc. Cuius dicti obscuritatem, tamquam verborum profanam nouitatem, tam impatienter magister Iosselinus Sueßionensium episcopus excepit, vt, iuxta prouerbium, medium vitando incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat, vel fortassis lectam non intellexerat, qua de eodem Altissimo loqui gestiens, secreto inter cetera dicit: Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad seruientem creaturam. Ait ergo prædictus episcopus: Quid est quod dicis, Esse Deum nihil est? Erat quippe quorumdam in logica sententia, cum quis diceret, Socratem esse, nihil diceret. Quos præfatus episcopus sectans, talem dicti vsum haud præmeditate ad theologiam verterat. Quo verbo omnium pene auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hoc sedato clamore, cum a circumstantibus rogaretur episcopus Gilibertus, vt quare in theologia personas intantum distingueret, aperire vellet, breuiter respondit: Quia omnis persona est per se vna. Et ita, non sine magno multorum qui aderant stupore, Conuentus ea die soluitur. Porretanus hæresin suam profitetur. Porretanus rationem dat suæ hæreseos.

Alia rursus die in causam ductus, pulsatusque de nouitate dictionis, eo quod in prosa de sancta Trinitate tres personas tria singularia vocauerit, N. Rothomagensis archiepiscopus causam aggrauauit, dicens: Deum potius debere dici vnum singulare, quam tria singularia: non tamen sine multorum scandalo, cum Hilarius in libro de Synodis dicat: Sicut duos deos dicere profanum est, ita singularem & solitarium dicere sacrilegium est. Et idem in eodem: Nihil solitarium ex diuinis sacramentis ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferamus. Secundæ sessionis acta quæ. Porretanus quo sensu dixerit tres personas in Trinitate esse tria singularia.

Episcopus vero Pictauensis in præfatis dictis suis se habuisse simplicem

ANNO CHRISTI 1147.

sensum testabatur, affirmans per singularia non theologicas personas, sed ipsarum excellentiam intellexisse, secundum quod antonomastice Paulum solemus vocare Apostolum, vel gloriosam Dei genitricem Virginem singularem: eo quod nec est, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet simul sit mater & virgo. Ea rationis proportione trium personarum excellentiam se considerasse, cum tria singularia diceret, asserebat: cum nec sit nec fuerit, nec futurus sit talis Pater, qui scilicet sit Pater & Deus: atque in eumdem modum talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Causa Porretani differtur ad Concilium Rhemense.

Post hæc cap. 4. subiungit: *Dum ita per aliquot dies, iam sæpe dictus episcopus coram summo pontifice de fide sua in ciuitate Parisiis discuteretur, sentiens papa, vtpote vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam vsque ad vniuersale Concilium adiudicauit. Erat enim in proxima medianæ quadragesimæ dominica apud illius Galliæ metropolim Rhemis generale indictum Concilium.*

Gilibertus Porretanus describitur.

Quis fuerit Gilibertus, quo loco, quibusque parentibus ortus, enarrat cap. 46. his verbis: *Fuit illis in diebus in Aquitania Galliæ ciuitate Pictauis episcopus Gilibertus nomine: hic ex eadem ciuitate oriundus, ab adolescentia vsque ad vltimam senectutem in diuersis Galliæ locis philosophiæ studium colens, re & nomine magistri officium administrarat, nouiterque ante hos dies ad culmen pontificale in præfata ciuitate sublimatus fuerat: consuetus ex ingenii subtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur, cum quadam vice Conuentum de sua diœcesi clericorum magnum celebrans, sermoni, quem forte gratia exhortandi habebat, quædam de fide sanctæ Trinitatis interfereret, a duobus archidiaconis suis Arnaldo & Calone, tamquam contra catholicæ normam ecclesiæ doctrinam instituens, ad summi pontificis Romanæque sedis examen, interposita appellatione, vocatur. Sic vtrique viam carpunt, Romanoque pontifici Eugenio ab Vrbe in Gallias tendenti, Senis ciuitate Tusciæ occurrunt. Quibus Romanus antistes auditis, causaque viæ cognita, breuiter respondit, se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter literatorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoscere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supra memorato abbate, eum in commodum causæ suæ aduersus episcopum declinant.*

Hæc Otto, qui plus æquo Giliberto fauit, & sancto Bernardo nonnihil derogauit, iterum reuocauit, & censuræ ecclesiæ (teste Radeuico lib. 2. cap. 11.) moriturus subiecit: verba Radeuici ista sunt: *Hunc codicem*, historiarum, *manibus suis offerre præcepit, eumque literatis & religiosis viris tradidit, vt si quid pro sententia magistri Giliberti (vt patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque catholicæ fidei assertorem, iuxta sanctæ Romanæ imo & vniuersalis ecclesiæ regulam, professus est.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1148.

CONCILIVM RHEMENSE

[a] CONTRA EON HÆRETICVM, qui dicebat se esse Filium Dei, per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus: Per eum qui venturus est: item contra assertiones Giliberti Porretani Pictauensis episcopi, aliisque de causis indictum & celebratum anno Domini MCXLVIII. tempore Eugenii papæ III.

ASSERTIONES GILIBERTI PORRETANI Pictauiensis episcopi.

QVOD diuina natura, quæ diuinitas dicitur, Deus non sit, sed forma qua Deus est, quemadmodum humanitas homo non est, sed forma qua est homo.

Quod cum Pater & Filius & Spiritus sanctus vnum esse dicuntur, non nisi vna diuinitate esse intelligantur, nec conuerti possit, vt vnus Deus, vel vna substantia, vel vnum aliquid, Pater & Filius & Spiritus sanctus esse dicatur.

Quod tres personæ tribus vnitatibus sint tria, & distinctæ proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres æternæ, & abinuicem a diuina substantia in numero differentes.

Quod diuina natura non sit incarnata.

FIDEI SYMBOLVM CONTRA præcedentes errores Giliberti.

Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo octauo symbolum istud sub Eugenio tertio papa in Rhemensi Concilio firmatum est a patribus prouinciarum.

Credimus & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Sicubi vero dicitur: Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi; credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse; non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse; non nisi ea vnitate vnum, quæ est ipse; non nisi ea diui- Fidei symbolũ contra errores Giliberti.

nitate Deum, quæ est ipse, id est seipso sapientem, magnum, æternum, vnum Deum. ANNO CHRISTI 1148.

Cum de tribus personis loquimur, Patre & Filio & Spiritu sancto, ipsas vnum Deum, vnam diuinam substantiam esse fatemur. Et e conuerso cum de vno Deo, vna diuina substantia loquimur: ipsum vnum Deum vnam diuinam substantiam esse tres personas confitemur.

Credimus & confitemur solum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.

Credimus & confitemur, ipsam diuinitatem, siue substantiam diuinam, siue naturam diuinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.

CANONES CONCILII RHEMENSIS.

I.

Qui ab episcopis suis anathematis sententia condemnantur, quoniam a communione ecclesiastica remouentur, diabolicæ dignoscuntur subiici potestati. Non enim est homo qui ligat, sed Christus, qui hanc ministris suis * exhibuit potestatem. Ideo- * tribuit
que a suis episcopis excommunicatos ab aliis * re- * suscipi
cipi, modis omnibus prohibemus. Episcopus autem, qui sententiam promulgauerit, eam vicinis episcopis * enuntiet. Qui vero excommunicato, do- * annunciet.
nec ab eo qui eum excommunicauerat, vel ab auctoritate sedis apostolicæ, absoluatur, scienter communicare præsumpserit, eadem excommunicationis sententia ipsum teneri censemus.

II.

21. q. 3. cap. vlt. Præcipimus etiam, * quod tam episcopi, quam * vt

ANNO CHRISTI 1148. clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varie-
*fiſſura tate colorum, aut *ſciſſura veſtium, neque in ton-
ſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe
debent, offendant aſpectum, ſed potius ita in ſuis
*errata actibus *ea condemnent, vt amorem innocentiæ
conuerſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit
ordinis clericalis. Quod ſi moniti ab epiſcopis ſuis
infra vndecim dies non obtemperauerint, eccleſia-
ſticis beneficiis eorumdem pontificum auctoritate
priuentur. Epiſcopi vero ſi præfixam pœnam irro-
gare neglexerint: quia inferiorum culpæ ad nullos
magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligen-
*pontifi- teſque rectores: tamdiu ab *epiſcopali officio abſti-
cali neant, donec pœnam a nobis conſtitutam clericis
*eam ſibi ſubiectis imponant, nec *etiam niſi præceden-
te congrua ſatisfactione relaxent.

III.

Præterea quod a patribus noſtris propenſiori
cura nouimus conſtitutum, nos quoque præcipi-
mus obſeruari: vt qui in ordine ſubdiaconatus, aut
ſupra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint,
officio atque eccleſiaſtico beneficio careant.

IV.

Ad maiorem autem domus Dei decorem adii- 18.q.2. cap. 25.
cientes ſtatuimus, vt ſanctimoniales & mulieres,
quæ canonicæ nominantur, & irregulariter viuunt,
*regulã, iuxta beatorum Benedicti & Auguſtini *rationem,
vitam ſuam in melius corrigant & emendent; ſuper-
fluitatem & inhoneſtatem veſtium recidant; & in
*cõmuni, clauſtro ſint aſſidue permanentes, *choro, refecto-
rio, & dormitorio ſint contentæ, & relictis præben-

dis, & aliis propriis, earum neceſſitatibus de communi* prouideant. Quod ſi vſque ad proximum apoſtolorum feſtum non adimpleuerint, extunc in earum eccleſiis, donec hoc noſtrum mandatum *adimpleuerint, diuina prohibemus officia celebrari; & ſi qua ipſarum mortua fuerit, Chriſtianorum careat ſepultura. Prohibemus etiam, ne in earumdem collegiis aliqua* quæ irregulariter victura fuerit, recipiatur. ANNO CHRISTI 1148. *prouideatur. *adimpleant. *nisi regulariter

V.

Cap. Decernimus. de iudiciis. Decernimus* etiam, vt laici eccleſiaſtica terminare negotia non præſumant; & epiſcopi, abbates, archidiaconi, & alii eccleſiarum prælati de negotiis eccleſiaſticis, vel de aliis quæ ſpiritalia eſſe noſcuntur, aliquorum laicorum iudicio non diſponant; nec propter eorum prohibitionem eccleſiaſticam dimittant iuſtitiam exercere. *autem

VI.

Auctoritate quoque apoſtolica prohibemus, vt nullus aduocatus, præter ius & beneficium antiquitus conſtitutum, ſibi* aliquid accipere vel vſurpare præſumat. Subaduocatos vero & exactores eorum modis omnibus ab eccleſiarum infeſtationibus remoueri præcipimus. Quod ſi quis contra hanc* ſententiam a nobis promulgatam de cetero attentare præſumpſerit, Chriſtianorum careat ſepultura. *quidquid *prohibitionē

VII.

27. quæſt. 1. cap. 40. Quia vero continentia, & Deo placens munditia, in eccleſiaſticis perſonis & ſanctis ordinibus dilatanda eſt, ſanctorum patrum, & prædeceſſoris

ANNO CHRISTI 1148. nostri papæ Innocentii vestigiis inhærentes statuimus, quatenus episcopi, presbyteri, subdiaconi, regulares canonici, monachi atque conuersi professi, qui sacrum transgredientes propositum vxores sibi copulare præsumpserint, separentur: huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiastica *regulam * rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus: qui etiam abinuicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Idipsum quoque de sanctimonialibus, si, quod absit, nubere tentauerint, obseruari præcipimus.

VIII.

Diuinarum legum manifesta & disciplina, & sanctorum patrum decreta sanxerunt, vti decimas ecclesiarum, quas in vsus pietatis concessas Canonum demonstrat auctoritas, laici non debeant possidere. Nos quoque ne id fiat modis omnibus prohibemus, siue ab episcopis, siue a regibus, vel quibuslibet personis acceperint, nisi ecclesiæ reddiderint, sacrilegii crimen committunt, & periculum æternæ damnationis incurrunt.

IX.

Illud etiam duximus annectendum, vt nullus in archidiaconum nisi diaconus vel presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, decani, vel præpositi, qui infra ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint, suscepto honore *autem, priuentur. Prohibemus * etiam, ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia & merito vitæ clarescunt, prædicti concedantur honores. Dist. 7. ca. 3.

X.

ANNO CHRISTI 1148.

1.q.2.cap. 5. & vlt. Præcipimus etiam, ne presbyteris conductitiis ecclesiæ committantur, & vnaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem, nec ab eius regimine alicuius, nisi episcopi, in cuius parochia fuerit, vel archidiaconi * canonico iudicio depellatur. Cui de bonis ecclesiæ tantum beneficii præbeatur, vnde conuenienter valeat sustentari.

* aut

XI.

Cap. 2. de treuga & pace. Præcipimus quoque, vt presbyteri, clerici, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia cum quibus arant, & oues omni tempore sint securæ. Si quis autem hoc nostrum statutum violare præsumpserit, episcopus in cuius parochia fuerit, omni * trepiditate sepositа, canonicam de ipso iustitiam faciat.

* trepiditate

XII.

De torniamen. cap. 1. Temerariam quoque militum audaciam, qui ad detestabiles nundinas vel ferias ex condicto solent ad ostensionem suarum virium conuenire, vnde mortes * corporum & animarum sæpius prouenerunt, omnino * fieri interdicimus. Quod si quis ibidem cæsus vel mortuus fuerit, pœnitentia ei & viaticum non negetur; ecclesiastica tamen careat sepultura.

* hominum & periculа * sibi

XIII.

16.q.4 c.29. Nihilo minus præsentis scripti serie, statuta prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Innocentii confirmantes, decernimus, vt si quis suadente diabolo tanti sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum,

ANNO CHRISTI 1148. ricum, vel monachum violentas manus * mittat, *iniiciat, anathemati subiaceat, & nullus episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.

XIV.

Hac etiam consona sanctorum patrum definitione sancimus, vt in eos qui ad ecclesiam, vel cœmeterium confugerint, nullus manus mittere au- *si deat. Quod * qui fecerit, anathema sit.

XV.

Innouamus etiam, vt si quis malo studio, siue pro odio, siue pro vindicta, ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura. Nec absoluatur, nisi prius damno cui intulit, secundum facultatem suam resarcito, iuret se vlterius *ei ignem non appositurum. Pœnitentia * Dei detur, vt in Hierosolymis aut in Hispania in seruitio Dei per annum permaneat. Si quis vero archiepiscopus, vel episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat: & per annum ab officio pontificali abstineat. Sane regibus & principibus facultatem faciendæ iustitiæ non negamus. 23. q. 8. cap. 32.

XVI.

*per Præcipimus etiam, vt * pro chrismatis, & olei *acce- ptionem sacri, & sepulturæ * acceptione nullum precium exigatur.

Illud etiam, quod a prædecessore nostro papa Innocentio statutum est, innouantes, ordinatio-

nes factas a filio Petri Leonis,& aliis schismaticis & hæreticis, euacuamus, & irritas esse censemus. Anno Christi 1148.

XVII.

Quia etiam apostolica sedes quod rectum est consueuit attenta consideratione defendere, & quod deuium * inuenitur esse deuitare, præsentis decreti auctoritate præcipimus, vt nullus omnino hominum hæresiarchas & eorum sequaces, qui in partibus Guasconiæ, aut Prouinciæ,..... vel alibi commorantur, manuteneat vel defendat: nec aliquis eis in terra sua receptaculum præbeat. Si quis autem vel eos de cetero retinere, vel ad alias partes proficiscentes eorum errori consentiens recipere forte præsumpserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, & in terris eorum, donec condigne satisfaciant, diuina celebrari officia interdicimus. *Hactenus ex codice Vaticano.*

* esse inuenitur deuitare,

NOTA.

Concilii acta.

[a] *Contra Eon hæreticum.*] Quis fuerit ille hæreticus, quo tempore, loco ac modo condemnatus a Concilio Otto Frisingensis in Friderico lib. 1. cap. 54. describit his verbis: *Erat in proxima mediana quadragesimæ dominica apud illius Galliæ metropolim Rhemis generale indictum Concilium; tam ex eo quod prætaxatus papa persecutionem populi sui declinando in Galliis morabatur; quam ob hoc quod quidam pene laicus hæretici honorem in vaccis populorum affectans, examini ecclesiæ reseruandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Galliæ, id est circa Britanniam & Guasconiam, eo quod remotis ibi a corde Franciæ populis, simplicitas, vel potius (vt ita dixerim) stulticitas, cui facile error obrepere solet, abundat, verbum prædicationis assumpserat, eumque tamquam Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens quod ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus,* Per eum, *&c.*

Idē cap. 55. *Igitur voluente tempore, cum eadem mediana quadragesima adueniret, dumque a Turcis populi dispersi Ierusalem tendentes per altum nauigaremus æquor, in basilica Dei genitricis semperque virginis Mariæ, Rhemis, præsidente summo pontifice Eugenio, sedit Concilium; productus fuit ibi, vt fingere liceat, cum scriptulis suis prædictus Eon*

ANNO CHRISTI 1148. *vir rusticanus, & illiteratus, nec hæretici nomine dignus, ac pro contumaci fatuitate, vel fatua contumacia sua puniendus, Sugerio abbati sancti Dionysii, qui regni negotia ob absentiam regis in occidentali Francia, iuxta illius cœnobii prærogatiuam, administrabat, commissus, ab eoque arctæ custodiæ mancipatus, vitam in breui finiuit. Venerunt ad prædictum Concilium cum bulla aurea nuntii iunioris Romanorum regis Henrici, tam de sublimatione sua ad imperium Romano pontifici significantes, quam de tribus fratribus Poloniæ, qui eiecto quarto & seniore ducatum intra se diuiserant, ac de episcopis illius prouinciæ, qui super hoc patri ipsorum iuramentum præstiterant, querimoniam facientes. Famæ quoque malum, omnibus motabilibus velocius, iuxta illud:*

Eon hæreticus in carcere moritur.

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,

immensitatem soli ex naturæ suæ celeritate transuolans, de expeditionis nostræ euentu certa promens indicia, in auribus oreve omnium ibi versabatur.

Robertus in appendice ad Sigebertum asserit anno quadragesimo octauo post millesimum & centesimum contigisse a papa Eugenio Rhemis XI. Kalendas Aprilis Concilium celebrari: *In quo*, inquit, *hæreticus quidam de Britannia adductus damnatur, qui se prophetam, vel magnum quemlibet, & nomine suo alludens (Eon enim dicebatur) eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem, se esse dicebat, & de suis quosdam quidem angelos, alios autem apostolos faciebat, & propriis angelorum seu apostolorum nominibus appellabat, quo plane signo & ipsum ex Manichæorum officina prodiisse, possumus intelligere ex iis quæ dicta sunt suo loco de Manichæis. Qui in Concilio damnatus, sub custodia Rhemensis archiepiscopi non multo post defunctus vita pariter caruit & memoria.* Hæc Robertus.

Insanus hæreticus condemnatur.

Auctor huius sæculi VVilielmus Neubrigensis res ab eodem perditissimo homine gestas ad Rhemense Concilium perductas sic refert: *Circa idem tempus Eugenius papa Romanus ad sedis apostolicæ regimen ex vitæ regularis districtione assumptus, ecclesiasticæ studio disciplinæ in Gallias veniens, generale Concilium instituit Rhemis: in quo dum sederet cum omni frequentia episcoporum, atque nobilium, oblatus est ei quidam vir pestifer, qui spiritu plenus diabolico, præstigiali astutia tam multos seduxerat, vt fretus sequentium numero, per diuersa loca formidabilis aberraret, ecclesiis maxime monasteriisque infestus. Diu itaque multum debacchatus, tandem a Rhemensi archiepiscopo captus est, sapientia vincente malitiam, & sancto Concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illiteratus & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, vt cum sermone Gallico, Eon diceretur, ad suam personam pertinere crederet quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet,* Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Ita plane fatuus, vt Eon, & eum, nesciret distinguere, sed supra modum stupenda cæcitate crederet se esse dominatorem & iudicem viuorum & mortuorum: eratque per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas, vt tamquam ex muscis*

VVilielm. Neubrig. lib. 1. c. 19. de Eudone siue Eon hæretico.

aranearum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret, quæ tota illum tamquam dominum dominorum indiuidue sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diuersas prouincias ferebatur, interdum vero morabatur cum suis omnibus in locis desertis & inuiis, moxque instigante diabolo erumpebat improuisus, ecclesiarum maxime ac monasteriorum infestator. ANNO CHRISTI 1148.

Accedebant ad eum plerumque noti eius & propinqui, (erat enim non infimi generis) siue vt eum familiari ausu corriperent, siue vt quomodo se circa eum res haberet cautius explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus, fastusque regius; & qui cum eo erant, solicitudinis, laborisque expertes, precioseque indui, splendide epulari, & in summa lætitia agere videbantur, intantum vt plerique, qui ad corripiendum eum venerant, conspectu eius non vera sed phantastica gloria corrumperentur. Fiebant enim, sed phantastice, per dæmones, a quibus scilicet misera illa multitudo, non veris & solidis, sed aeriis potius cibis in locis desertis alebatur. Nam sicut postmodum per quosdam audiuimus, qui in eius fuerant comitatu, eoque sublato, tamquam agentes pœnitentiam, per orbem vagabantur, in promptu eius erant, quotiescumque volebat, panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores.

De præstigiis hominis hæretici.

Verum quod iidem cibi non solidi, sed aerii fuerint, subministrantibus inuisibiliter spiritibus aeris huius, ad capiendas magis quam pascendas animas, hinc elucet, quod quantamcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam tanta mox sequebatur esuries, vt eosdem cibos illico repetere cogerentur. Quicumque forte ad eos accedens, ex cibis eorum vel modicum gustasset, ex participatione mensæ dæmoniorum mente mutata, spurcissimæ multitudini continuo adhærebat. Et quicumque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat.

Denique fertur quemdam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, & simpliciter monuisse, vt abiurata nefanda secta illa per communionem Christianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem astute suspendens, ostendit ei in multiplici specie phantasticarum opum amplitudinem, vt blandiente visarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit, noster es, sume de nostro quod & quantum vis. Verum homo prudens, cum verba correptionis in ventum fudisset, exiuit vt abiret. Armiger vero eius conspectum miræ pulcritudinis accipitrem in propriam perniciem concupiuit. Quo petito & accepto dominum suum iam abeuntem cum lætitia sequebatur. Cui ille: Abiice cito quod portas, non enim est auis, vt videtur, sed dæmon sic transformatus: cuius verbi veritas post modicum claruit. Cum enim insipiens nollet audire monentem, primo conquestus quod accipiter ille vnguibus sibi pugnum fortius stringeret: mox ab eodem per manum in aerem subleuatus deinceps non comparuit.

Capitur Eon hæreticus.

Sane cum pestifer ille ita debaccharetur, (vt dictum est sæpius) a principibus ad vestigandum & persequendum eum exercitus frustra mittebatur: quæsitus enim non inueniebatur. Tandem vero fraudatus ope dæmonum, cum non amplius per illum debacchari sinerentur, (non enim nisi a superioribus potestatibus iusto Dei iudicio relaxantur) leui negotio a

ANNO CHRISTI 1148. *Rhemensi archiepiscopo comprehensus est, & populus quidem stolidus, qui eum sequebatur, dilapsus est. Porro discipuli, qui ei arctius adhærebant, eiusque cooperatores extiterant, cum ipso capti sunt.*

Cum ergo staret in conspectu Concilii, interrogatus a summo pontifice quisnam esset, respondit: Ego sum ille qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Habebat autem in manu sua baculum inusitatæ formæ, in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille: Res, inquit, grandis mysterii est. Quamdiu enim, sicut nunc videtis, duobus cælum captitibus suspicit, duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi partem cedens. Porro si eadem duo superiora capita baculi submittam vsque ad terram, & inferiorem eius partem, quæ simplex est, erigam, vt cælum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc risit vniuersa Synodus, derisitque hominem tam profunde datum in reprobum sensum. Iussus autem ex decreto Concilii, ne pestis iterum serperet, diligenter custodiri, tempore exiguo superuixit. Stulta professio hæretici hominis.

Discipuli vero eius, quos magnis insignierat nominibus, alium scilicet vocans Sapientiam, alium Scientiam, alium Iudicium, & in hunc modum ceteros, cum sanam doctrinam nulla ratione reciperent, potius obstinatissime de falsis gloriarentur vocabulis; intantum, vt ille qui Iudicium dicebatur, suis detentoribus vltricem infelici fiducia comminaretur sententiam. Curiæ prius & postea ignibus traditi, ardere potius, quam ad vitam corrigi maluerunt. Audiui a quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum, qui Iudicium dicebatur, cum ad supplicium duceretur, crebro dicentem: Terra findere: tamquam ad oris eius imperium terra aperienda esset, & deuoratura sicut Dathan & Abiron hostes eius; tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit. Hactenus Neubrigensis. Discipulorum eius nomina & pœna.

Inter alia autem, perlatas ad Synodum regum causas esse sic idem narrat: *Venerunt ad prædictum Concilium cum bulla aurea nuntii iunioris Romanorum regis Henrici, tam de sublimatione sua ad imperium Romano pontifici significantes, quam de tribus fratribus ducatus Poloniæ, qui eiecto quarto & seniore ducatum intra se diuiserant, ac de episcopis illius prouinciæ, qui super hoc patri ipsorum iuramentum præstiterant, querimoniam facientes.* Sed quid de his in Concilio fuerit definitum dicere prætermittit. Causæ principum perlatæ ad Cõcilium.

Insuper autem statutos fuisse in eadem Synodo complures Canones spectantes ad disciplinam ecclesiasticam in vsum pristinum reuocandam, ex sancto Bernardo, qui ex illis aliquot recitat in libris de consideratione ad Eugenium, possumus intelligere, dum quarto anno a tempore isto conqueritur apud ipsum pontificem non seruari quæ in proximo præcedenti Rhemensi Concilio can. 2. & 9. statuta fuissent.

Hi Canones numero sunt decem & septem. Suntque prius constituti, quam de causa Giliberti quidquam ageretur. Accepti sunt ex duobus exemplaribus, vno Vaticano, altero Gallicano codice manuscripto: quorum hoc missum est Romam ad Gregorium XIII. a Iacobo Amioto episcopo Antisiodorensi. Varietates lectionum posi-

tæ sunt in margine. Post Canones sancitos actum est de erroribus Giliberti, prout sequitur. ANNO CHRISTI 1148.

Quæ vero in causa Giliberti Porretani post hæc gesta fuerint, idem Otto Frisingensis cap. 56. sequente, his verbis describit: *Itaque finita Synodo, salutiferisque ad innouationem seu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum capitulis, prudentiores & viciniores ad causam episcopi Giliberti terminandam reseruantur. Decursa mediana quadragesimæ hebdomada, sacroque dominicæ passionis tempore inchoante, episcopus Pictauinus, manente adhuc summo pontifice Rhemis rursus ad iudicium trahitur: in cubiculo, vbi vrbis episcopus cum senioribus sedit, vocatur: & ab eo quid de fide sanctæ Trinitatis sentiat subtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eamdem se quam illi fidem tenere asserebat. Cumque huiuscemodi sermone, seu legendi prolixitate dies detineretur, tamquam tædio affectus Romanus inquit antistes: Multa, frater, dicis, multa, & ea fortassis quæ a nobis non intelliguntur, legi facis: sed simpliciter a te cognoscere velim, anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris vnum Deum, credas esse Deum. Qui diutina collatione fatigatus minus præmeditate respondit: Non. Quod dictum mox ab eius ore raptum notarius excepit, scribens in hunc modum: Episcopus Pictauensis scripsit & dixit quod diuina essentia non est Deus. In commentario enim super Boetium de Trinitate, vbi auctor theologica a naturalibus prædicamenta discernens, inter cetera posuit, Substantia qua Deus est, iste apposuit, Non quæ Deus est, id est vt non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in hæc verba conuentus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spatium, cum nocte sequente, amicos suos ex cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit. In crastino ipso denuo coram summo pontifice in causa posito recitatur scriptum: cuius vt ab eo reddatur ratio exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserebat. Dicebat enim hoc nomen, Deus, quandoque in designatione naturæ, quandoque in designatione personæ vnius etiam poni. In designatione naturæ, vt cum dicitur,* Deus tuus vnus est: *personæ, vt cum dicitur, Pater est Deus, Filius est Deus: personæ & vnius tantum de tribus, vt ibi,* Ascendit Deus in iubilatione: *quod de persona Filii dictum esse nemo ambigit. Quare & aiebat se, diuinitatem esse Deum, in illo tantum sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo vero absolute concedere non audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen, Deus, accommodatur: ne videlicet si indeterminate profiteretur diuinitatem esse Deum, id est, quamlibet personarum, cogeretur sine determinatione concedere quidquid de qualibet personarum, & de essentia: sicque in hanc incideret absurditatem, vt sicut personam Filii, ita diuinam essentiam indeterminate incarnatam, passam confiteretur. Ex qua absurditate facile sensus hæreticus, iuxta Sabellium emergeret, vt eadem res diceretur & generans, & genita, & eadem seipsam genuisse. Quod autem inter naturam & personam non mathematica abstractione, sed theologica consideratione, quoquo modo diuideret ratio, & ratione & auctoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet iuxta A-*

Psalm. 47.

ANNO CHRISTI 1148. rium, ſicut perſonarum, ita & pluralitatem admitteret eſſentiarum: vel ſecundum Sabellium, ad eſſentiæ ſingularitatem, Chriſtianæ fidei religio pluralitatem reſtringeret perſonarum, hac Theodoreti contra Sabellium vtens auctoritate: Oportet ergo deſiderantem ſpirituales diuitias, & volentem Chriſtianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne forte aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & perſonam idem eſſe intelligit, aut in diuiſionem Arii incidit, aut in confuſionem Sabellii. Et illa Hilarii: Diſcerne igitur, o hæretice, ſpiritum Chriſti ab Spiritu Dei, & excitati a mortuis ſpiritum Chriſti a Spiritu Dei Chriſtum a mortuis excitantis. Et quæro nunc, in Spiritu Dei vtrum naturam aut rem naturæ ſignificatam exiſtimes? Non idem eſt enim natura, quod naturæ res eſt: ſicuti non idem eſt homo, & quod hominis eſt, nec idem ignis, & quod ipſius ignis eſt: & ſecundum hoc non idem eſt Deus, & quod Dei eſt. Item quod non natura, ſed Filii perſona carnem ſuſcepiſſe credenda ſit, hac auctoritate Toletani Concilii oſtendit: Solum Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et cum tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis, quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis, ſolus tamen accepit hominem in ſingularitate perſonæ, non vnitate diuinæ naturæ: id eſt, id quod eſt proprium Filii, non quod commune Trinitati. Quam auctoritatem cum determinare vellet Clarævallenſis abbas, aliqua verba quæ cardinalibus diſplicerent protulit. Epiſcopo Pictauino dicente; Et hoc ſcribatur. Ad quod ille reſpondit: Scribatur ſtylo ferreo, vngue adamantino. Moxque ad publicum progreſſus, omnes quos poterat conuocauit. Ibi cum archiepiſcopis, viriſque religioſis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictauino epiſcopo imponebantur, capitula fidem ſuam in hunc modum, ipſe cum aliis, & alii cum ipſo expoſuerunt.

Credimus ſimpliciter naturam diuinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu catholico poſſe negari quin diuinitas ſit Deus, & Deus diuinitas. Si vero dicitur, ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, vnitate vnum, diuinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi, credamus non niſi ea ſapientia quæ eſt ipſe Deus ſapientem eſſe, non niſi ea magnitudine quæ eſt ipſe Deus magnum eſſe, non niſi ea æternitate quæ eſt ipſe Deus æternum eſſe, non niſi ea vnitate quæ ipſe eſt vnum eſſe, non niſi ea diuinitate Deum quæ eſt ipſe, id eſt, ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, vnum Deum.

Cum de tribus perſonis, Patre & Filio & Spiritu ſancto loquimur, ipſas vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam fatemur eſſe: Et e conuerſo, cum de vno Deo, vna diuina ſubſtantia loquimur, ipſum vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas profitemur.

Credimus ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, & huiuſmodi alia adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.

Credimus ipſam diuinitatem (ſiue ſubſtantiam diuinam, ſiue naturam diuinam dicas) incarnatam, ſed in Filio eſſe.

Quod Gallicanæ eccleſiæ factum tam grauiter ſacer cardinalium ſena- Cardinales

ANNO CHRISTI 1148.

qua de causa offensi?

tus accepit, vt cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tamquam vnum corpus effecti, vna omnes voce pontifici suo dicerent: Scire debes, quod a nobis, per quos tamquam per cardines vniuersalis ecclesiæ voluitur axis, ad regimen totius ecclesiæ promotus, a priuato vniuersalis pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse oportere: nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæque curiæ culmen ex officii tui necessitudine curare & obseruare debere. Sed quid fecit abbas tuus, & cum eo Gallicana ecclesia? qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide catholica discutere habens, a nullo etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tamquam finituræ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certe si in oriente, vtpote Alexandria vel Antiochia, coram omnibus patriarchis huiusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri valeret auctoritate: quinimo, iuxta antiquorum patrum instituta vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorum contumaciam punire non differas. Quos Romanus pontifex blando mitigans eloquio, abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitateve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reuerentia respondit, se vel dominos episcopos nihil de præfatis capitulis diffinisse: sed quia ab episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur, idcirco, quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. Hocque tam humili quam modesto ipsius

Qua ratione sedati.

responso prædicta cardinalium indignatio conquieuit, ita tamen, vt præfatum scriptum, tamquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic ecclesiæ suæ, sponsæ suæ, prouidit, ne vel summa membra a capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum & discretarum personarum numerus Gallicanæ ecclesiæ aliquod iudicii pondus a sede Romana reportans, schismatis non parui occasio esset.

Hæc pauca ex multis de illius Concilii agenda dixisse sufficiat: hoc tamen apposito, quod de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil definiri potuit. Nec mirum: in quarto enim non multum ab aliis discordabat episcopus Gilibertus, cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio: iste personam Filii incarnatam, non sine sua natura. De prædicatione personarum quid diffinirent, cum eius vsum quidem, quid scilicet proprie prædicari diceret, ab aliis magistris etiam in naturalibus alienum non haberent. De proprietatibus, an personæ essent, tam ob prædictam causam, quam ob theologicas rationes, quæ hincinde habentur, suppressum est. De primo tantum Romanus pontifex diffiniuit,

Definitio Eugenii.

ne aliqua ratio in theologia inter naturam & personam diuideret; neve

Deus

ANNO CHRISTI 1148.

Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam nominatiui. Vnde adhuc a probatioribus eiusdem episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicendo, Episcopus vero præmissam summi pontificis sententiam reuerenter excipiens, archidiaconibus suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine ad propriam diœcesim remeauit.

An Porretanus hæresin suam, vt vnlt sanctus Bernardus, in Concilio abiurauerit?

Vtrum autem prædictus abbas Clareuallensis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tamquam homo deceptus fuerit, vel episcopus tamquam vir literatissimus propositum astute celando ecclesiæ iudicium euaserit, discutere vel iudicare nostrum non est. Quod enim sancti & sapientes viri, corruptibili carne circumdati frequenter in talibus fallantur, & nouis & antiquis probatur testimoniis. Nam vt de illo taceam, quod beatus Gregorius sancto Dauid, in quem Spiritus Domini directus asseritur, ad patriam, a qua a filio propulsus fuerat, reuertenti, a seruo Miphiboseth cum xeniis occurrenti surreptum, inducit, exemplo. Christianis temporibus beatus Epiphanius Salaminæ Cypri episcopus, tam eximiæ, vt mortuum quoque suscitaret, sanctitatis, aduersus Ioannem Chrysostomum, cuius hodie in ecclesia viget memoria, tam acriter ab æmulis induci potuit, vt eum in propria ciuitate declinans, cõmunicareque nolens, etiam populum sibi commissum, quantum in ipso fuit, contra illum concitaret. Quod in priori nostra ex Tripartita sumptum historia plenius dictum est. Hæc Otto prædicto loco. De eiusdem Giliberti causa fuse Baronius hic ista: His absolutis, introducta est in Concilium Giliberti episcopi Pictauensis causa, in qua idem Gilibertus expertus est sanctum Bernardum vehementissimum contradictorem. Qui cum adeo perstringeret illum, vt omnino conuinceret ipsum hæreticum, Eugenius papa consulens tanti episcopi famæ, id seorsum post dimissum Concilium faciendum duxit, testatur hæc Gofridus in vita ipsius sancti Bernardi, cum ait: *Igitur in Concilio, quod in vrbe Rhemorum papa venerabilis Eugenius celebrauit, egit cominus aduersus hunc Gilibertum ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus: primo quidem totum, quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur, eliciens; deinde vero tam suis ratiociniis, quam sanctorum testimoniis, biduana disputatione redarguens. Considerans sane, nonnullos ex his qui præsidebant, iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen auertentes iniuriam a persona; accensus est zelo, & domesticam sibi ecclesiam seorsum conuocat Gallicanam. Communi denique consilio a patribus decem prouinciarũ, aliis autem episcopis & abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur symbolum nouum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, vt eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus ceteris innotescat. Ita demum apostolico iudicio & auctoritate vniuersalis ecclesiæ error ille damnatur; episcopus Gilibertus an eidem damnationi consentiat interrogatur. Consentiens & publice refutans quæ prius scripserat & affirmauerat, indulgentiam ipse consequitur, maxime quod ab initio cautus fuisset ea lege eamdem ingredi disceptationem, vt promitteret sine vlla sese obstinatione pro ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum libere suam opinionem.* Hactenus Gofridus.

Vitæ sancti Bernardi lib. 3. cap. 5.

Giliberti damnantur errores.

Gilibertus cur hæreticus non dicendus.

ANNO CHRISTI 1148.

Ex quibus plane illud inducitur, eumdem Gilibertum, licet hæretica senserit, hæreticum non fuisse, cum pertinacia, quæ secundum sanctum Augustinum de ciuitate Dei, facit quemquam hæreticum, omnino caruerit, & hac de causa non fuerit pœna mulctatus priuatione episcopatus, quo priuandus omnino fuisset ex præscripto sacrarum legum, si conuictus fuisset hæreticus, imo & hæresiarcha.

At quod symbolum nouum, quod asserit tunc a sancto Bernardo fuisse conscriptum, atque ab episcopis subscriptum, quænam controuersia eius causa excitata fuerit, & tumultus obortus a sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus aduersus Eugenium papam, ex Ottone Frisingensi, rem ipsam locupletius prosequente, supra dictum est.

Ad postremum hic reddenda est epistola Gaufredi monachi Cisterciensis, data ad cardinalem Albanensem, post plura annorum curricula rogantem eum, quem sciret interfuisse eidem Rhemensi Concilio, vt cuncta quæ actitata essent ab Eugenio papa in causa eiusdem Giliberti, siue Gisleberti, Pictauensis episcopi, ad ipsum scriberet. quod & præstitit, ita scribens:

EPISTOLA GAVFREDI MONACHI AD EPISCOPVM ALBANENSEM.

De rebus gestis in causa Giliberti Porretani.

Amantissimo patri & domino A. Dei gratia Albanensi episcopo, domini papæ vicario, frater Gaufredus de Clarauallo minimus id quod est.

INIVNXERAT vestra paternitas venerabilis fratri nostro, & vestro speciali filio Augustino, vt de mandato vestro mihi imponeret, vobis per epistolam diligenter notum facere, qualiter in Rhemensi Concilio, quod dominus papa beatæ memoriæ Eugenius III. celebrauit super quibusdam capitulis, in expositione Pictauensis episcopi magistri Gisleberti cognomento Porretani, deprehensis & reprehensis, tractatum: quid & quemadmodum tandem fuerit iudicatum. Vnde vobis si tardius videor obedire, non miretur vestra serenitas: quoniam ante vigiliam festiuitatis omnium sanctorum verbum aliquod paruum vel grande super hoc non audiui. Eadem die stylum & tabulas apprehendens cœpi scribere, quid optarem vobis, si possem, celerius intimare.

Eodem igitur anno, quo prædictus pontifex Eugenius Romanæ ecclesiæ cathedram * sedens, non mediocrem

* f. sedecim.

ANNO CHRISTI 1148. primo ſtatim auditu flagitioſis intulit metum, & honeſtis omnibus e regione fiduciam; magnus quidam vir & bonorum memoria dignus Arnaldus nomine, & cognomine, † Qui non ridet, in eccleſia Pictauenſi ſub prædicto epiſcopo officium archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, ſed ab eius prædeceſſore promotus; difficile ſiquidem talis arbor fructum eiuſmodi protuliſſet. Accidit autem, vt ab eodem archidiacono ſatis fideli pariter & diſerto ſuper quibuſdam capitulis fidei familiariter, vt credimus, ante commonitus, nec acquieſcens, in eccleſia demum palam argueretur. Appellatum denique eſt ad Romanam eccleſiam, & coram prænominato papa eadem quæſtio ventilata. Qui in Gallias deſcenſurus, vtramque partem ſibi præcepit in ſolennitate paſchali Pariſiis præſentari. Adfuit beatiſſimus pater noſter ſanctus Bernardus cum eodem papa in eadem ſolennitate Pariſiis, cui omne negotium Chriſti, vbicumque eum contigiſſet ad- *hoc eſſe, tamquam omnino proprium, nemine ſuper * hic ambigente, protinus incumbebat. Facta eſt inquiſitio, ſecundum prædictum codicem expoſitionis † ſuper Boetium ab eodem epiſcopo requiſitum: ad manus ſe non habere reſpondit. Inuenta eſt tamen apud ſcholares particula quædam, vbi inter cetera continebantur hæc verba: Si homo, cui diuerſa conferre vt ſit, præ abundanti vnius formæ, vtputa ſapientiæ, dicitur ipſa ſecundum illud, tu quantus quantus nihil niſi ſapientia, es multo magis Deus, cui diuerſa non conferre vt ſit, dicitur eſſe ſapientia ſua, bonitas ſua, & cetera. In hunc modum producta eſt in medium hæc ſcriptura, & diſputabat ſanctus Bernardus aduerſus epiſcopum, dicens graue verbum & enorme videri, quo dicebatur, diuerſa non conferre Deo vt ſit, quaſi conferat vnum. Illam quoque ſimilitudinem locutionis emphaticæ procul eſſe a Deo, nec ſicut quilibet * hominem, ſapientia ſua dicitur; ſed vere & ſubſtantiue dicam eſſe ſapientiam ſuam, eſſentiam ſuam, diuinitatem ſuam, & non quemadmodum Dauus dictus eſt ſcelus. Negabat autem epiſcopus docuiſſe vel credidiſſe aliquando ſe, vel literis commendaſſe, quod diuinitas non eſſet Deus, quod forma vel eſſentia eſſet in Deo, quæ non eſſet Deus; & amplius aliquid faciens, diſcipulos ſuos epiſcopum quemdam

† Locus decurtatus & corruptus; deſunt multa de Gilliberto: nam quæ ſequũtur dicta ſunt de eius accuſatore.

†† Textus in multis deprauatus.

ſ. hominum.

* Eboiensem generosum satis, Rothomagensem archiepiscopum post futurum, Rotoldum nomine, & magistrum Iuonem Carnotensem testes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, inuitus * quam, vt satis tunc animaduertimus, sed suorum stimulatione compulsus; propter verba tamen libelli sui quæ præmisimus, & quia aliud alii asserebant, iniunxit ei summus pontifex, quatenus ante Concilium, quod eodem anno in ciuitate Rhemorum celebrare proponebat, eumdem sibi libellum transmitteret studiose scrutandum, & paratus esset in eodem Concilio ad obiecta plenius respondere. ANNO CHRISTI 1148. *f. Ebroicensem *f. quamuis,

Accidit autem vt expositionem illam sæpe dictus dominus Eugenius ab episcopo sibi directam venerabili cuidam abbati Præmonstratensi Godescalco de monte sancti Eligii, qui postmodum factus est Atrebatensis episcopus, traderet perscrutandam. Qui diligenter, vt pote vir disertus, notauit capitula, & ex libris sanctorum catholicorum patrum auctoritates paucas manifeste contrarias scripsit in schedula, quas ad idem Concilium veniens domino papæ cum libello Pictauensis episcopi præsentauit. Tulerat autem de medio Dominus anno ipso columnam grandem ecclesiæ domnum Albericum Ostiensem, cum omni reuerentia memorandũ, qui legatione functus in Aquitaniam, super vita pariter & doctrina illius * G. tanta didicerat, vt ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab eiusdem Ostiensis episcopi feruentissimo zelo præ ceteris eiusdem temporis cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quod si aduixisset idem vir, Pictauensis ille, quæ ausus est confiteri, præsente eo nullatenus præsumpsisset. Ventum est ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notauerat: sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino papa traditus * patri nostro sancto Bernardo Clarævallensi. Aderant viri magni nec mediocriter literati Gaufredus de Oratorio Burdigalensis ecclesiæ archiepiscopus, cuius in Pictauensi * episcopus suffraganeus erat, Milo Morinensis episcopus religione & scientia satis insignis Ioslenus Sueßionensis episcopus, tam sæculari quam literali scientia præditus, Sugerius abbas sancti Dionysii, cui *f. Gilberti *desunt f. est *f. ecclesia

ANNO CHRISTI 1148. Francorum Rex Ludouicus Hierosolymam proficiscens, totius regni commiserat administrationem. Hi & alii plures cum beato Bernardo prædicta capitula rationibus pariter & scripturæ sacræ testimoniis arguebant, nisi quod prædictus Gaufredus minus ceteris loquebatur, de industria parcens homini, & iudicio se reseruans, sicut humiliter est confessus, & pœnitentiam egit audiens dominos cardinales, quorum principales fauisse reo, & euidenter etiam fouisse constabat, super auditis obiectionibus sese promittere iudicaturos.

Ingredientibus vero nobis consistorium, prima die cum magnorum voluminum corpora per clericos Pictauenses fecisset afferri, & nos paucas auctoritates ecclesiæ in sola schedula haberemus, occasione accepta calumniabantur fautores illius hominis, quod * decertata testimonia proferremus, cum ille codices integros exhiberet, vbi posset intelligi, quemadmodum verbis propositis præcedentia vel sequentia adhærerent. Prolatum tamen capitulum de eius codice in hæc verba: Cum dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non quæ est, sed qua est. Quod dum alii atque alii clamantes auctorem arguerent, & aduersus eum adhuc tergiuersantem non immerito causarentur, sanctus Bernardus ad episcopum ait: Quid necesse est circa huiusmodi verba diutius immorari? non aliunde procedit scandali huius origo, nisi quod plures credere vos, credunt, & docere, quod diuina essentia vel natura, diuinitas eius, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere: Forma Dei & diuinitas, qua Deus est, & * ipse non est Deus. Ecce, ait sanctus Bernardus, tenemus quod quærebamus; scribatur ista confessio. Præcepit summus pontifex, & dominus Henricus Pisanus tunc Romanæ ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Claræuallensis monachus, & ex abbate sancti Anastasii sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis, ad eius mandatum porrexit & attulit chartam, calamum, & incaustum. Cum autem scriberet ipsam confessionem, Et vos, ait episcopus ad abbatem, scribite, quod diuinitas est Deus. Nec concitatus ille respondit: Scribatur, inquiens, stylo ferreo in vngue adamantino, vel sculpatur in silice, quod diuina essen-

* al. decurtata

* f. ipsa

tia, forma, natura, deitas, bonitas, ſapientia, virtus, potentia, magnitudo, vere eſt Deus. ANNO CHRISTI 1148.

Diſputatum eſt deinde ſuper eodem capitulo, & eo vſque proceſſum eſt, vt diceret ſanctus, quod ſi forma illa Deus non eſt, melior Deo eſt, cum ex ea Deus habeat eſſe, ipſa autem nec ab eo ſit, nec ab eo habeat quidquam. Quod potiſſimum credidi memorandum propter eam ſpecialiter cauſam, quia diſputatione completa, eccleſiæ Rhemenſis armarium mox ingreſſus, plures exinde tuli codices, & in libro beati Auguſtini de Trinitate inter alia plura teſtimonia, eadem pene verba, quæ ſanctus Bernardus obiecerat, reperi in hunc modum: Deus magnus eſt non niſi ea magnitudine, quæ eſt quod ipſe: alioquin illa erit maior magnitudo quam Deus. Ceterum cum de primo capitulo prima die diſputaretur, ego fui qui obieci eidem epiſcopo, audientibus vniuerſis, quod verba illa quæ modo profitebantur eodem anno Pariſiis coram domino papa, & maiori parte maiorum quæ aderant perſonarum, penitus abnegaſſet, & teſtes produxiſſet, quod talia nunquam crediderat, nunquam docuerat. At ille multum confidens, & amplius forſitan quam poſtea voluiſſet, quia negare non poterat ſe negaſſe: Quidquid tunc dixerim, modo, ait, hoc dico. Ego vero ſuſpirans grauiter, quod viderem coram tantis iudicibus paulo minus impune tanta præſumi: Ego ſicut rex, inquam, veſtrum dictum & dedictum habetis.

Et factum eſt, vt diſputantibus perſonis quæ aderant, ſuper primo capitulo prædicto occurreret, ſecundum, profitente prædicto epiſcopo, quod nec vnus Deus, nec vnum aliquid ſit tres perſonæ, licet tres perſonæ ſint vnus Deus, id eſt vna diuinitate, & ſint vnum, id eſt vno. Et aduerſus hoc capitulum diutius eſt diſputatum, poſtquam ſuggerente ſancto Bernardo, & domino papa præcipiente, ipſum etiam cum priore literis eſt commendatum. Cui euidens ſatis oppoſita eſt auctoritas Athanaſii in hæc verba: Supernarum virtutum carmina vnum tria, & tria vnum eſſe confirmant. Sequenti die codices tantos attulimus ad diſputationem, vt obſtupeſcerent fautores epiſcopi, & a nobis audirent, quia ecce ſchedulas non habemus. Faciebat epiſcopus in libris beati Hilarii, & de corpore

ANNO CHRISTI 1148. Canonum in quorumdam Græcorum epistolis verba minus intelligibilia, præsertim in tanta festinatione, & in tanta ac tali multitudine lectitari: nec deerant qui pro eo se opponerent, licet parum intelligentes. Addita sunt eodem die capitula duo prioribus, & literis pariter commendata: quod personales proprietates, & æternarum rerum multitudinem copiosam episcopus idem veraciter esse sine initio profiteretur, quarum tamen nulla Deus esset, nulla a Deo.

Quartum fuit capitulum, quod natura diuina naturam non suscepit humanam, sed persona Filii naturam nostram suscepit, contra illud beati Gregorii: Quia venit ad nos calceata diuinitas humanitate: & beati Augustini in libro primo de Trinitate: Ergo quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus, & vtrumque homo. Item eiusdem super euangelio Ioannis in tractatu LXXV. Semetipsum exinaniuit, & homo &c. quis nisi idem ipse Christus Iesus? sed hic iam sunt omnia, & Verbum in forma Dei, quæ accepit formam serui; & anima & caro in forma serui, quæ accepta est a forma Dei. & Leo papa: Suscepit nos illa natura, quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret. Exinde * propter quam diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, vt dicerent domini cardinales: Quia ecce audiuimus quæ proposita sunt, deinceps iudicabimus qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus mouit corda multorum, vt sequenti die apud sanctum Bernardum conuenirent archiepiscopi decem, episcoporum quoque & abbatum, ac magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi soli videbantur reseruasse, quos nouerant fere omnes errantis potius quam erroris fautores; prouidere oportere, cum capitulis illis * G. episcopi, suæ & fidei symbolum mitti, vt scirent plenius vnde iudicarent. Scripserunt ergo capitula totidem, quam expressius potuere illius verbi, suam confessionem contrariam in omnibus & per omnia proponentes, quam de communi omnium conuenientia non sine multa deliberatione dictatam iudicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, * nec contrarium aliquid iudicarent; sed credebant nonnullos eorum ad hoc tendere, vt sine aliqua definitione Concilium solueretur: propter quod ei-

*f. postquam

*f. Gilleberti

*f. ne

dem ſcripturæ, quam nouiſſimam vobis mittimus, ſubſcripta ſunt nomina ſingulorum qui aderant archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, & magiſtrorum de conſenſu & conuenientia vniuerſorum. ANNO CHRISTI 1148.

Et electæ ſunt tres perſonæ, epiſcopi duo reuerendiſſimi, Hugo Antiſiodorenſis, & Milo Morinenſis, & Sugerius abbas ſancti Dionyſii, qui eamdem ſcripturam domino papæ & cardinalibus præſentarent, & dicerent eis: Pro veſtra reuerentia ſuſtinuimus minus dignos acceptione ſermones, donec tandem audiuimus, quod de eis iudicare velletis. Offerimus ergo & nos vobis noſtram confeſſionem, vt non de parte, ſed de partibus iudicetis. Tenetis confeſſionem hominis illius ſcriptam: conuenit vt teneatis & noſtram. Verumtamen ille vobis ſub hoc tenore tradidit ſuam, vt paratus eſſet corrigere, ſi quid vobis aliud videretur: nos huiuſmodi conditionem penitus excludentes, ſic vobis noſtram offerimus, vt noueritis quod in hoc ſumus, in hoc perſeuerabimus, nihil penitus mutaturi. Quibus ſine cunctatione dominus papa reſpondit, & vniuerſis qui miſerant eos renuntiare præcepit, quod ab eadem confeſſione eorum in nullo prorſus Romana eccleſia diſſentiret, etſi ſtare viſi fuerant * aliquid pro perſona, ſed non ſtabant aliquatenus pro doctrina. Inde fuit quod in inſigni palatio, cui nomen eſt Thau, eccleſia vniuerſa conueniens, & interrogatus epiſcopus Pictauenſis capitulis ſingulis libere renuntiauit, hæc eadem verba locutus: Si vos aliter creditis, & ego, ſi aliter dicitis, & ego, ſi aliter ſcribitis, & ego. Ibidem dominus papa auctoritate apoſtolica, de aſſenſu totius eccleſiæ, quæ conuenerat, capitula ipſa damnauit, diſtricte præcipiens ne eumdem librum legere vel tranſcribere etiam ſic reprobatum quis auderet, niſi prius eum Romana eccleſia correxiſſet. Cumque reſponderet epiſcopus: Ego corrigam ad arbitrium veſtrum: Non vobis ait, hæc correctio committetur.

Erant & alia, quæ in ſcholis ſuis dicebatur auditoribus ſuis frequenter idem epiſcopus tradidiſſe, licet nos diſſimularemus; pro multitudine tamen ſcholarium, qui teſtimonium perhibebant ab eo audiuiſſe multoties, hæc coram omnibus ſciſſæ & diſcerptæ fuerunt chartæ, quæ dice-

ANNO CHRISTI 1148. dicebantur eius sententias continere. Quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere si scinderentur. Quænam fuerint illa capitula, nec tum scire curaui, nec adhuc scio. De cetero super capitulis aliis, de quibus mandatum vestræ dignationis accepi, diligenter considerans in libro glossarum psalterii, quas idem Gilibertus Porretanus composuit super versum, *Adorate scabellum pedum eius*, ita scriptum inueni: Caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit Christus. Hæc sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi prius adoret. Hucusque verba sunt Augustini. Quibus continuo addidit Gilibertus declara- *Psal. 98.*

*f. illam tionem, quod est additamentum eorum: Non * illa dico adorationem, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur, sed

*f. illam * illa quæ dulia dignior est: dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur; quæ duas habet species, vnam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur. In libro etiam glossarum eius in epistola sancti Pauli super illum locum: *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, ita est commentatus: Quibusdam videtur hoc nomen datum homini, quod nulla ratione conuenit: hoc *Philipp. 2.*

*f. nomē enim * donum esse Filium Dei, hoc nomen esse Deum, quod non per solam appellationem, sed per naturam super omne nomen est, quod non post passionem suam,

*f. generaretur, sed potius a Patre, a quo habet omnia, cum * generatur, accepit. Hoc ergo non homini datum, nisi forte quis dicat, per adoptionem omne datum: sed adoptiuo Deo non flectitur omne genu, nec est in gloria Dei Patris: nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apostolus: *Dedit illi nomen*, &c. Quod ideo dico, quia natus

*f. qui accepit vt per crucem manifestaretur, * quid a Patre, dum generaretur, accepit. Horum ergo capitulorum nihil eiusdem Concilii tempore audieramus, nihil penitus noueramus.

Videntur autem his contraria hæc quæ sequuntur in scripturis beati Leonis papæ, quorum auctoritatem sacris Canonibus confirmatam optime nouit vestra discretio. Dicit enim in sermone paschali: Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumpta est, vt ille habitator, & illa

esset habitaculum; sed vtrumque Deus de potentia susci- ANNO CHRISTI 1148.
pientis, vterque homo de humilitate susceptus. In vtraque igitur natura idem est Dei Filius, & nihil est alterius naturæ, quod non sit vtriusque. Item in nullo diuidentes visibilem ab inuisibili, corporeum ab incorporeo, & Verbum in Christo hominem, & Christum adoremus in Verbo. Infra: Vtrumque fideliter credite, vtrumque fideliter adorate, & in vnitate Verbi & carnis non sit vlla diuisio. Idem in sermone de Natali: Ab illo tempore, quo Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est, cum nihil assumpto diuinum, nihil assumenti deesset humanum: non enim diuinis humana præiudicant, nec humana diuinis: ipse est caro qui Verbum. Idem ad Flauianum episcopum: Sententia est Ioannis apostoli & euangelistæ: Qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est antichristus. Quid autem est soluere Iesum, nisi humanam a Verbo separare naturam?

Augustinus in definitionibus ecclesiasticorum dogmatum: Homousion Patri & homini adoratur ab angelis, & omni creatura, sicut Pater & Spiritus sanctus, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deo, & in homine Deus. Idem de prædestinatione sanctorum: Ille homo vt a Verbo in vnitatem personæ assumptus Filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? Nam & ipsum dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum didicimus in Apostolo. Prædestinata ista naturæ humanæ tanta, tam celsa, & summa subuectio, vt quo attolleretur altius non haberet. Hieronymus in breuiario psalmorum super, *Adorate scabellum* Psal. 98. *pedum eius:* Licet quidem assumptus sit homo, & ad comparationem Dei omnis creatura scabellum pedum eius est; tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, & de sedili suo. Videte quam rem audeam loqui: Ego ita adoro scabellum, sicut & thronum. Ego non intelligo aliud sedentem, & aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quomodo fit, nescio, & tamen credo quod sit. Sufficit mihi scire quod scriptum est quod credo: Fideles dicimur, non rationales.

Contra capitulum quartum, secundum quod præscri-

ANNO CHRISTI 1148. pſimus, ſentit Leo papa ſcribens ad Flauianum epiſcopum ita: *Hoc*, inquit Apoſtolus, *ſentite in vobis*, &c. vſque, *In gloria Patris.* Aſſumpti, non aſſumentis prouectio eſt quod dicitur: *Deus illum exaltat.* Idem ſcientes, quod ſempiterna Filii deitas nullo apud Patrem creuit augmento, prudenter aduertite, quod nec cui dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis*, eidem in Chriſto dicitur: *Sede a dextris meis.* Idem ad Conſtantinopolitanos: Dicant aduerſarii veritatis, quando omnipotens Pater, vel ſecundum quam naturam Filium ſuper vniuerſa prouexit, vel cui ſubſtantiæ cuncta ſubiecit: deitas enim Verbi par in omnibus & conſubſtantialis eſt Patri: ſed minor erat prouehente qui creuit: in natura hominis accepit a Patre, quod in natura deitatis etiam ipſe donauit. Item ad Leonem Auguſtum, & ad Palæſtinos: Exaltationem, qua illum exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. Item: Quidquid ergo accepit, in tempore ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit conferuntur. Forma autem ſerui in gloria diuinæ poteſtatis euecta eſt, nec intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur, vel adoretur. Hieronymus in breuiario ſuper epiſtolam ad Philippenſes: Si ita aſſumptus homo humiliari dignatus eſt, diuinitas, quæ ſe humiliare non poteſt, eum qui humiliatus fuerat merito exaltauit. Sed & illi donatum eſt nomen quod ante non habuit: vnde recte locus hic ſecundum humanam naturam intelligendus eſt. Idem ſuper: *Dixit Dominus Domino meo*; iſtum locum Saluator in euangelio expoſuit, dicens: *Si Chriſtus eſt*, inquit, *filius Dauid, quomodo in ſpiritu vocat eum Dominum?* huic Domino, cui præcipitur vt ſedeat. Deus enim non ſedet, aſſumptione corporis ſedet: huic ergo præcipitur vt ſedeat qui homo eſt, qui aſſumptus eſt. Auguſtinus contra Maximum: *Donauit illi nomen*, &c. homini donauit iſta, non Deo. Ac deinde in qua forma crucifixus eſt, ipſa exaltata eſt, ipſi donatum eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen, homini Chriſto ſecundum carnem mortuo, reſurgenti, aſcendenti, donatur enim nomen quod eſt ſuper omne nomen. De cetero vt epiſtola finem deinceps

Philip. 2. Gen. 3. Pſal. 109. Ibidem. Matth. 22.

fortiatur, si placuerit vestræ discretioni super prioribus capitulis quatuor plenius edoceri, in sermonibus beati Bernardi super Cantica canticorum diligentior de eisdem disputatio continetur. Optamus & oramus, vt bene semper in Domino valeat vestra paternitas. Recommendamus vobis fratres nostros de Fossa noua. De prosperitate vestra & statu ecclesiæ sanctæ certitudinem satis vellemus audire. *Pergit vero.* ANNO CHRISTI 1148.

Appendix ad epistolã. Vix perfecta erat epistola hæc ab eo cui tradita fuerat ad scribendum, & ecce eadem hora voluntas Domini fuit, vt mihi occurreret quod volebam. Ab altero siquidem fratre, priusquam mihi præsens epistola redderetur, scriptura alia diu quæsita iam penitus desperanti mihi exhibita est, quam eisdem capitulis ante annos pene quadraginta ediderat cum ipso symbolo, quod domino papæ & Romanæ ecclesiæ ex parte decem archiepiscoporum, & omnium episcoporum pene qui in illa adhuc die Rhemis *inuincti sunt, cum abbatibus maximis atque plurimis, & magistris scholarum, & subscriptis nominibus singulorum, per superius memoratas personas fuerat præsentatum. Vnde satis exultans, illam quoque scripturam adiiciens huic epistolæ, tamquam carissimo domino meo, vobis vtramque filiali deuotione transmitto. *sitan-ti

Audiui etiam, quod super damnatione Petri Abailardi diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cuius libellos piæ memoriæ dominus Innocentius papa secundus in vrbe Roma, & in ecclesia beati Petri incendio celebri concremauit, apostolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam cardinalis & legatus Romanæ ecclesiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiæ sancti Nicolai de Aruasia, theologiam eius, Suessione Concilium celebrans, similiter concremauerat, ipsum Petrum præsentem arguens, & conuictum de hæretica prauitate condemnans. Vnde vestro si placuerit desiderio, per libellum de vita sancti Bernardi, & per eius epistolas missas ad curiam satisfiet. Inueni tamen in Claraualle libellum cuiusdam abbatis nigrorum monachorum, quo errores eiusdem Petri notantur: quem & olim me vidisse recordor, sed a multis annis, vt

ANNO CHRISTI 1148. custodes librorum asserunt, studiose quæsitus primus quaternio non potuit inueniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium cuius abbas extitit qui eumdem librum composuit: & si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, & mittere vobis. Credo enim quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, vt cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata.

Hactenus Gaufredi epistola ad episcopum cardinalem Albanensem.

[a] CONCILIVM TREVIRENSE IN CAVSA SANCTÆ HILDEGARDIS abbatissæ in monte sancti Ruperti celebratum anno Domini MCXLVIII. tempore Eugenii papæ III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Trithemius in chronico Hirsaugiensi anno millesimo centesimo quinquagesimo, *His temporibus*, ait, *Eugenius papa III. Treuerim venit cum octodecim cardinalibus, episcopis, & abbatibus multis, inuitatus ab Adalberone eiusdem ciuitatis archiepiscopo, qui papam cum ceteris qui aderant omnibus per tres menses in cibo ac potu ex propriis sumptibus copiosissime prouidit. Ibi papa Eugenius ecclesiam monasterii sancti Matthiæ apostoli de nouo reparatam pridie Kalendas Februarii dedicauit. Synodum quoque tam episcoporum quam cardinalium & abbatum ibidem celebrauit, vbi Henricus archiepiscopus Moguntinus, & sanctus abbas Claræuallis Bernardus ipsi summo pontifici mirabilia quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde montis sancti Ruperti confessoris abbatissa retulerunt. Quibus auditis papa attonitus, & rem diligentius inuestigare volens, Virdunensem episcopum Adelbertum cum aliis viris fide dignis misit ad sanctam Hildegardem, vt cum humilitate & mansuetudine, sine strepitu vel curiositate, quid rerum esset ab ipsa sciscitarentur. Qui cum ad monasterium, in quo degebat sancta virgo, deuenissent, & iuxta commissionem apostolicam, veritatem ab ipsa humiliter inquirerent, illa simpliciter quæ de se erant aperuit, & legatos cum scriptis & libris reuelatis sibi diuinitus dimisit. Quibus papa recognitis, volumina sanctæ virginis sibi transmissa coram cardinalibus, archiepiscopis, abbatibus, & omni clero publice recitari præcepit, & per se lectoris officio functus partem non modicam legit, per quæ omnium mentes in stuporem versæ, ac voces in laudem Creatoris omnium excitatæ sunt. Aderat ibi sanctus pater Bernardus, quo mediante summus pontifex cum ceteris monebatur omnibus, ne tam insignem lucernam silentio tegi pateretur, sed gratiã tantam, quam Dominus suo tempore manifestasset,* Acta Concilii.

ipſe ſua auctoritate confirmaret. Ad hæc ſummus pontifex benigno fauore conſentiens, deuotam Chriſti virginem literis ſalutatoriis viſitauit, in quibus ei licentiam auctoritate apoſtolica proferendi & ſcribendi quæcumque per Spiritum ſanctum cognouiſſet glorioſe conceſſit, eamque, vt ſine timore reuelata ſibi conſcriberet, animauit: cuius epiſtolæ tenor fuit: ANNO CHRISTI 1148.

Epiſtola Eugenii ad Hildegardem.

Eugenius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectæ in Domino filiæ Hildegardi præpoſitæ in monte ſancti Ruperti ſalutem & benedictionem apoſtolicam.

MIRAMVR, o filia, & ſupra quam credi poteſt miramur, quia Deus noſtris temporibus iam noua miracula oſtendit, cum te Spiritu ſuo ita perfudit, quod diceris multa ſecreta videre, intelligere & proferre. Hoc a quibuſdam veridicis perſonis ita eſſe percepimus, qui ſe fatentur te vidiſſe & audiuiſſe. Sed quid nos dicere ad iſta valemus, qui clauem ſcientiæ habentes, ita quod claudere & aperire poſſemus, & hoc prudenter facere per ſtultitiam negligimus? Congratulamur autem gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ: & hoc te admonemus, vt ſcias, quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus vero dat gratiam. Gratiam ergo, quæ in te eſt, per humilitatem ſerua & cuſtodi: ita vt ea quæ in ſpiritu proferenda ſenſeris, prudenter proferas, quatenus illud a Domino audias: *Dilata os tuum, & ego implebo illud.* Quod nobis de loco illo, quem tibi in ſpiritu præuidiſti, ſignificaſti, hoc permiſſione & benedictione noſtra & epiſcopi tui fiat, ita quod ibi regulariter cum ſororibus tuis viuas ſecundum regulam ſancti Benedicti, ſub eiuſdem loci clauſura.

Pſal. 80.

Ad hæc virgo Chriſti ſummo pontifici literas reſponſales diuinitus inſpirata remiſit, in quibus eum de arcanis quæ habebat in corde ſuo admonuit, & diuinam circa hæc voluntatem & beneplacitum indicauit. Hæc Trithemius.

Abſoluto Rhemenſi Concilio, cum Eugenius papa Treueris morabatur, adeoque anno 1148. hæc contigiſſe teſtatur Theodorus abbas in vita ſanctæ Hildegardis apud Surium tomo 5. die 17. Septembris: vnde Trithemius hæc verbo tenus fere deſcripſiſſe colligitur.

ANNO CHRISTI 1151.

[a] CONCILIVM FLORIDI IN GALLIA, OB CAVSAM diuortii inter Ludouicum Francorum regem & Eleonoram filiam ducis Aquitaniæ, anno MCLI. sub Eugenio papa III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De hoc episcoporum Conuentu Sugerius abbas sancti Dionysii, qui interfuit, habet ista: *Interea aliqui venerunt ad regem, de cognatione sua progeniti, qui ortum & deriuationem parentelæ suæ nouerant, & dixerunt (sicut & verum erat) quod inter se & Eleonoram vxorem suam erat consanguinitatis affinitas talis, quod inter eos de iure lex matrimonialis non poterat conuenire; & inde per iuramentum probationem legitimam offerebant. Quibus rex sic respondit: Quod contra Deum & contra legem ecclesiæ eam nolebat habere, volens per omnia statuta ecclesiæ, & legem matrimonii inuiolabiliter obseruare. Et vt istius rei veritas posset veracius indagari, die Martis ante festum paschatis Floridi in castro Baugenciaci Hugonem archiepiscopum Rothomagensem . . . . . & quartum Lanfredum Burdigalensem cum pluribus suis coepiscopis & baronibus Franciæ fecit solenniter conuenire. Ante quorum præsentiam steterunt illi qui genus inter regem & reginam se probaturos obtulerant, qui etiam eiusdem generis erant parentes & cognati, & per iuramentum suum dixerunt, quod rex & regina se cognatione contingebant, & quod secundum Deum & legem coniugalem debebat inter eos diuortium celebrari. Quo sufficienter probato in præsentia prælatorum, fuit inter eos per consensum partium matrimonium dissolutum.* Hæc Sugerius.

ANNO CHRISTI 1153.

VITA ANASTASII PAPÆ IV.

ANASTASIVS IV. ciuis Romanus, ex regione Subura, filius Benedicti, antea vocatus Conradus, homo veteranus, & in consuetudine Romanæ curiæ, teste Frisingensi libro 2. de vita Friderici, exercitatus, ex abbate sancti Anastasii Veliternæ diœcesis, & cardinale episcopo Sabino, ad supremum ecclesiæ gradum euectus est anno Domini 1153. VII. Idus Iulii, tempore Friderici I. imperatoris. *Continuator Sigeberti.* Errat ergo Dodechinus in appendice

Anastasius Eugenio surrogatus, qualis & quando.

Marianus Scotus redarguitur.

Mariani Scoti, qui Eugenio Hadrianum succeſſiſſe ſcribit. Eccleſiæ Lateranenſi calicem magni ponderis obtulit: amator & nutritius pauperum, non tantum apud ſanctæ Mariæ Rotundæ templum elegantiſſimas ædes, & magnificentiſſimum palatium extruxit, verum etiam tempore famis, qua tota fere Europa conflictabatur, egenis etiam extra vrbis Romæ mœnia degentibus victum largiſſime ſuppeditauit. Poſtquam vno anno menſibus quatuor & diebus 24. pontificalia munera ſuſtinuiſſet, obiit Romæ IV. Nonas Decembris, & in Laterano ſepultus fuit anno Domini 1554. Eius tempore floruerunt Richardus de ſancto Victore, Gratianus decreti compilator, Petrus Lombardus, & Petrus Comeſtor, duo inſignes theologi. Sanctus Bernardus abbas annorum 63. obiit XIII. Kalendas Septembris anno Chriſti 1153.

Tempus ſedis & obitus Anaſtaſii.

VITA ET EPISTOLÆ HADRIANI PAPÆ IV.

Anno Christi 1154.

Hadrianus qualis, & quando papa electus?

HADRIANVS IV. natione Anglus, Nicolai nomine ante pontificatum appellatus, eccleſiæ cardinalis, Albanenſis epiſcopus, in Noruegiam ab Eugenio miſſus, poſtquam fidem Chriſti ibi propagaſſet, gentemque barbaram conuertiſſet, Romam reuerſus, ex apoſtolo Noruegiæ, vir valde benignus (verba ſunt codicis Vaticani) mitis ac patiens, in Græca & Latina lingua peritus, ſermone facundus, eloquentia politus, in cantu eccleſiaſtico præcipuus, prædicator egregius, ad iraſcendum tardus, ad ignoſcendum velox, hilaris dator, eleemoſynis largus, & in omni morum compoſitione præclarus, tertio Nonas Decembris anno dominicæ incarnationis MCLIV. tempore Friderici imperatoris I. Anaſtaſio in ſede pontificia ſubrogatus fuit. Huius tempore Arnoldi hæreſiarchæ qui, vt ſupra dixi, Romanorum Arnoldiſtarum & ſenatus auctoritate in Vrbe muniebatur, ſectarii dominum Gerardum presbyterum cardinalem tituli ſanctæ Pudentianæ ad pontificem euntem in via aggreſſi ad mortem vulnerarunt. Qua de cauſa ciuitas interdicto ſubiecta, non prius eſt abſoluta, quam Arnoldum eiuſque ſectatores mœnibus

bus & imperio Vrbis eliminarẽt. Quod cum præstitissent, sublata est censura interdicti, ipsique ciues sacramentorum perceptioni restituti fuerunt. Hæresiarcham Arnoldum ab Vrbe relegatum in finibus Tusciæ apud Otriculos, qui eum tamquam prophetam in terra sua omni honore colebant, per Gerardum cardinalẽ sancti Nicolai captum, & a vicecomitibus Campaniæ e manibus eius abreptum, instantia pontificis per Fridericum adhuc regem sumpto de vicecomite vno graui supplicio, aliisque fugatis, pontificiæ iurisdictioni restitutum, tandem Vrbis præfectus a papa in vrbe existente requisitus ligno adegit, ac rogo in puluerem redacto funere, nẽ a stolida plebe corpus eius veneration haberetur, cinerem in Tiberim immisit. Guilielmum Siciliæ regem, qui literas pontificias, ideo quod regis titulo, quem sibi vsurpabat inscriptæ non fuissent, & aliquas ecclesiæ terras occupasset, anathematis vinculo innodauit. Intelligens imperatorem Fridericum multis stipatum copiis in Italiam intrasse, eidem obuiam processit, & Sutrium vsque profectus, cum eodem conueniissent, ipse imperator ex equo descendens, eum debito honore prosecutus est: qui Romam comitatus coronam imperialem accepit. Vrbem Tiburtinorum qui se imperatori dediderant, nulla interiecta mora, quia ecclesiæ esse patrimonium intelligebat, pontifici restituit, ac tum in Germaniam reuersus est. Exinde Beneuentum a primoribus regni vocatus sese contulit, & potissimam partem e manibus Guilielmi recuperauit. Ibi moram trahenti imperatori Græcorum per legatos 50. millia librarum auri pontifici obtulit, addita promissione, se Guilielmum ex Italia abacturum suis stipendiis, interea si tres in Apulia vrbes maritimæ dederentur. Eo nuntio Guilielmus perci- Res gestæ Hadriani.
tus cum pontifice amicitiam componere per sequestros tentauit; omniaque, quæ occupauerat, imo multo plura se redditurum promisit, si titulo regni vtriusque Siciliæ insigniretur, petitioni eius initio statim pontifex detulisset, si cardinalium pars maxima illud non dissuasisset. Sed cum Guilielmus cum valido exercitu Apuliam omnem sibi subiecisset, renitentibus cardinalibus Hadrianus indignatus, omnia vt petierat, ex sententia Guilielmi permisit, titulosque prædictos attribuit. His ita compositis Hadrianus

Oruietum conceſſit, quod Romanorũ pontificum primus ſua habitatione nobilius reddidit. Romam reuerſus cum Friderico imperatore ob non vindicatam iniuriam Londinenſi archiepiſcopo illatam, expoſtulauit per literas, ex quibus male intellectis orta eſt illa inter Hadrianũ & Fridericum de imperio periculoſa diſceptatio, quam Radeuicus prolixe deſcribit. Sedata eſt diſcordia, quando pontifex per ſecundam epiſtolam declararat, ſe per beneficii collationem nihil aliud quam imperialem coronationem eique impartitam conſecrationem intellexiſſe. Reſuſcitata fuit, quando recuſaret pontifex confirmare, quem imperator Rauennatem epiſcopum conſtituerat. Cumque Romæ agens a ciuibus inquietaretur, Anagniam rediit: vbi poſt breue temporis interuallum ex morbo ſquinantiæ, vt ſcribit Guilielmus Tyrius obiit, poſtquam in eo officio pontificali quatuor annis & 10. menſibus laudabiliter ſe geſſiſſet. Eius corpus ad Vrbem delatum, prope ſepulcrum Eugenii conditum eſt. Hæc ſummatim ex codice Vaticano apud Baronium Ottone Friſingenſi & VVilielmo Tyrio, Dodechinus in appendice Mariani, Hadrianus, inquit, imperatorem pro coniugii diſſidio excommunicare diſpoſuerat, ſed mẽſe *Octobris anno 1159. morte præuentus eſt. Otto Friſingenſis, qui his temporibus vixit & ſcripſit, lib. 7. cap. vltimo, Friderici imperatoris octauo anno, qui cum anno Chriſti 1159. coincidit, venerabilem papam obiiſſe refert, anno 1160. Kalendis Septembris, ait Continuator Sigeberti, mortuus eſt Hadrianus papa.

Radeuicus de geſtis Friderici imperatoris lib. 2. cap. 43. Ea tempeſtate, ait, Hadrianus papa in Kalendis Septembris apud Anagniam diem clauſit extremum, & 11. Nonas Septembris in eccleſia beati Petri, præſentibus clero, ſenatu, populoque Romano, honorifice tumulatus eſt, regalibus nuntiis adhuc ibi exiſtentibus. Quare non modo non eſt miraculoſum, vt hæretici calumniantur, ſed reuera plane fabuloſum, & ex morbo ſquinantiæ, quo eum obiiſſe ſcribit Tyrius, male intellecto, haud dubie effectum, quod de obitu Hadriani ex obſcuro quodam & ſchiſmatico auctore Ioanne Cremonenſe ſchiſmaticorum fautor abbas Vrſpergenſis in chronico refert his verbis: Cum veniſſet ad quemdam fontem, hauſit de potu illius, & conti-

Cauſa diſſidii inter Hadrianũ & Fridericum imperatorẽ quæ. Lib. 1. de rebus geſtis Friderici.

Lib. 18. cap. 26.

Fabula Vrſpergenſis de obitu Hadriani refellitur.

* Septembris

nuo (vt dicitur) muſca quædam os eius intrauit, & gutturi eius adhæſit, nulloque artificio medicorum auelli potuit, quoaduſque ſpiritum exhalaret. Mortem tam nouam & inſolentem a ſcriptoribus eius temporis, quos ſupra recenſui, commemoratam non fuiſſe, non eſt probabile, ſi, quod abſit, pontifici maximo talis interitus obtigiſſet. Si iuxta ſententiam Hadriani papæ Fridericum imperatorem flumine abſorptum, eiuſque exercitum miraculoſe a Deo extinctum fuiſſe, nemo ſcriptorum tacuit, vt infra in Alexandro dicemus; quis credat omnes ſcriptores ſimilem obitum Hadriani, ſi contigiſſet, tacituros fuiſſe? Non minor eſt calumnia, qua vterque ſchiſmaticorum fautor ſcribit, Hadrianum accepta pecunia comparatum fuiſſe vt Fridericum excommunicaret, quaſi vero non fuerit ſufficiens cauſa ad condemnandum ſententia anathematis eum, qui legitima vxore repudiata alteram duxerat; ſedique apoſtolicæ ſemel reconciliatus, eas, quas Radeuicus deſcripſit, iniurias iterum in eamdem euomuerat. Illud Hadrianus reliquit poſteris admirandum exemplum, quod nec obolum quidem erogarit in ſuos propinquos; adeo vt nec matri ipſi aliquid voluerit impendiſſe, quam eleemoſynis Cantuarienſis eccleſiæ (teſte Sarisberienſi, epiſtola 24. ad ſanctum Thomam) alendam reliquit.

Redarguitur ſecunda calumnia Vrſpergenſis.

EPISTOLA I.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD HENRICVM II. ANGLIÆ REGEM.

Concedit priuilegium ad Hiberniam occupandam.

Hadrianus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cariſſimo in Chriſto filio illuſtri Anglorum regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LAVDABILITER & fructuoſe de glorioſo nomine propagando in terris, & æternæ felicitatis præmio cumulando in cælis, tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos eccleſiæ terminos, ac declarandam indoctis & rudibus populis Chriſtianæ fidei, veritatem, & vitiorum plantaria de agro dominico extirpanda, ſicut catholicus princeps, intendis, & ad id conuenientius exequendum con-

filium apoſtolicæ ſedis exigis & fauorem. In quo facto, quanto altiori conſilio & maiori diſcretione procedis, tanto in eo feliciorem progreſſum te, præſtante Domino, confidimus habiturum, eo quod ad bonum exitum ſemper & finem ſoleant attingere, quæ de ardore fidei & de religionis amore principium acceperunt. Sane Hiberniam, & omnes inſulas, quibus ſol iuſtitiæ Chriſtus illuxit, & quæ documenta fidei Chriſtianæ ceperunt, ad ius beati Petri, & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ (quod tua & nobilitas recognoſcit) non eſt dubium pertinere. Vnde tanto in eis libentius plantationem fidelem & germen gratum Deo inſerimus, quanto id a nobis interno examine diſtrictius proſpicimus exigendum. Significaſti ſiquidem nobis, fili in Chriſto cariſſime, te Hiberniæ inſulam, ad ſubdendum illum populum legibus & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, & de ſingulis domibus annuam vnius denarii beato Petro velle ſoluere penſionē, & iura eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſeruare. Nos itaque pium & laudabile deſiderium tuum cum fauore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptum habemus, vt pro dilatandis eccleſiæ terminis, pro vitiorum reſtringendo decurſu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inſerendis, pro Chriſtianæ religionis augmento, inſulam illam ingrediaris, & quod ad honorem Dei & ſalutem illius terræ ſpectauerit exequaris: & illius terræ populus honorifice te recipiat, & ſicut dominum veneretur: iure nimirum eccleſiaſtico illibato & integro permanente, & ſalua beato Petro & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ de ſingulis domibus annua vnius denarii penſione. Si ergo quod concepiſti animo effectu duxeris complendum, ſtude gentem illam bonis moribus informare, & agas tam per te, quam per illos quos adhibes, quos fide, verbo, & vita idoneos eſſe perſpexeris, vt decoretur ibi eccleſia, plantetur & creſcat fidei Chriſtianæ religio, & quæ ad honorem Dei, & ſalutem pertinent animarum, per te taliter ordinentur, vt a Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi merearis, & in terris glorioſum nomen valeas in ſæculis obtinere.

EPISTOLA II.
HADRIANI PAPÆ IV.
AD FRIDERICVM IMPERATOREM.

De non vindicata iniuria Lundonienſi archiepiſcopo illata conqueritur.

Hadrianus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Friderico illuſtri Romanorum imperatori ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IMPERATORIÆ maieſtati paucis retroactis diebus recolimus ſcripſiſſe, illud horrendum & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore noſtro commiſſum, in Teutonicis partibus, ſicut credimus, aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam reuocantes non ſine grandi admiratione ferentes, quod abſque digna ſeueritate vindictæ vſque nunc tranſire paſſus ſis tam pernicioſi ſceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noſter E. Lundonienſis archiepiſcopus, dum a ſede apoſtolica remearet, a quibuſdam impiis & ſceleſtis, quod ſine grandi animi mœrore non dicimus, in partibus illis captus fuerit, & adhuc in cuſtodia teneatur. Qualiter etiam in ipſa captione prædicta viri impietatis, ſemen nequam, filii ſcelerati, in eum & in ſuos euaginatis gladiis violenter exarſerint, & eos ablatis omnibus quam turpiter atque inhoneſte tractauerint, & tua ſereniſſima celſitudo cognoſcit, atque ad longinquas, & remotiſſimas regiones fama tanti ſceleris iam peruenit. Ad cuius vtique vehementiſſimi facinoris vltionem, ſicut is cui bona placere, mala vero diſplicere credimus, conſtantius exurgere debuiſti, & gladium qui tibi ad vindictam maledictorum, laudem vero bonorum eſt ex diuina prouiſione conceſſus, in ceruicem deſæuire oportuit impiorum, & grauiſſime conterere præſumptores. Tu vero idipſum ita diſſimulaſſe diceris, ſæuitiam neglexiſſe, quod eoſdem non eſt quare pœniteat commiſiſſe reatum: quia impunitatem ſacrilegii quod geſſerunt iamiam ſentiunt inueniſſe. Cuius quidem diſſimulationis & negligentiæ cauſam penitus ignoramus, quoniam nos in aliquo ſerenitatis tuæ gloriam

offendisse, conscientiæ scrupulus nostrum animum non accusat, sed personam tuam sicut carissimi & specialis filii nostri & principis Christianissimi, quem in apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus caritate, & debitæ tractauimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter & quam iucunde alio anno mater tua sacrosancta Romana ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter imperialis insigne coronæ libentissime conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere; nihil prorsus efficiens quod regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obuiare. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse, sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta ecclesiæ Dei & nobis per te incrementa possint & commoda prouenire, non immerito gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus, quod in contumeliam vniuersalis ecclesiæ & imperii tui noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris, suspicamur vtique, ac veremur, ne forte in hanc dissimulationem & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione peruersi hominis zizania seminantis aduersus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam & nosipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis vel rancorem. Ob hoc igitur, & ob alia omnia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus & carioribus, quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum sancti Clementis presbyterum, Rolandum sancti Marci presbyterum cardinalem, & cancellarium nostrum, viros vtique religione, prudentia & honestate conspicuos, serenitati tuæ de latere nostro ad præsens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius; quatenus eos tam honorifice, quam benigne recipias, honeste tractes, & ea quæ ipsi super hoc & super aliis ad honorem Dei & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, ad decus etiam & exaltationem imperii pertinentia, ex parte nostra imperatoriæ proposuerint

dignitati, ſicut ab ore noſtro procedant, abſque vlla hæſitatione ſuſcipias, & ipſorum verbis, tamquam ſi ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

EPISTOLA III.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Petit Fridericum corrigi, & ad reſtitutionem honoris induci.

QVOTIES aliquid in eccleſia contra honorem Dei & ſalutem fidelium attentatur, fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, & eorum præcipue qui ſpiritu Dei aguntur, cura debet exiſtere, vt ea, quæ male geſta ſunt, gratam Deo correctionem debeant inuenire. Hoc autem tempore (quod abſque nimio mœrore non dicimus) cariſſimus filius noſter Fridericus Romanorum imperator tale quid egit, quale temporibus anteceſſorum ſuorum non legimus perpetratum. Cum enim nos duos de melioribus fratribus noſtris, Bernardum tituli ſancti Clementis, & Rolandum cancellarium noſtrum tituli ſancti Marci, presbyteros cardinales, ad ipſius præſentiam miſiſſemus, ipſe, cum primum ad eius præſentiam peruenerunt, alacriter viſus eſt eos recepiſſe. Sequenti vero die, cum redirent ad eum, & literæ noſtræ in eius auribus legerentur, accepta occaſione cuiuſdam verbi, quod ipſarum literarum ſeries continebat, (inſigne videlicet coronæ beneficium tibi contulimus) in tantam animi commotionem exarſit, vt conuicia, quæ in nos & legatos noſtros dicitur conieciſſe, & quam inhoneſte ipſos a præſentia ſua recedere, ac de terra ſua velociter exire compulerit, & audire opprobrium, & lamentabile ſit referre. Eis autem ab ipſius præſentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno veſtro ad apoſtolicam ſedem accedat, per omnes fines eiuſdem regni cuſtodes dicitur poſuiſſe, qui eos, qui ad ſedem apoſtolicam venire voluerint, violenter debeant reuocare. Super quo facto licet aliquantum perturbemur; ex hoc tamen in nobiſipſis maiorem conſolationem accipimus, quod ad id de veſtro & principum conſilio non

proceſſit. Vnde confidimus eum a ſui animi motu, conſilio & perſuaſione veſtra facile reuocandum. Quocirca, fratres, quoniam in hoc facto non ſolum noſtra, ſed veſtra & omnium eccleſiarum res agi dignoſcitur, caritatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, quatenus opponatis vos murum pro domo Domini, & præfatum filium noſtrum ad viam rectam quam citius reducere ſtudeatis, attentiſſimam ſolicitudinem adhibentes, vt a Reinaldo cancellario ſuo, & palatino comite, qui magnas blaſphemias in præfatos legatos noſtros, & matrem veſtram ſacroſanctam Romanam eccleſiam euomere præſumpſerunt, talem & tam euidentem ſatisfactionem faciat exhiberi: vt ſicut multorum aures amaritudo ſermonis eorum offendit, ita etiam ſatisfactio multos ad viam rectam debeat reuocare.

Non acquieſcat idem filius noſter conſiliis iniquorum, conſideret nouiſſima & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Iuſtinianus & alii catholici imperatores inceſſiſſe noſcuntur. Exemplo ſiquidem & imitatione illorum, & honorem in terris, & felicitatem in cælis ſibi poterit cumulare. Vos etiam, ſi eum ad rectam ſemitam reduxeritis, & beato Petro apoſtolorum principi gratum dependetis obſequium, & vobis & eccleſiis veſtris conſeruabitis libertatem. Alioquin nouerit antedictus filius noſter ex admonitione veſtra, nouerit ex promiſſionis euangelicæ veritate, quod ſacroſancta Romana eccleſia ſuper firmiſſimam petram, Deo collocante, fundata, quantocumque ventorum turbine quatiatur, in ſua firmitate, protegente Domino, in ſæculum ſæculi permanebit. Nec autem (ſicut noſtis) decere eum tam arduam viam abſque veſtro conſilio attentaſſe. Vnde credimus, quod auditis admonitionibus veſtris, facillime poterit ad frugem ſanioris ſtudii ſicut vir diſcretus & imperator catholicus reuocari.

EPISTO-

EPISTOLA IV.
HADRIANI PAPÆ IV.
AD FRIDERICVM IMPERATOREM.

Hadrianus episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Friderico, &c.

EX quo vniuersalis ecclesiæ curam, Deo prout ipsi placuit disponente, susceпimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro & veneratione sedis apostolicæ debuisset accendi. Vnde sine grandi admiratione non ferimus, quod cum audito ex suggestione quorumdam, animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus & maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tituli sancti Marci, & Bernardum tituli sancti Clementis presbyteros cardinales, qui pro tuæ maiestatis honore in Romana ecclesia soliciti semper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præsentiam destinauimus: aliter quam imperialem decuerit honorificentiam sunt tractati. Occasione siquidem cuiusdam verbi, quod est, beneficium, tuus animus (sicut dicitur) est commotus; quod vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum merito commouisset: licet enim hoc nomen, quod est, beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nosipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium, apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in vniuerso sacræ scripturæ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Dei, non tamquam ex feudo, sed velut ex benedictione & bono facto ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene & honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde quod quidam verbum hoc, & illud scilicet (contulimus tibi insigne

imperialis coronæ) a ſenſu ſuo niſi ſunt ad alium retorquere, non ex merito cauſæ, ſed de voluntate propria & illorum ſuggeſtione, qui pacem regni & eccleſiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, contulimus, nihil aliud intelleximus, niſi quod ſuperius dictum eſt, impoſuimus. Sane quod poſtmodum perſonas eccleſiaſticas a debita ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ viſitatione, vt dicitur, reuocare iuſſiſti, ſi ita eſt, quam inconuenienter actum ſit, tua, fili in Chriſto cariſſime, diſcretio, vt credimus, recognoſcit. Nam ſi aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum; & nos honori tuo curauiſſemus ſicut filii cariſſimi prouidere. Nunc igitur, quoniam ad commonitionem dilecti filii noſtri Henrici Baioariæ & Saxoniæ ducis, duos de fratribus noſtris, Henricum tituli ſanctorum Nerei & Achillei, & Hyacinthum ſanctæ Mariæ in Coſmedin, diaconos cardinales, prudenter ſiquidem & honeſtos viros, ad tuam præſentiam deſtinauimus, celſitudinem tuam monentes & hortantes in Domino, quatenus eos honeſte & benigne recipias; & quod ab eis ex parte noſtra tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, a ſinceritate cordis noſtri nouerit tua excellentia proceſſiſſe. Ac per hoc cum eiſdem filiis noſtris, mediante iam dicto filio noſtro duce, ita celſitudo tua ſtudeat conuenire, vt inter te ac matrem tuam ſacroſanctam Romanam eccleſiam nullius diſcordiæ ſeminarium debeat remanere.

RESCRIPTVM IMPERATORIS FRIDERICI AD HADRIANVM PAPAM.

Pro confirmatione electi Rauennenſis.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, & ſemper Auguſtus, Hadriano Romanæ eccleſiæ venerabili pontifici.

DILECTO & fideli noſtro Anſelmo bonæ memoriæ Rauennenſis eccleſiæ venerabili epiſcopo defuncto, ne curia noſtra diutius tanto careret principe, operam dare curauimus loco eius talem ſubrogari perſonam, quæ

pro tempore ad reſarcienda eccleſiæ illius damna, & ad noſtrum peragendum ſeruitium apta videretur. Ante omnia autem præ oculis mentis habentes, & aure non ſurda audientes, quod ſcriptum eſt, *Honore inuicem præue-* Rom. 12.
nientes; filium comitis Blanderatenſis, quem vos in clericum Romanæ eccleſiæ & filium noſtra petitione aſſumpſiſſe recordati ſumus, viciſſim ad honorem veſtrum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ altius ſublimari intendimus; in ea præſertim eccleſia, quam poſt ſanctam Romanam eccleſiam, aut maximam, aut vnam de maximis habemus: noſtræque voluntatis propoſito, diuina fauente clementia, in electione illius perſonæ concorditer & voluntarie vniuerſa Rauennas conuenit eccleſia, præſentibus viris honeſtiſſimis legato noſtro & veſtro, hinc Hyacintho cardinali, inde Hermanno Ferdenſi epiſcopo. Scientia autem & moribus in perſonam præfati electi vna cum genere conuenientibus, propter reuerendum veſtræ paternitatis teſtimonium commendabilior & acceptior eadem perſona nobis iam facta eſt, quam vtique etiam diligi a vobis & honorari gaudemus & volumus, ea tamen ratione & ordine, qua patres filios ſuos ſolent diligere, quos ſuo tempore & manumittunt, & domui ſuæ prouidere permittunt. Et quidem decentiſſimum eſt ſanctam Romanam eccleſiam, tamquam matrem omnium eccleſiarum, filios, qui ſunt fructus ventris, aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei & per domos & familias diſtribuere, quibus etiam noſtrum imperium, tanquam ab vtero & gremio matris noſtræ progredientibus, debeat & velit congruum honorem impendere. Proinde altiori conſideratione veſtra perpendat diſcretio, quid in hac cauſa tam veſtræ quam noſtræ maieſtati & honeſtati conueniat.

EPISTOLA V.
HADRIANI PAPÆ IV.
AD EVMDEM.

Respondet superiori: & Guidoni Rauennati archiepiscopo confirmationem denegat.

Hadrianus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Friderico illustri Romanorum imperatori salutem & apostolicam benedictionem.

QVALITER superni Conditoris intuitu, & tam excellentiæ tuæ, quam dilecti filii nostri Guidonis Blanderatensis comitis interuentu, dilectum filium Guidonem subdiaconum nostrum, eiusdem comitis filium, olim in familiaritatem & in nostrum consortium receperimus; qualiter etiam intuitu probitatis eiusdem, atque pro honore & vtilitate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, tamquam si in diaconum iam fuerit ordinatus, ecclesiam ei specialiter assignauerimus: & nos profecto memores, * & a serenitatis tuæ memoria non credimus excidisse. Nunc autem honestatem ipsius considerantes, & profectum scientiæ, si ei vita comes fuerit, attendentes; intelligentes etiam quanta per eum, ac per nobiles & potentes parentes ipsius, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ adhuc potuerint commoda prouenire, & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana ecclesia ipse valeat, vita generi concordante, conscendere, cum a sede apostolica in subdiaconatus officium sic promotus, & ei tamquam si iam diaconus esset (sicut superius dictum est) a nobis sit ecclesia specialiter assignata: communicato fratrum nostrorum consilio, a nostro latere tam preciosum pignus, iuxta petitionem excellentiæ tuæ, non potuimus remouere, sed ipsum opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana ecclesia ad honorem eiusdem ecclesiæ & imperii intendimus ordinare, vt vel in ea, prout diuina gratia proposuerit, quandoque ad sublimiora conscendat, vel exinde ad alterius ecclesiasticæ fastigium dignitatis ipsum contingat, auxiliante Domino, peruenire. Conuenientius siquidem est, vt qui filius & clericus est Romanæ ecclesiæ, ab eius gremio non recedat; & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, ei-

* fauus.

dem inde prouideat altiora. Ipſa etenim viros & moribus & ſcientia adornatos, prædítos honeſtate, & ſanguinis nobilitate præclaros ad ſe libenter euocat, & eos aliunde conſueuit admittere, non ſe talibus, cum ipſos in gremio ſuo habeat, facile honore ſpoliare. Quia igitur hoc decentius eſſe conſpicimus, & honorabilius exiſtere arbitramur, confidentes etiam imperatoriæ maieſtati hoc potius debere placere, & gratum atque acceptum eſſe: poſtulationem tuam in hac parte non duximus admittendam, credentes atque ſperantes, quod ex quo noſtram ſuper hoc cognoueris voluntatem, tu ipſe noſtram intentionem & propoſitum commendabis.

EPISTOLA VI.
HADRIANI PAPÆ IV.
AD EVMDEM.

De duplici iniuria ſedi apoſtolicæ per ipſum illata.

Hadrianus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Friderico Romano imperatori ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LEX diuina ſicut parentes honorantibus longæuitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur*. Quapropter, dilecte in Domino fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur, quod beato Petro & ſanctæ Romanæ eccleſiæ non quantam deberes exhibere reuerentiam videris. In literis enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis; in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis a te promiſſa & iurata; quomodo eam obſerues, cum ab iis qui dii ſunt & filii Excelſi omnes, epiſcopis videlicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis, & manifeſte factus nobis contrarius, cardinalibus a latere noſtro directis non ſolum eccleſias, ſed & ciuitates regni tui claudis? Reſipiſce ergo, reſipiſce, tibi conſulimus. Quia cum a nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas nobilitati tuæ timemus.

Exod. 20.

Matth. 10.

EPISTOLA VII.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD BASILIVM ARCHIEPISCOPVM THESSALONICENSEM.

Pro Græcorum concordia.

Hadrianus episcopus seruus seruorum Dei venerando fratri Thessalonicensium archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

EX quo per inuidiam hostis antiqui Constantinopolitana sedes a sacrosancta Romana & apostolica (quod sine lacrymarum inundatione vix famur) ecclesia seipsam separauit, & hominis inimicus proprium malitiæ venenum effudit, & a matris obedientia liberi secesserunt, vnitatisque locum binarius subiit, laborem multum & studium, qui nos præcesserunt beati Petri successores, adhibuerunt, vt schisma de medio tolleretur, & vnitati ecclesiæ qui se ab ea separarunt redderentur. Quamobrem & nos, qui hoc tempore apostolicæ sedis curam suscepimus, vt Deo placet, pro omnibus ecclesiis, quæ sunt intra terrarum orbem constitutæ, quamuis beati Petri virtutibus par nihil habeamus, ministerio tamen fungi cogimur. Ad id credidimus attendendum, ne connumeremur (quod absit) iis quos per prophetam Dominus reprehendit, dicens: *Quod eiectum est non introduxistis, quod infirmum non sanauistis, & quod periit non quæsiuistis, & quod confractum non obligastis.* Ideoque ad introductionem liberorum in locum ecclesiæ & vnitatis, inuentionemque amissæ drachmæ properemus, & apostolico præcepto incitati in eos qui doctrinæ sermones aspernantur, vt persuasum habeamus, moderari, & fidelium admonitionem tempestiue intempestiue factam: & illius exemplo edocti, qui erat gloriæ Dominus, & omnia in sua potestate habens inclinare fecit cælos, & descendit, acceptaque serui forma seipsum exinaniuit, vt ouis amisso suo gregi restitueretur. Vnde, frater in Christo, dilectionem tuam his literis admonemus, vt hanc rem diligenter cures. Nam vna sola est ecclesia, & vna sola sanctificationis arca, in

Ezech. 34.

Locus corruptus.

quam vnumquemque fidelium e diluuio seruari oportet: & circa vnionem eius modis omnibus labores: tuaque cogitet prudentia, vt ecclesia Dei non possit diuisa consistere, vt omnem animam viuentem e præsentis diluuii procellis intra vnam arcam ecclesiæ congregari oporteat ad beatum Petrum omnium fidelium gubernatorem.

Traditum est quonam modo sancti patres, diuino Spiritu illuminati, omnium ecclesiarum primatum sacrosanctam Romanam ecclesiam absolute obtinere iusserint, & ad eius sententiam omnium iudicium referri præscripserint; & ad tollendam de medio diuisionem, ad vnionem ecclesiæ, ad coniunctionem diuisi parietis, propter Dei dilectionem, propter animæ salutem, & propter fruitionem gloriæ, quæ non marcescit, vigilanter aduerte. Primum apud te ipsum, deinde in aliis, quatenus diuina gratia largitur; da operam, vt grex cum ecclesia vniatur, & qui seipsos dominicas oues confitentur, ad gregem beati Petri reuertantur, qui Domini iussu eorum curam suscepit. Nos quidem in hoc non temporariam laudem spectamus, non prætereuntem gloriam quærimus, qui pascendi suscepimus officium (seruos nos omnium Dei seruorum confitemur) sed cum Dominum & magistrum nostrum, vt vnum mortuum resuscitaret in corpore, profectum fuisse, & lacrymatum legimus ad sepulcrum, & dixisse, *Lazare, exi foras*, iudicamus indignum, si Domini retineamus talentum, & quos possumus in anima resuscitare negligamus. Quod superest, dilectos filios nostros Balduinum & Balditzioninum præsentes tabellarios ad dilectissimum filium nostrum Emmanuelem imperatorem Constantinopolitanum, a religioso cœtu missos, dilectioni tuæ studiose commendamus: rogantes vt per dilectionem Dei, beatique Petri, & sedis apostolicæ, & pietatis cultum, aspectu gratioso in eorum necessitatibus consolationem adhibeas. De tua valetudine cupimus per literas fieri certiores. *Ioan. 11.*

EPISTOLA VIII.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD VVILIELMVM REGEM SICILIÆ.

De titulo regni, aliisque priuilegiis ab eo per vim & metum extortis.

Hadrianus episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo Filio Vvilielmo illustri & glorioso Siciliæ regi, eiusque heredibus, quos pro voluntaria ordinatione sua statuerit in regnum in perpetuum.

LICET ex iniuncto nobis a Deo apostolatus officio vniuersos Christi fideles paternæ caritatis brachiis debeamus amplecti, atque ad pacem eos & concordiam inuitare, reges tamen & sublimiores quasque personas tanto amplius diligere & honorare debemus, atque de bono pacis eos tanto studiosius commonere, quanto ecclesiæ Dei & fidelibus Christianis maior inde fructus spiritualiter ac temporaliter dignoscitur prouenire. Constat, carissime in Christo fili Vvilielme, glorioſe Siciliæ rex, te inter reges & celsiores personas sæculi eximiis operibus, potentia opibusque clarere; ita vt ex vigore iustitiæ, quam in terra sub tua ditione constituta conseruas, ex securitate pacis, qua omnes per eamdem constituti lætantur, & ex terrore quem inimicis Christiani nominis per opera magnifica incussisti, vsque ad extremos angulos fama tui nominis & gloria protendatur. Quod siquidem nos, dilectissime in Christo fili Vvilielme eximie, diligentius attendentes, & inspicientes pariter quantæ vtilitates Romanæ ecclesiæ valeant prouenire, si celsitudo tua per firmam pacem ei & concordiam coniungatur; dum in ciuitate Beneuentana securi & liberi cum fratribus nostris essemus, ad pacem tecum habendam diligenti studio decreuimus intendere. Misimus ergo ad excellentiam tuam quosdam fratrum nostrorum, scilicet vt supra, & proposuimus per eos nostrum de bono pacis & concordiæ desiderium: & inuitauimus attentius, & monuimus excellentiam tuam ad pacem. Et illius

illius inſpirante virtute, qui ad cælum iturus diſcipulis ſuis ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis:* Ioan. 14. talem animum tuum inuenimus, qualem filii pacis & catholici principis decuit inueniri. Et mediantibus præfatis filiis noſtris, *&c.* vt ſupra, in hanc formam pacis libera & ſpontanea voluntate noſtra deuenimus, vt videlicet de capitulis illis, de quibus inter nos & excellentiam tuam controuerſia eſt, per omnia, *&c.* Vt autem quæ ſupra diximus tam noſtro, quam ſucceſſorum noſtrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec tuis, nec tuorum heredum temporibus alicuius valeant præſumptione turbari; nos ea de communi conſilio, & voluntate fratrum noſtrorum auctoritate apoſtolica confirmamus, & valitura in perpetuum præſentis ſcripti pagina communimus, & tam a nobis, quam a noſtris ſucceſſoribus perpetuis temporibus ſtatuimus obſeruanda.

Nulli ergo omnino liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare voluerit, omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius indignationem incurrat. Amen, Amen, Amen.

Datum anno dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto, menſe Iunii, quartæ indictionis.

EPISTOLA IX.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD RECTORES ROMANÆ FRATERNITATIS.

Arnaldus hæreſiarcha Eugenii III. tempore, præter alia execranda quæ aduerſus Romanam eccleſiam præſumpſerat, clericos cardinalibus ſubditos ab iis diuellere laborauit: ad eiuſmodi ergo inuentum diabolicum, quod inualuerat, auferendum, decernit Hadrianus papa vt capellani promittant obedientiam rectoribus titulorum.

Hadrianus quartus, rectoribus Romanæ fraternitatis.

AD audientiam noſtram peruenit, quod clerici ſancti Petri ad Vincula in quadam capella ſua, eccleſia videlicet ſanctæ Mariæ in Candiatore, quia eiuſdem ec-

cleſiæ populus manum obedientiæ iam dictæ eccleſiæ presbytero, illi videlicet ſancti Petri exhiberi contradicit, diuina prohibuerunt officia celebrari. Quia igitur ſuſtinere non poſſumus nec debemus, vt eccleſia ſancti Petri Ad vincula ſuo iure debeat defraudari, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus prædictum populum diſtricte commoneatis, vt a contradictione illa penitus de cetero ceſſet, & quod eccleſia ſancti Petri habet in ceteris ſuis capellis, in iſta ei ſubtrahere non præſumat. Et niſi ab huiuſmodi leuitate ceſſauerit, interdictum volumus relaxari, vt in prædicta eccleſia ſanctæ Mariæ officia diuina liceat celebrari. Alioquin pœnam, quam in officiis patiuntur, eos decernimus ſuſtinere. Datum Beneuenti XV. Kalendas Aprilis.

VITA ET EPISTOLÆ ALEXANDRI PAPÆ III.

Anno Christi 1159.

Alexander III. quis, qualis & quando papa factus.

ALEXANDER tertius, Rolandus antea nominatus, patria Senenſis, legatione ad Fridericum imperatorem ob non vindicatam iniuriam Londinenſi epiſcopo illatam functus, ex cardinale presbytero tituli ſancti Marci a viginti tribus cardinalibus (quorum nomina recenſentur in epiſtola ad Fridericum imperatorem, quam recitat Radeuicus lib. 2. cap. 53.) electus eſt pontifex anno Domini 1159. tempore Friderici imperatoris. Contra eum in ſchiſmate a tribus dumtaxat cardinalibus electus eſt Octauianus quidam, natione Romanus, cardinalis presbyter, Victor tertius deinceps appellatus. Imperator, qui tunc Cremonam obſidione premebat, ab vtraque parte per literas, quæ recitantur apud Radeuicum lib. 2. hac de re certior factus, vtrumque Papiam venire iuſſit, eorum diſſidia componenda ibidem promittens. Cui ordinationi cum Alexander parere nollet, indignatus Fridericus, in partes Victoris factus eſt inclinatior. Alexander autem tali accepto reſponſo in Franciam abiit, vbi Concilio in Claromonte habito Fridericum & Victorem excommunicauit. Interim Fridericus Mediolanum tertio expugnatum di-

Victor Antipapa a ſchiſmaticis contra eum eligitur.

Victori imperator pontificatū adiudicat.

ruit & solo æquauit, tria Magorum corpora Reinoldo Colonienſi archiepiſcopo donauit: & qui eadem Coloniam tranſtulit, vt videre eſt in epiſtola eiuſdem ex antiquiſſimo manuſcripto codice Sigebergenſis monaſterii accepta, quam hic ſubiungo:

Reinoldus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ electus, & Italiæ archicancellarius, dilectißimis in Chriſto filiis & amicis, H. maioris eccleſiæ Colonienſis præpoſito, Philippo decano, cunctiſque prioribus, & vniuerſo clero, omnibuſque in beneficiatis & miniſterialibus beati Petri ac ſanctæ Colonienſis eccleſiæ, vniuerſiſque Burgenſibus almæ vrbis Coloniæ, ſalutem & affectuoſum obſequium, cum intimæ dilectionis plenitudine.

INSINVAMVS dilectiſſimæ veſtræ vniuerſitati quod ex.... ardentiſſimi noſtri deſiderii felix iam per Dei gratiam adepti ſumus initium. Benigna enim domini noſtri ſereniſſimi imperatoris Friderici accepta licentia, cum gratia ac dilectionis eius plenitudine ab ipſo gaudenter dimiſſi, & egregiis ac tantis donis, quorum nulla in terrenis eſſe poteſt æſtimatio, excellenter ſumus honorati: inter cetera enim liberalitatis ſuæ beneficia, quæ in nos affluentiſſime contulit, nunc tria nobis munera donauit precioſiſſima; videlicet corpora inſignia beatiſſimorum trium Magorum ac Regum, qui primitiæ gentium, in typum ac præſagium futuræ ex gentibus eccleſiæ, iacenti adhuc Chriſto in præſepi munera precioſa obtulerunt, quorum videlicet nobiliſſima corpora, omnique veneratione digniſſima, Mediolani in eccleſia beati Euſtorgii confeſſoris atque pontificis ſolenniter ac glorioſe fuere recondita. Inſuper etiam Deo præduce ad vos perferimus corpora ſanctiſſimorum martyrum Naboris & Felicis, vt inæſtimabili & incomparabili hoc theſauro ſuper aurum omnemque lapidem precioſum diligenda ſacratiſſima eccleſia ciuitaſque Colonienſis feliciſſime ditetur ac perpetualiter decoretur. Nos ſiquidem, quia ſuſpecta eſt nobis via per inimicos veſtros ac noſtros, iter noſtrum per Burgundiam ac Gallias vſque ad vos diſpoſuimus, præſentemque nuntium a Vercellenſi ciuitate 11. Idus Iunii præmiſimus ea die verſus Taurinum & verſus Alpes montis Ciniſii, cum prædi-

ctis ſacratiſſimis ac venerabilibus reliquiis celerrime procedentes: ideoque ſinceriſſimam veſtram dilectionem intime rogamus & commonemus in Domino, quatenus ad condignam tantorum munerum ſuſceptionem ea qua noſtis, & qua de vobis confidimus deuotione ac ſolennitate præparemini: Dominum Deum quoque affectuoſiſſime pro nobis ſine intermiſſione deprecemur, vt vna cum ipſis ad honorem ac gloriam nominis ſui, & ad perpetuam omnium veſtrum ac totius patriæ ſalutem ſaluos, incolumes & illæſos nos vobis dignetur remittere.

Eadem confirmantur ex quodam inſtrumento donationis per Philippum archiepiſcopum Reinoldi ſucceſſorem capitulo factæ, quod ex archiuo metropolis eccleſiæ Colonienſis fideliter per me deſcriptum hic ſubiungo:

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Philippus ..... *Colonienſis archiepiſcopus ſanctæ eccleſiæ filiis præſentibus & futuris in perpetuum.*

* forte Dei gratia

EA quæ propter ſalutem animarum deuotarum ſancte in eccleſias conferuntur, quanto maiorem a Deo expectant remunerationem, tanto magis eſt dignum vt iuſtæ confirmationis firmum robur accipiant. Ex relatu plurium intelleximus, quod noſter anteceſſor piæ recordationis Reinoldus archiepiſcopus, eleemoſynas, quæ ad ſancta Regum corpora offeruntur, ſicut & ipſos Reges maiori eccleſiæ in Colonia contulerit, laudabili conſideratione motus, vt vbi ſanctiſſimi Reges corporaliter quieſcerent, & in maiori haberentur veneratione, ibi de oblationibus eorum iuſta & benigna conſolatio ad canonicos peueniret: nos factum prænominati archiepiſcopi commendamus, & habemus ratum, & qua poſſumus & debemus confirmamus auctoritate. Ne vero in poſterum hoc quod iuſte factum eſt mutari queat, idipſum, quod nos videbamur habere in oblationibus Regum, coram multis ſuper altare beati Petri eccleſiæ maiori dedimus: fratribus eiuſdem concedentes liberam poteſtatem ordinandi de ipſis eleemoſynis ad ſupplementum præbendarum ſuarum, prout poterimus diligentius & melius. Poſt ſolennem donationem a nobis factam, ſicut iuſtum fuit, factum noſtrum banno confirmamus; vt ſi quis in poſterum auſu te-

merario in contrarium moueretur, banno se sciret obligatum esse, & subiectum maledicto excommunicationis. Iussimus etiam hanc chartam conscribi, & nostro muniri sigillo, vt ex scripti inspectione, ea quæ iuste sunt facta, & fideliter expressa, ad posterorum notitiam transmitterentur.

Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MCLXXXIX. Testes istorum sunt isti ..... maior præpositus & archidiaconus. Adolphus decanus maior & archidiaconus, *&c.* Bruno.

Franciæ regem monuit imperator vt ad Concilium per se indictum venire dignaretur, secumque Alexandrum adduceret. Quod cum Alexander iterum facere recusaret, Fridericum magis ac magis ira inflammatum in se commouit. Proinde Victorem in Italiam mox subsecuturus præmittit, eoque Lucæ defuncto, Guidonem Cremensem antipapam successorem substituit. Alexander omnium consensu Romam vocatus, ab omnibus summa cum lætitia recipitur. Eodem tempore cisalpinæ Galliæ populi in imperatorem arma corripiunt: qui proinde in Italiam denuo reuertitur. Dumque hæc agerentur, Constantinopolitanus imperator omnem opem & auxilia per legatos obtulit pontifici, si imperium annis superioribus diuisum vicissim vnire dignaretur. In Anglia pro immunitate ecclesiæ martyrii coronam subiit Thomas Cantuarienſis episcopus. Thomæ Cantuarienſis episcopi martyrium. Regem Angliæ de occiso martyre innocente diffamatum legati Angliæ pontificem conuenientes a nece sancti martyris immunem esse allegarunt. Post multam inquisitionem ad extremum his conditionibus regem absoluit, vt is a pontifice & successoribus eius titulum regni agnosceret. Sanctum vero Thomam, euidentissimis miraculis clarissimum, in numerum sanctorum retulit. Cumque pontifex in dies grauius ab imperatore vexaretur & inquietaretur, Venetias se contulit, ibique imperatorem, ad oscula pedum pontificiorum se demittentem, nullius arrogantioris dicti factique asperioris interuentu, citra capitis imperatorii pedibus protriti conculcationem, (quam humillimo pontifici iniurioſe affingunt hæretici) in gratiam, pacem & vnionem ecclesiæ recepit. Eum honorem quem Constantinus Magnus ille imperator longe potentior & sanctior Silueſtro Christi vicario

exhibuit, quemque alii Francorum & Anglorum reges huic aliisve pontificibus detulerunt; nimirum vt pontifici ab officio stratoris essent, Fridericus imperator merito pontifici optimo exhibuit: adeoque non immerito pontifex eumdem exemplo antecessorum suorum acceptauit. Vt vero caput imperatoris ad pedes suos dimissi obtriuerit, simulque dixerit, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.* sicut ab humilitate pontificis, ita ab omni fide plane est alienum, vt ex iis, quæ infra in Concilio Venetico dicam, planum fiet. Post pacem initam, Venetiasque multis priuilegiis donatas, pontifex Romam veniens magno omnium gaudio susceptus fuit. Cumque œcumenicum Lateranense Concilium pro schismatibus extirpandis, Saracenis impugnandis, moribusque ecclesiæ reformandis, celebrasset, obiit anno Domini 1185. cum sedi apostolicæ annis viginti & vno atque diebus nouemdecim præfuisset.

Psal. 90.

Obitus Alexandri papæ.

EPISTOLA I.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GERARDVM EPISCOPVM ET CANONICOS BONONIENSES.

De legitima sui electione.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Gerardo episcopo, & dilectis filiis canonicis Bononiensis ecclesiæ, & legis doctoribus, ceterisque magistris Bononiæ commorantibus, salutem & apostolicam benedictionem.

ÆTERNA & incommutabilis prouidentia Conditoris sanctam & immaculatam ecclesiam a suæ fundationis exordio ea ratione voluit & ordine gubernari, vt vnus ei pastor & institutor existeret, cui vniuersi ecclesiarum prælati absque repugnantia subiacerent, & membra tamquam suo capiti cohærentia ei se mirabili quadam vnitate coniungerent, & ab ipso nullatenus dissiderent. Qui vero apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, ille procul dubio ecclesiam suam, cuius ipsi apostoli magisterium assumpserunt, sua promis-

Matth. 28.

sione fraudari nullo modo patietur, sed eam in suo statu & ordine, licet adinstar nauiculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuo faciet permanere. Vnde & quamuis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint satanæ, inconsutilem Christi tunicam, quam vtique ipse quidem ex persona Psalmographi a leonibus petit & a framea erui, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent: Christus tamen auctor & caput ecclesiæ, eam velut vnicam sponsam suam prouida gubernatione tuetur, & nauem egregii piscatoris, licet sæpius quatiatur a fluctibus, non permittit naufragium sustinere. Porro cum anteceſſor noster bonæ memoriæ Hadrianus papa Kalendis Septembris Anagniæ debitum naturæ soluisset, & de terris ad cælum, de imis migrasset Domino vocante ad superna, eo Romam adducto, & 11. Nonas Septembris in ecclesia beati Petri, præsentibus fere omnibus fratribus, satis honeste (sicut moris est) tumulato, cœperũt fratres & nos cum eis secundum ecclesiæ consuetudinem de substituendo pontifice in eadem ecclesia studiosius cogitare, & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minime congruentem, omnes, quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octauiano scilicet; Ioanne de sancto Martino, & Guidone Cremensi, Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem, concorditer atque vnanimiter conuenerunt, & non assentiente clero ac populo in Romanum pontificem elegerunt. Duo vero Ioannes & Guido, quos prænotauimus, tertium Octauianum nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Vnde & ipse Octauianus in tantam audaciam insaniamque prorupit, quod mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, iuxta morem ecclesiæ, Odo prior diaconorum induerat, tamquam arreptitius a collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportauit. Ceterum cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, vnus ex eis spiritu diuino succensus, mantum ipsum de manu eripuit sæuientis. Ipse vero ad

quemdam capellanum ſuum, qui ad hoc inſtructus venerat & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, & vt mantum, quem fraudulenter ſecum portauerat, feſtinanter afferret. Quo vtique ſine mora delato, idem Octauianus abſtracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus eiuſdem capellani & cuiuſdam clerici ſui ambitioſus aſſumpſit; & ipſe idem, quia non erat alius, in hoc opere capellano & clerico exititcoadiutor. Verum ex diuino credimus iudicio contigiſſe, quod ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus, poſteriora tegebat. Et cum ipſe idem hoc emendare ſtudioſius voluiſſet, quia capitium manti extra ſe raptus non poterat inuenire, collo fimbrias circumduxit, vt ſaltem mantus ipſe appenſus ei quodammodo videretur. Sicque factum eſt, vt ſicut tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ, ita ex tranſuerſo & obliquo mantum fuerit in teſtimonium ſuæ damnationis indutus. Quo facto portæ eccleſiæ, quæ firmatæ fuerant, reſerantur, & armatorum cunei, quos, ſicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, euaginatis gladiis, cum immenſo ſtrepitu cucurrerunt, & peſtis illa mortifera, quia cardinales epiſcopos non habebat, armatorum caterua militum vallabatur. Fratres vero facinus tam immenſum & a ſæculis non auditum ex inſperato videntes & formidantes, ne a conductitiis militibus trucidarentur, ſeſe in munitionem eccleſiæ nobiſcum pariter receperunt. Ibique nouem diebus continuis, ne exinde libere exiremus, fecit nos quorumdam ſenatorum aſſenſu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia cuſtodiri. Sane populo inceſſanter & iugiter acclamante, & in ſenatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de cuſtodia fuimus illius munitionis erepti, ſed in arctiori & tutiori loco apud Tranſtiberim nos iidem ſenatores recepta inde pecunia poſuerunt. Cumque moram ibidem ferme per triduum feciſſemus, vniuerſo populo tantam proditionem atque malitiam de cetero nullatenus ſuſtinente, ſenatores cum nobilibus & populo venientes, nos & fratres noſtros per vrbem magnifice & honorifice cum immenſis laudibus &

præco-

præconiis, campanis etiam in tranſitu noſtro pulſantibus, conduxerunt. Et ſic tandem a violentia perſequentis erepti, & noſtræ redditi libertati, ſequenti die dominico venerabilibus fratribus noſtris Gregorio Sabinenſi, Hubaldo Oſtienſi, Bernardo, Vvalthero, Iulio, epiſcopis, cardinalibus quoque, abbatibus, prioribus, iudicibus, aduocatis, ſcriniariis, primicerio, & ſchola cantorum, nobilibus etiam, & quadam parte de populo Vrbis, apud Nunpham non longe ab Vrbe inſimul congregatis, munus conſecrationis accepimus; &, ſicut in Romana eccleſia moris eſt, ibidem pontificali regno magnifice fuimus ac ſolenniter coronati. Ceterum prædictus Octauianus cum pro conſecratione, imo execratione ſua, dum & in Vrbe eſſet, & poſtquam latenter Vrbem exiuit, multos epiſcopos conuocaſſet, nullum prorſus, præter vnum Ferentinatem videlicet, epiſcopum habere potuit pro ſua temeritate & veſania confirmanda. Quoſdam tamen epiſcopos imperialibus minis, quoſdam violentia laicali, quoſdam vero pecuniis & blanditiis allicere voluit, ſed nihil, Domino impediente, profecit. Vnde nec adhuc inuenire poteſt, licet omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & ſe tantæ faciat præſumptionis & impietatis auctorem. Verum memorati Ioannes & Guido, cæcitatis tenebris obuoluti, quoniam ſcriptum eſt, *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnet*, nec ſic a ſua præſumptione damnabili reſipiſcunt, ſed eumdem Octauianum, quem ſibi in ſtatuam erexerunt, obſtinata perfidia venerantur: & eum relicta vnitate eccleſiæ præſumunt vſque adhuc tamquam idolum aut ſimulacrum adorare. Ipſe autem antichriſti tempora præfigurans, vſque adeo erectus eſt ſupra ſe, vt etiam in templo Dei ſederit, oſtendens ſe tamquam ſit Deus, & multi abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, non ſine multa lacrymarum effuſione, corporeis oculis inſpexerunt. Sane nos infirmitatem noſtram, & virtutum indigentiam cognoſcentes, noſtrum in Dominum iactamus cogitatum, ſperantes, & de Chriſti miſericordia plenius confidentes, quod eccleſiam ſanctam ſuam, pro qua ipſe idem in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, vt eam ſibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet in tranquillitate lætari, & procel- Prou. 18.

larum omnium inundatione ſedata, nihil erit quod iam ei poſſit obſiſtere, vbi vnicus eius ſponſus voluerit nubiloſa quæque & noxia propulſare. Nunc igitur quia nos de noſtrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honeſtate & religione veſtra plenam habemus fiduciam, veſtris & vniuerſalis eccleſiæ precibus infirmitatem noſtram petimus adiuuari: caritatem veſtram per apoſtolica ſcripta rogantes & commonentes attentius, vt ſicut viri catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in deuotione ac fidelitate matris veſtræ ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ immobiliter perſiſtentes, ab eius vnitate nullatenus recedatis quod ſi præfatus vir impietatis: ad partes veſtras aliqua damnationis ſuæ ſcripta tranſmiſerit, ea ſicut reſpuenda ſunt reſpuatis, & tamquam vana ac ſacrilega contemnere & abiicere ſtudeatis. Nouerit inſuper diſcretio veſtra, quod nos ſupra nominatum Octauianum, apoſtaticum & ſchiſmaticum, in octauo die a conſecratione noſtra, tunc enim terminum ei reſipiſcendi, & ad vnitatem matris eccleſiæ redeundi præfiximus, tamquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus præſumerent, non dicimus conſecrationis, ſed execrationis imponere, de communi fratrum noſtrorum epiſcoporum & cardinalium voluntate atque conſilio, accenſis candelis, & cœtu clericorum in eccleſia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis aſtrinximus, & eos cum ſuo auctore diabolo conde mnauimus.

EPISTOLA II.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ARNVLPHVM LEXOVIENSEM EPISCOPVM.

De rebus in Conciliabulo Papienſi geſtis.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c.

LITERAS a tua nobis prudentia deſtinatas tanto hilariori mente, *&c. Extat infra in actis Conciliabuli Papienſis, anno* 1160.

EPISTOLA III.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD CLERVM ANGLIÆ.

De canonizatione ſancti Eduardi regis Angliæ.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, & aliis eccleſiarum prælatis per Angliam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ILLIVS deuotionis conſtantiam & fidei firmitatem, quam circa matrem veſtram ſacroſanctam Romanam eccleſiam exhibetis, diligentius attendentes, in id propoſitum voluntatis adducimur, vt vos ſicut cariſſimos fratres & ſpeciales eccleſiæ filios ſincera caritate in Domino diligamus, propenſius honoremus, & poſtulationes veſtras, quantum cum Deo poſſumus, libenti animo admittamus. Inde vtique fuit, quod ſuper petitione, quam de Eduardo glorioſo quondam rege Anglorum canonizando, & in ſanctorum catalogo adſcribendo, tam cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus illuſtris Anglorum rex, quam voſipſi nobis inſtantius porrexiſtis, ſolicitam cum fratribus noſtris deliberationem habentes, libro miraculorum inſpecto, quæ dum in carne mortali viueret, & poſtquam de præſenti ſæculo eſt aſſumptus, omnipotens Dominus per ſuam miſericordiam declarauit: viſis etiam literis anteceſſoris noſtri piæ memoriæ Innocentii papæ, veſtris quoque teſtimoniis inde receptis: quamuis negotium arduum & ſublime non frequenter ſoleat niſi in ſolennibus Conciliis de more concedi; de communi tamen fratrum noſtrorum conſilio, iuxta votum & deſiderium prædicti filii noſtris regis ac veſtrum, corpus ipſius confeſſoris ita glorificandum cenſuimus, & debitis præconiis adorandum in terris, ſicut eumdem confeſſorem Dominus per ſuam gratiam glorificauit in cælis. Vnde videlicet inter ſanctos confeſſores de cetero numeretur, quod hoc ipſum apud Deum ſignis meruit ac virtutibus obtinere. Quia igitur decet honeſtatis veſtræ prudentiam eum pie colere, & toto ſtudio venerari, quem auctoritate apoſto-

lica venerandum vestra postulauit deuotio, & colendum; vniuersitatem vestram per apostolica scripta monemus & exhortamur in Domino, quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare, vt ipsius intercessionibus apud districtum iudicem mereamini veniam obtinere, & glorioſum in æterna beatitudine præmium inuenire. Datum Anagniæ septimo Idus Februarii.

EPISTOLA IV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Iura & priuilegia eius confirmat.

Alexander papa Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo.

PRÆDECESSORVM noſtrorum felicis memoriæ Paſchalis & Eugenii Romanorum pontificum veſtigiis inhærentes, tam tibi, quam tuis legitimis ſucceſſoribus, Cantuarienſis eccleſiæ primatum ita plene concedimus, ſicut a Lanfranco & Anſelmo aliiſque ipſorum prædeceſſoribus conſtat fuiſſe poſſeſſum. Quidquid etiam dignitatis ſiue poteſtatis eidem ſanctæ Cantuarienſi eccleſiæ pertinere dignoſcitur, præſentis ſcripti pagina confirmamus, ſicut a temporibus beati Auguſtini prædeceſſores tuos habuiſſe apoſtolicæ ſedis auctoritate conſtat.

EPISTOLA V.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

Contra regis perſecutionem inchoatam illum confirmat; & ſimul admonet, ne quid contrarium libertati eccleſiaſticæ regi indulgeat.

Alexander papa Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo.

LITERAS, quas nobis tua fraternitas deſtinauit, & ea quæ nuntius tuus viua voce propoſuit, attenta diligentia audiuimus, & graues anxietates & amaritudines, quibus animus tuus aſſidue affligitur, plenius attendimus. Vnde his auditis & cognitis, ſpiritus noſter commotus eſt,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& valde turbatus; quibus cordi est libenter in tuis prosperitatibus delectari, & in aduersis, tamquam fratri carissimo, plurimum condolere. Tu ergo, sicut vir constans & prudens, recolens sæpe quod dicitur, *Ibant apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni facti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, huiusmodi angustias in patientia toleres, & non plusquam oporteat tuus spiritus anxietur; sed dignam in teipso consolationem recipias, vt & nos tecum pariter in eo consolemur, qui te ad corroborationem catholicæ & Christianæ veritatis hoc necessitatis articulo reseruauit, & cuius beneplacitum est eorum quæ minus licite commisisti maculas abstergere, & per varias afflictiones punire, ne videantur in districto examine punienda reseruari. De cetero non tibi graue sit, nec (sicut ex literis, quas clerico tuo misisti, accepimus) vlla ratione meticulosum, quod es ad sedem apostolicam appellatus: quia gratum nobis est, & acceptum, & volumus, vt si illi qui te appellauerunt forte venerint: tu per teipsum, si tibi visum fuerit, appellationem ipsam, omni dubietate & dilatione postposita, prosequaris: nec vnquam auctoritate Romanæ ecclesiæ aliquis possit constantiæ tuæ timorem incutere, seu dubietatem; quia nos iura & dignitates ecclesiæ tibi commissæ, quantum salua iustitia & ratione poterimus, studiosius tibi curabimus, auctore Deo, conseruare, sicut illi quem in facto ecclesiæ constantem reperimus & fortissimum propugnatorem. Act. 5.

Ad hæc fraternitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus te in Cantuariensem ecclesiam recipias, & paucis quidem retentis admodum necessariis, ad minus quam poteris per terram illam discurras. Illud autem specialiter suggerimus tuæ prouidentiæ, vt nullius timoris vel aduersitatis obtentu, quæ tibi possit accidere, iuri & dignitati ecclesiæ tuæ abrenuntiare cogaris. Data Senonis septimo Kalendas Nouembris.

EPISTOLA THOMÆ ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS AD ALEXANDRVM PAPAM.

Respondet superiori.

LITERÆ consolationis, quas vestra nobis dignata est paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium, aut si saltem nostra circa vnum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respirandi possemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia inualescit, multiplicantur iniuriæ non nostræ, sed Christi, imo quia Christi, eo magis nostræ, succedentibus sibi inuicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium; nec aliud consilium supereſſe, nisi vt Christum quasi dormientem in naui pro
Matth. 8. viribus nostris excitantes, dicamus: *Domine, salua nos, perimus.* Et hoc sane aptiorem malignandi nacta est iniquitas occasionem, quod statum sanctæ Romanæ ecclesiæ infirmiorem conspicit. Vt vere liqueat quod quidquid in caput siue bonum, siue malum, siue dulce, siue amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intactam: eripitur Iesu Christo quod sanguine suo comparauit, in ipsam eius sortem potestas sæcularis manum extendit, adeo vt nec sanctorum patrum sanctiones, nec statuta Canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac iurisdictione speciali priuilegio fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel persequi scripto quæ patimur longum esset & tædiosum, ad vestram mittimus paternitatem magistrum Henricum fidelem & familiarem vestrum & nostrum, in cuius ore posuimus singula seriatim, prout vidit, & audiuit, vobis exponenda. Et si placet, credite, tamquam si nos loquentes audiretis viua voce. Hoc tamen sciatis, quoniam si fieri posset, multo libentius vos in persona visitaremus nostra quam in alia. Loquimur vobis sicut patri & domino, & quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cum omnia fere referantur ad regem quæ nobis

in conclaui vel in aure dicuntur. Væ nobis qui in hæc seruati sumus tempora, quorum diebus accesserunt hæc mala, qui in priori statu tanta potiti sumus libertate, quam modo dura & pessima seruitute recompensamus. Fugissemus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus: sed quo, nisi ad eum qui nostrum refugium & virtus est, ignoramus. De Vvallensibus & Oeno, qui se principem nominat, domine prouideatis, quia dominus rex super hoc maxime motus est, & indignatur. Carissime pater & domine, bene valete.

EPISTOLA VI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM ET RELIQVOS ANGLIÆ EPISCOPOS.

Eos monet ne quid regi indulgeant contra libertatem ecclesiasticam.

Ad hoc pontificalis officii onus suscepisse noscimini, vt commissas vobis ecclesias sic ad honorem Dei, & subditorum profectum atque salutem regatis, quod earumdem ecclesiarum libertas per vos nullatenus minuatur, sed in suo statu per studium vestrum & per operam conseruetur. Inde siquidem est, quod fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus, si illustris Anglorum rex quidquam a vobis aliquo tempore requisierit, quod contra ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenus attentetis. Nec vos illi in aliquo, & maxime contra Romanam ecclesiam, obligetis; aut nouæ promissionis seu iuramenti formam inducere præsumatis, præter id quod episcopi suis regibus facere consueuerunt. Si autem iam dicto regi super huiusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promisistis nullatenus obseruetis, sed hoc potius reuocare curetis; & de promissione illicita Deo studeatis & ecclesiæ reconciliari.

EPISTOLA VII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD THOMAM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Eum a iuramento de consuetudinibus Anglicanis, de quibus infra in Clarendonensi Concilio, immunitati ecclesiasticæ repugnantibus obseruandis absoluit.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei, &c.

AD aures nostras fraternitas tua nouerit esse perlatum, *&c. Extat in actis Clarendonensis Concilii anno* 1164.

EPISTOLA VIII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

De munere legationis apostolicæ Cantuariensi concedi solito, Eboracensi episcopo ad instantiam regis sine præiudicio Cantuariensis concesso.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

ETSI pro animi tui prudentia & fidei sinceritate personam tuam vberiori dulcedine caritatis & flagrantiori desiderio velimus semper diligere, & honori & exaltationi tuæ sicut cariſſimi fratris nostri ardentiori animo aspirare, nos tamen & teipsum, qui magna columna es ecclesiæ, cautius conuenit temporum qualitatem attendere, & prouida dispensationis moderatione motum principis delinire. Nouit siquidem industria tua, cui diuina dispensatio magnæ prudentiæ & gratiæ donum indulsit, quoniam * feruentem dispositionem circa regni sui gubernationem cariſſimus in Christo filius noster Henricus illustris rex Anglorum defendat, & eamdem velit dispositionem, vt firmior habeatur, & habeat maiorem fauorem, auctoritate Romanæ ecclesiæ roborari. Vnde cum olim per venerabilem

* al. feruentem

rabilem fratrem Lexouiensem episcopum, & dilectum filium nostrum Pictauensem archidiaconum, a nobis & fratribus nostris instantius postulasset legationem totius Angliæ Eboracensi archiepiscopo indulgeri, & tam tibi quam vniuersis episcopis mandari rogasset, vt antiquas regni sui consuetudines & dignitates conseruaretis: nobis eius petitiones præter suum arbitrium moderantibus, statim post reditum nuntiorum suorum, vix audito quod a nobis reportauerant, dilectos filios nostros Gaufredum archidiaconum suum, & magistrum Ioannem, ad nostram præsentiam destinauit, & per eos quod prius petierat, & amariora, a nobis instantissime postulauit. Et vt suo desiderio faciliorem animum præberemus, fraternitatis tuæ, prædicti episcopi Eboracensis ad nos literas impetrauit.

Quod enim de antiquis consuetudinibus & dignitatibus conseruandis prius mandari rogauerat, nuper, sicut tu & alii obseruare promiseratis, ea cum multa instantia petiit auctoritate apostolicæ sedis sibi & suis posteris confirmari. Sed nos petitionem istam nequaquam admisimus: verumtamen, ne ad nimiam amaritudinem & vehementiorem animi turbationem eum circa nos & teipsum prouocaremus, ne etiam id consideratione tui putaretur quomodolibet impediri, nos tibi & nobis (ne forte in maiorem calorem iracundiæ aduersus te exardesceret) consultius prouidere volentes, & pensantes tempora periculosa, legationis literas præfato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus. Quoniam vero votis principum condescendendum est, & suæ contemperandum voluntati, prudentiam tuam monemus, consulimus, & omnimodis exhortamur, quatenus sicut vir prouidus & discretus necessitatem temporis metiens, & quæ inde tibi & ecclesiæ tuæ possint prouenire peruersa, fideli meditatione attendens, prænominato regi in omnibus & per omnia, salua honestate ecclesiastici ordinis, deferre satagas, & eius tibi gratiam & amorem incessanter recuperare intendas: ne secus faciendo eum contra te & nosmetipsos conturbes, & ii, qui non eodem spiritu ambulant, tibi & nobis valeant propter hoc insultare. Nos enim, data nobis opportunitate, de honore & augmento tuo cum eodem rege diligenter ac solicite conferemus; & circa conseruanda & iura &

dignitates ecclesiæ tuæ, necessariam diligentiam adhibebimus & cautelam, quam conuenit adhibere. Datum Senonis III. Nonas Martii.

EPISTOLA IX.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

Eum angustiis pressum consolatur.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

QVONIAM dies mali sunt, & multa sunt pro qualitate temporis toleranda, discretionem tuam rogamus, monemus, consulimus, & suademus, vt in omnibus tuis & ecclesiæ agendis te cautum, prouidum & circumspectum exhibeas, & nihil propere vel præcipitanter, sed mature & grauiter, facias, ad gratiam & beneuolentiam illustris regis Anglorum recuperandam, quantum salua libertate ecclesiæ & honestate officii tui fieri poterit, & enitaris modis omnibus & labores, vt vsque ad proximum pascha eumdem regem sustineas; ita quod nihil in eum vel terram ipsius vsque ad præscriptum tempus studeas exercere. Tunc enim Dominus dabit tempora meliora, & tam tu quam nos tutius poterimus in facto ipso procedere.

EPISTOLA X.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

De immunitate ecclesiastica non violanda: & clericis ad tribunal sæculare non trahendis.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

ETSI circa nos & matrem tuam ecclesiam sacrosanctam filialis in te deuotio aliquatenus videatur tepuisse, paternum tamen affectum circa te vel regnum tuæ gubernationi commissum nullo tempore deseruimus. Tua ergo serenitas, quod amici verbera potiora, quam inimici oscula existant, diligenter aduertens, consideret studiosius

& attendat, quod ſicut clerici a viris ſæcularibus vita & habitu diſtinguuntur: ita & iudicia clericorum a laicorum iudiciis diuerſa * potius comprobantur. Quare ſi eo ordine, quem non decet peruertas, & quæ Ieſu Chriſti ſunt tuæ poteſtati vſurpans nouas leges ad eccleſiarum oppreſſionem & Chriſti pauperum pro tuo beneplacito condas, conſuetudines etiam, quas auitas vocas, inducas: tuipſe procul dubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo conſimili iudicaberis, & eadem menſura, qua menſus fueris, remetietur tibi. Verum ne commonitiones noſtræ auribus excellentiæ tuæ tædioſæ vel aſperæ videantur, ſcriptum recollige, *Quod filium, quem pater diligit, corripit*; pro certo cognoſcens, quod quanto perſonam tuam ardentiori caritate in Domino diligimus, & ſinceriſſimæ tuæ deuotionis inſignia nobis & eccleſiæ Dei multipliciter & magnifice olim exhibita ad memoriam ſæpius & ſtudioſius reuocamus; tanto hæc cognitioni tuæ ſpiritualem tibi & æternam ſalutem votiuis cordis affectibus exoptantes libentius intimamus.

* penitus

Prou. 3.

Si enim te in aliquo iudicium futurum deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat, veritatem, quæ Deus eſt, & iuſtitiam colere, ius ſuum vnicuique tribuere, negotia eccleſiaſtica, & præſertim criminalia, quæ de læſione fidei, vel iuramenti emergunt, cauſas ſuper rebus, poſſeſſionibus eccleſiarum, perſonis eccleſiaſticis tractanda relinquere, regnum & ſacerdotium non confundere, non adeo ſerenitatem tuam deceret, quam etiam expediret. Si autem vniuerſa, quæ in vſus tuos per huiuſmodi angarias de bonis eccleſiaſticis conuertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes, obſequium non magis Deo gratum efficeres, quam ſi altari quolibet diſcooperto aliud cooperires; aut ſi Petrum crucifigeres, vt Paulum a mortis periculo liberares. Recolere ſiquidem debes, & præ oculis ad huius rei exemplum habere, qualiter rex Saul, quia deuicto Amalec, prædam contra diuinum præceptum reſeruare volebat, cum ſe ad excuſationem ſui, hæc ad ſacrificandum reſeruare proponeret, a Domino fuerit reprobatus, & alius, eo viuo, in honorem & dignitatem regiam ſubrogatus. Quem vtique peccata populi regem effecerant; eum a gubernatione re-

gni propria commissa destituerunt. Quomodo etiam rex
2. Par. 26. Ozias, dum thurificare voluit, & sacerdotis sibi officium vsurpare, lepra, digna Dei vltione, percussus fuisset, tuæ saluti congruit ad animum reuocare.

Si vero successus tuos viribus & potestati tuæ, & non Deo adscribas, intentionem quoque & animum tuum ab ecclesiasticorum virorum & ecclesiarum oppressione non retrahas: ille procul dubio, quia aliis te præfecit, & magnum in orbe principem ad fidelium suorum gubernationem, non ad depressionē constituit, talenta tibi commissa
3. Reg. 14. graui a te cum vsura requirere. Et sicut de Roboam filio Salomonis legitur, qui pro delicto patris est a regno eiectus; commissum paternum in heredes transfundet. Tu ergo prauis cuiuslibet suggestionibus non acquiescas, nec iis qui semper mala susurrant aurem inclines, sed quæ tuam salutem expediant diligenter audias, & ita ad honorem Dei & ecclesiæ suæ tranquillitatem & pacem, ad quod solummodo es regni gubernationem adeptus, idem regere, & secundum quod Dominus tibi administrauit, studeas vtiliter gubernare; vt ille, per quem reges regnant, & cui seruire regnare est, tibi & heredibus tuis regnum temporale conseruet, & post illud tribuat sine fine mansurum.

EPISTOLA XI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Significat eum non teneri damnatione Conciliabuli apud Northamtonam celebrati.

Alexander papa Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo.

QVOD minor maiorem iudicare non possit, *&c. Extat infra in actis dicti Conciliabuli anno* 1164.

EPISTOLA XII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GILBERTVM EPISCOPVM LONDONIENSEM.

Mandat illi vt pergat Henricum Angliæ regem monere ad deuotionem Romanæ ecclesiæ exhibendam, eiusque iura tuendum, & Thomam Cantuariensem in fauorem & gratiam recipiendum.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Gilberto Londoniensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

QVOD circa ea, quæ tuæ iniunximus fraternitati, efficax studium & diligentiam impendisti, & carissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem regem Angliæ, super incremento & exaltatione ecclesiæ, ac nostra, fideliter solicitare ac commonere curasti, gratum omnimodis & acceptum habemus, & tibi exinde gratias vberrimas exoluentes, solicitudinis tuæ prudentiam magnificis super hoc laudibus in Domino commendamus. Quoniam vero eumdem regem tamquam filium carissimum, & inclytum principem arctiori caritate diligimus, idcirco per te, & per venerabiles fratres nostros, Rothomagensem archiepiscopum, & Herefordensem episcopum, nec non per carissimam filiam nostram in Christo illustrem quondam Romanorum imperatricem, matrem eius, sæpe ac sæpe ipsum solicitandum duximus, & ad ecclesiæ deuotionem multimodis prouocandum. Gaudemus autem, & exultamus in Domino super ea deuotione eiusdem regis, quam tuis literis nobis significasti.

Ceterum, quoniam eum volumus deuotum esse ecclesiæ Dei, & nobis, sicut ab ipso principio, consueuit existere, rogamus fraternitatem tuam, monemus, atque mandamus, quatenus ipsum solicite ac diligenter sæpe & sæpius per te & alios commoneas, horteris modis omnibus, & inducas, vt ad eiusdem ecclesiæ honorem pariter, & exaltationem solito modo intendat, & causam ipsius strenue foueat, & manuteneat, atque defendat: ecclesias

vero, & eccleſiaſticas perſonas diligat, & honoret, & eorum iura conſeruet. Venerabilem quoque fratrem noſtrum Cantuarienſem archiepiſcopum in amorem & gratiam ſuam reducat. Nos enim, ſi eam, quam incepit, beato Petro & nobis reuerentiam exhibuerit & honorem, eum feruenti affectione diligimus, & ad honorem & exaltationem ipſius, & conſeruationem regni ſibi commiſſi, modis omnibus, prout decuerit, intendemus. Malumus enim ipſum in patientia & manſuetudine vincere, quam eum aliquo modo grauare, quamdiu id poterimus ſuſtinere. Datum in gradu Mercurii vndecimo Kalendas Septembris.

EPISTOLA XIII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

De Cantuarienſi eccleſia.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Gilberto Londonienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

A MEMORIA tua non credimus excidiſſe, qualiter cariſſimus in Chriſto filius veſter Henricus illuſtris rex Anglorum multa a nobis olim precum inſtantia requiſiuit, vt ab Herefordenſi eccleſia, cui præminebas, de te in Londonienſem eccleſiam tranſlationem fieri pateremur. Vt autem ſuæ petitioni noſtrum impertiremur aſſenſum, neceſſitatem imminentem pariter & vtilitatem proponebat; afferens quod ciuitas illa quaſi regia ſedes exiſteret, & quia te religionis & diſcretionis virtute crederet præminere, conſilio tuo, ſuper his quæ ſaluti animarum expedirent, & ad regni augmentum pariter & conſeruationem ſpectarent, temporaliter & ſpiritualiter vti volebat, & ideo magis proximum te deſiderabat habere. Vnde attendentes quam vtiliter prudentia & religio tua ſaluti eiuſdem regni & regis poſſet conſulere, & quanta inde valeat commoditas prouenire, libenter ſuis precibus acquieuimus, & te conceſſimus in Londonienſi eccleſia promoueri. Vnde quanto benignius eius beneplacitum & voluntatem compleuimus, & tuæ pariter exalta-

tioni intendimus & honori, tanto probitas tua circa incrementum & conseruationem ecclesiæ amplius deberet eniti, & attentius circa hoc laborare, vt fructum, quem idem rex nobis proposuit, & nos speramus, exhibitione operis & ipsa rerum experientia cognoscamus. Quomodo autem rex prædictus a deuotione ecclesiæ animum auertit, & iam in multis sicut appellationibus & visitationibus vestris communicando etiam excommunicatis nominatim & schismaticis, & confœderando se eis, & in eo etiam quod venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum de regno suo exire coegit, quasi persequi & impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter solicitudinem tuam rogamus, monemus, atque mandamus, quatenus adiuncto tibi venerabili fratri nostro R. Herefordensi episcopo, eumdem regem solicite commoneas, & studiosa exhortatione inducas, vt huius proposito prorsus relicto, in eo quod excessit, sicut dignum est, satisfaciat, a prauis actibus omnino desistat, Creatorem suum puro corde diligat, matrem suam Romanam ecclesiam solita veneratione respiciat, nec eam visitare volentibus inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediat, & prædictum nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum ad sedem suam benignius reuocans & reducens, in beati Petri & nostra reuerentia firmus immobilisque consistat, & ad opera misericordiæ ac pietatis intendat; vt ille, per quem reges regnant, temporale sibi regnum conseruet in terris, & sempiternum largiatur in cælis. Et nisi ista maturius correxerit, timendum sibi erit, ne & Deus ei pro his omnibus grauiter irascatur, & in eum & in suos debeat grauius vindicare, & nosipsi id non poterimus diutius in patientia sustinere. Nec ista pro nobis, quantum pro eo proponimus, cuius gloriam & honorem totis affectibus exoptamus.

EPISTOLA XIV.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Munus apostolicæ legationis ei iniungit.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ archiepiscopo Cantuarienſi ſalutem & apostolicam benedictionem.

SACROSANCTA Romana eccleſia digniores perſonas, & eas maxime, quas honeſtate, prudentia, & literatura, & eminentia virtutum præfulgere cognoſcit, ampliori conſueuit caritate amplecti, gloria & honore præuenire. Attendentes itaque deuotionis & fidei conſtantiam, qua pro eccleſia Dei ſicut columna immobilis perſtitiſti, honeſtatis, & literaturæ, ac diſcretionis prudentiam, qua præeminere dignoſceris, nihilo minus conſiderantes, dignum duximus perſonam tuam, tantarum virtutum inſignibus decoratam, quodam ſpeciali priuilegio & ſingulari prærogatiua diligere & honorare, tuæque vtilitati ſolita benignitate proſpicere, & attentiori ſolicitudine prouidere. Inde eſt, quod nos tibi legationem totius Angliæ, excepto epiſcopatu Eboracenſi, benigno fauore concedimus, vt ibi vice noſtra corrigas quæ inueneris corrigenda; & ad honorem Dei & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſalutem animarum ſtatuas, ædifices, & plantes, quæ ſtatuenda fuerint & plantanda. Quapropter monemus fraternitatem tuam, atque mandamus, quatenus cuncta cum prouidentia & diſcretione, ſecundum quod Deus tibi adminiſtrauerit, agas, vitia extirpes, & virtutes in vinea Domini ſtudeas complantare. Datum Anagniæ ſeptimo Idus Octobris.

EPISTOLA THOMÆ ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS AD LONDONIENSEM OMNESQVE SIBI SVBDITOS ANGLIÆ EPISCOPOS.

Auctoritate apostolica consuetudines Anglicanas damnat.

Thomas Dei gratia Cantuariensis ecclesiæ minister humilis venerabilibus fratribus suis Londoniensi, ceterisque totius Cantiæ prouinciæ episcopis, sic transire per bona temporalia, vt non amittant æterna.

FRATRES mei dilectissimi, quare non consurgitis mihi aduersus malignantes? Vt quid non statis mecum aduersus operantes iniquitatem? An ignoratis, quoniam *Dissipabit Dominus ossa eorum qui hominibus placent? Confundentur, quoniam Dominus spreuit eos.* Satis nouit discretio vestra, quoniam error cui non resistitur approbatur; & veritas, cum minime defenditur, opprimitur, videturque, teste Gregorio, consentire erranti, qui ad resecanda quæ corrigi debent non occurrit. Inde est quod dominum regem Angliæ satis superque sustinuimus; nec vllum ex eo sustinentiæ nostræ assecuta est ecclesia Dei compendium. Periculosum & intolerabile de cetero nobis visum est, tantos illius officialiumque suorum circa ecclesiam Dei & ecclesiasticas personas excessus vt hactenus impunitos relinquere; præsertim cum sæpissime nuntiis & literis, modisque aliis, prout decuit, studuerimus eum a peruerso proposito suo reuocare. Et quoniam vix ab eo auditi sumus, nullatenus tamen exauditi, scriptum illud, in quo illæ non consuetudines, sed prauitates potius, quibus perturbatur & confunditur Anglicana ecclesia, continentur, ipsiusque scripti auctoritatem, inuocata Spiritus sancti gratia, publice condemnauimus, & cassauimus: vniuersos etiam obseruatores, exactores, consiliarios, adiutores, seu defensores earum excommunicauimus: omnesque vos episcopos a promissione, qua contra constitutionem ecclesiasticam ad earum ob- *Psal. 52.*

seruationem tenebamini, auctoritate Dei & nostra absoluimus.

Quis enim dubitat sacerdotes Christi regum & principum, & omnium fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subiicere, a quo credit se non solum in terra, sed & in cælis ligari posse & solui? Proinde ne in huius sententiæ commissum incidatis, auctoritatem ipsius scripti, ipsumque scriptum cum prauitatibus quæ in eo continentur, irritum duximus & cassauimus, præsertim in his:

1. Quod non appelletur ad sedem apostolicam super aliqua causa, nisi licentia regis.

2. Quod non liceat archiepiscopo vel episcopo exire de regno, & venire ad vocationem domini papæ sine licentia domini regis.

3. Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de rege in capite, sine licentia regis, vel terram ipsius, vel officialium suorum, sub interdicto ponere.

4. Quod non liceat episcopo coercere aliquem de periurio vel fide læsa.

5. Quod clerici teneantur ad sæcularia iudicia.

6. Quod laici, siue rex, siue alii tractent causas de ecclesiis, vel decimis, & alia in hunc modum.

Denuntiauimus etiam excommunicatum, & ex nomine excommunicauimus Ioannem de Oxeneford, qui in hæresim damnatam incidit, præstando iuramentum schismaticis, quo schisma iam fere emortuum in Alemannia reuixit, communicando illi nominatissimo schismatico Reginaldo Coloniæ archiepiscopo. Et quia contra mandatum domini papæ & nostrum decanatum Saresberiensis ecclesiæ sibi vsurpauit, quod quidem factum tum iuri contrarium, tum ecclesiæ Dei exemplo pernicioſum, penitus cassauimus, & reddidimus irritum; præcipientes episcopo Saresberiensi & capitulo in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis sui, ne de cetero visis literis nostris, ex eo facto eum decanum habeant.

Similiter Richardum de * Ibelis denuntiauimus excommunicatum, & excommunicauimus, ex eo quod in

* Iuncta lege Regem.

eamdem hæresim damnatam inciderit, communicando cum Reginaldo Colonienſi ſchiſmatico, machinando etiam & fabricando omnia mala cum ſchiſmaticis & Teutonicis illis in perniciem Dei & eccleſiæ, & præſertim eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter dominum regem & ipſos.

Excommunicauimus etiam Richardum de Luci,& Iocelinum de * Baillis, qui prauitatum illarum auctores & fabricatores extiterunt : Ranulphum etiam de Broc, qui bona eccleſiæ Cantuarienſis, quæ alimenta de iure ſunt pauperum, occupauit & detinet, homineſque noſtros tam eccleſiaſticos quam laicos cepit, & in captione tenet. Hugonem quoque de ſancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui eiuſdem quoque eccleſiæ Cantuarienſis bona & poſſeſſiones abſque noſtra conniuentia occupauerunt, & tenent: omneſque etiam qui de cetero in poſſeſſiones & bona eccleſiæ Cantuarienſis contra voluntatem noſtram & conſenſum manus violentas extendent, eadem excommunicationis ſententia innodauimus.

* de Baiol. Regenſi.

EPISTOLA XV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Sententiam contra Anglicanas conſuetudines & eorum defenſores latam confirmat.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei dilecto fratri Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex literis tuis iam pridem & certa multorum relatione cognouimus, quod tu in Iocelinum Sarisberienſem epiſcopum, quoniam tibi inobediens fuit, interdicti ſententiam protuliſti. Ipſe vero licet ſuper hoc ad noſtram audientiam appellaſſet, & dominicam, qua cantatur Ego ſum paſtor bonus, proxime tunc venturam appellationi ſuæ terminum præfixiſſet, eodem inſtante nec venit, nec ad nos aliquem pro ſe reſponſalem tranſmiſit. Quocirca nos eum in contumacia & rebellione ſua contra te fouere nolentes, ſententiam quam in eum propter hoc tuleris,

auctore Domino, ratam & firmam habebimus, & totam causam eius tuæ discretionis arbitrio duximus relinquendam: quod inde canonice feceris, ratum, cessante appellationis obstaculo, habituri.

EPISTOLA XVI.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

De consuetudinibus Anglicanis a se confirmari petitis.

Alexander episcopus Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

NOVIT industria tua, quam feruentem dispositionem circa regni sui gubernationem carissimus in Christo filius noster Henricus, illustris rex Anglorum impendat, & eamdem vt firmior habeatur, vult auctoritate Romanæ ecclesiæ roborari, petens vt antiquas regni sui consuetudines, & dignitates conseruemus illæsas. Item cum legationis officium totius Angliæ postulasset instantius, Eboracensi archiepiscopo indulgeri, pensantes tempora periculosa, legationis literas præfato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus, licet antequam inclinaremur ad consensum, nuntii eius nobis in verbo veritatis promiserunt, & super hoc iuramentum obtulerunt, quod nunquam sine voluntate vestra literæ Eboracensi archiepiscopo redderentur.

EPISTOLA XVII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD OMNES EPISCOPOS ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

Alexander seruus seruorum Dei omnibus episcopis Angliæ salutem & apostolicam benedictionem.

QVAMQVAM ex iniuncto nobis officio, de vniuersorum iure in sua integritate seruando, curam tenemur & solicitudinem gerere, ad illorum iustitias, qui in parte solicitudinis nobis commissæ a Domino sunt voca-

ti, quanto in gradu ſublimiori exiſtunt, tanto frequentius retorquere debemus, & ſuper his maiorem diligentiam & curam propenſiorem habere. Hac ſiquidem conſideratione inducti, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in vi obedientiæ iniungimus, quatenus ſuper his, quæ ad eccleſiæ Cantuarienſis iura, dignitates, aut etiam libertates ſpectare noſcuntur, vos ſine conſcientia & aſſenſu venerabilis fratris noſtri Thomæ eiuſdem eccleſiæ archiepiſcopi intromittere nullatenus præſumatis, nec occaſione appellationis, quam contra eum ad nos feciſtis, id aliquatenus attentetis. Quod ſi aliquis veſtrum contra hoc præceptum noſtrum quolibet auſu venire præſumpſerit, ita in eo exceſſum iſtum ſtudebimus, Domino auctore, grauiter vindicare, quod pœna docente, cognoſcet, quam periculoſum fuerit apoſtolicis contraire præceptis. Datum Laterani quinto Kalendas Februarii.

EPISTOLA XVIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

De legatione in Angliam miſſa.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QVOD perſonam tuam literis noſtris non ſæpius viſitamus, inde prouenire cognoſcas, quod per nuntios tuos ea quæ non duximus ſcriptis committere cognitioni tuæ viua voce curauimus frequentius intimare. Nunc autem ad tuæ diſcretionis notitiam volumus peruenire, quod nos pacem tuam votiuis cordis affectibus exoptantes, dilectos filios noſtros, Vvilielmum tituli ſancti Petri Ad vincula presbyterum, & * Odonem ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Anglorum regem, vt legatione in terra ſua ciſmarina fungantur, tranſmiſimus; & ſpecialiter, vt inter te & eumdem regem concordiam &

* Ottonem

pacem reforment, & cooperante Domino amicabilem faciant compositionem. Vnde quoniam nos pacem tuam & ecclesiæ omnimode vnam reputamus, nec magis, nisi quia ipsam maiorem ecclesiæ vniuersali collaturam credimus vtilitatem, optamus; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus, consulimus, & mandamus, quatenus, quam periculosus præsentis temporis status existat, & quantum ecclesia tibi commissa præsentia & consilio tuo indigeat, consideres diligentius, & attendas ad pacem & concordiam inter te & memoratum regem fundandam, quantumcumque salua tua & ecclesiæ honestate fieri possit, animum & voluntatem tuam inclines.

Et si tibi in his non omnia secundum beneplacitum tuum succedant, ad præsens dissimules; quæ corrigenda fuerint, ad statum pristinum, processu temporis, auctore Domino, reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Christo carissimo filio nostro illustri Francorum regi secundum petitionem tuam significauimus, te a pace & concordiæ bono quoquo modo retardes, aut ab his animum & voluntatem tuam auertas, dummodo in conuentione tuam & ecclesiæ (sicut diximus) honestatem valeas conseruare. Quoniam multa poteris in posterum paulatim habita discretione auellere, quæ si modo exprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verum in iam dictos cardinales potes omnino confidere, nec de memorato Vvilielmo oportet te quomodolibet dubitare: quoniam nos ei, vt ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & distincte iniunximus: & ipse tantum nobis promisit, quod nos inde nullatenus dubitamus.

Subuentionem petit papa.

De cetero fraternitatem tuam rogamus, atque monemus, vt dilectum filium nobilem virum comitem Flandrensem ex parte nostra diligenter conuenias, & instantius exhorteris, vt nostra & ecclesiæ necessitate inspecta, nobis in aliquo liberaliter studeat subuenire. Non enim credimus quod acceptiorem Deo eleemosynam possit facere, quam si nobis ad præsens ad tuendam ecclesiæ libertatem dignæ subuentionis solatium satagat exhibere.

EPISTOLA XIX.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

MAGNIFICENTIÆ tuæ petitionibus gratanter admissis, & voluntati tuæ in omnibus (quantum cum Deo & iustitia possumus) satisfacere cupientes, & tibi, & honori tuo deferre, dilectos filios nostros, Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula presbyterum, & * Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, viros siquidem literatos discretos pariter, & honestos, & magnum in ecclesia Dei locum habentes, & tibi & regno tuo deuotos, quos nos inter alios fratres nostros caros admodum acceptosque tenemus, cum plenitudine potestatis causas, quas tibi in aliis literis expressimus, & alias quas expedire viderint, cognoscendi, in terram tuam cismarinam excellentiæ tuæ legatos duximus destinandos: quibus vices nostras in omnibus ita plene commisimus exequendas, sicut illis, vel aliis apostolicæ sedis legatis ecclesia Romana committere consueuit. Eapropter serenitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus ipsos, sicut tantos viros & apostolicæ sedis legatos, honorifice & benigne recipias, & mansuete (prout congruit regio honori) pertractes, vt antiquam deuotionem tuam in filiis suis sancta Romana ecclesia recognoscat; & excellentiæ tuæ ac toti terræ tuæ gubernationi commissæ incrementum inde non modicum valeat, cooperante Domino, prouenire. Ea vero, quæ sublimitati tuæ ex parte nostra proponent, ita gnauiter admittas, & prompto animo acquiescas, quod Dominus in his & ecclesia sua dignis præueniatur honoribus, & tu ipse ac vniuersa terra tuæ gubernationi commissa fructum inde multiplicem, & a Deo præmium, & coram hominibus laudem & gloriam susciperе

* Ottone

valeas. Hoc vero transcriptum nulli mortalium reueles, nisi soli magistro Gunterio, quia fidem meam super hoc magistro Galtero ita stricte, vt voluit, dedi.

EPISTOLA XX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD LVDOVICVM VII. REGEM FRANCORVM.

De legatione per Franciam Thomæ archiepiscopo Cantuariensi commissa.

Alexander seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Ludouico illustri Francorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

INTER cetera magnificentiæ tuæ & deuotionis insignia, illud specialiter animum nostrum vehementer accendit, quod venerabilem fratrem nostrum Thomam archiepiscopum Cantuariensem, virum siquidem religiosum, discretum pariter & honestum, & nobis & vniuersæ ecclesiæ Dei carum omnimodis & acceptum, & tot & tantis honoribus præueneristi, & ei tam ampla & tam magnifica humanitatis beneficia regia munificentia dignatus es largius erogare. Super quo vtique serenitati tuæ quantas & quas possumus gratias exhibemus, & clementiam tuam exinde immensis in Domino laudibus commendamus; id sicut Deo, cui hæc potius in persona illius feceristi, gratissimum, ita nobis acceptum putantes, tamquam si hoc personæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam eiusdem archiepiscopi pacem totis cordis affectibus exoptamus, dilectos filios nostros Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula, & Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem duximus destinandos, vt inter eumdem regem & præfatum archiepiscopum ad vtriusque honorem pariter, & perfectam concordiam, & pacem, Domino cooperante, reforment; & in ipsius regis terra transmarina causas emergentes audiant & cognoscant, & ibidem apostolicæ sedis legatione fungantur.

Eapropter magnificentiam tuam per apostolica scripta rogan-

rogando monemus, & exhortamur in Domino, quatenus pro ecclesiæ Dei reuerentia, & honore beati Petri, & nostro, apud iam dictum regem & archiepiscopum partes tuas efficaciter interponas, & studiosius elabores, quod ad honorem Dei & ecclesiæ, & sui etiam commodum & augmentum, amicabiliter inter se & pacifice conueniant: & ad hoc animos & voluntates suas, salua ipsius archiepiscopi & ecclesiæ honestate, omnimodis inclinent. Quod si per studium iam dictorum cardinalium & laborem & operam tuam pax inter eos & concordia poterit reformari, ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adiutorio fulta, non modicum inde suscipiet incrementum; & tu ab omnipotente Deo in illa felici retributione iustorum speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus auertat) conuenire non possint, dummodo regiæ voluntati sederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret & acceptum: quod si absque graui scandalo personarum regni tui fieri posset, vt nos prænominatum archiepiscopum specialis honoris prærogatiua inter ceteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Vnde serenitatem tuam quanta possumus prece rogamus, vt si pacem, salua honestate sua, & ecclesiæ, quod omnimodis optaremus, habere non possit, nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare. Et hoc interim habeas omnino secretum.

EPISTOLA XXI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ET ODDONEM LEGATOS.

Vt pro bono ecclesiæ reges Francorum & Angliæ concordentur, & in Anglia de statu regni & ecclesiæ sine scitu Thomæ Cantuariensis nihil agant.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.

QVANTA vniuersæ Dei ecclesiæ, & præsertim Romanæ & orientali, detrimenta & incommoda ex discor-

dia & diſſenſione, quæ inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros illuſtres Francorum & Anglorum reges per humani generis contigit inimicum, potuerint euenire, noſtram decet diſcretionem aduertere, & tanto diligentius ad ea extinguenda intendere, quanto exinde maiora (quod Deus auertat) pericula formidamus. Quocirca diſcretionem veſtram per apoſtolica ſcripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus ad pacem inter eos & concordiam reformandam modis omnibus per vos & per alios religioſos & diſcretos viros vtriuſque regni intendere ſtudeatis, & ad hoc tota diligentia & totis viribus laboretis, vobis omnimodis præcauentes, ne ad petitionem vel fauorem vnius aliquid ſtatuatis, vnde alter ſcandalizari debeat, aut quoquomodo turbari. Ad hæc vobis diſtrictius prohibemus, ne vterque veſtrum, vel alter, regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiuſdem regni tractare, & præſertim de conſecrationibus epiſcoporum aliquid vnquam efficere vel ordinare præſumat, niſi prius venerabilis frater noſter Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus iam dicto Anglorum regi ex integro reconcilietur. Quod per ſtudium & operam veſtram, operante Domino, ad effectum poſſe perduci confidimus, & omnino ſperamus: ſicut enim ex literis multorum diſcretorum virorum accepimus, nihil eſt, vnde præfatus Francorum rex, & tota terra ipſius amplius commota fuerit vel turbata, quam ex iis quæ Ioannes Saresberienſis decanus a nobis rediens in partibus illis dicitur diſſeminaſſe. Datum Beneuenti vndecimo Kalendas Septembris.

EPISTOLA XXII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EOSDEM.

Significat nihil iurium ademptum esse Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo ſancti Petri Ad vincula preſbytero, & Oddoni ſancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apoſtolicæ ſedis legatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

POST diſceſſum veſtrum graues ad nos rumores fuerunt perlati, dilectum ſcilicet filium noſtrum Ioannem Saresberienſem decanum publice propoſuiſſe, quod cum epiſcopos, & alias perſonas eccleſiaſticas, & ſæculares de regno Anglorum a iuriſdictione & poteſtate venerabilis fratris noſtri Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi exemerimus, iuxta beneplacitum & voluntatem regis Anglorum, ad eius diſpoſitionem pariter & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re ſpecialiter mittere deberemus; aliud quoque nobis inſinuatum eſt, quod Ioannes Cumin de Oxeneford omnia reſcripta literarum noſtrarum, quas a nobis obtinuit, Guidoni Cremenſi antipapæ monſtrauit, & ipſi ſecreta noſtra detexit. Vnde idem archiepiſcopus erubeſcentia & dolore confunditur, & cariſſimus in Chriſto filius noſter Ludouicus illuſtris rex Franciæ, & principes eius non parum ſunt de eiuſmodi rumoribus conturbati, & vehementius commoti. Licet autem a pluribus nobis proponatur, & quodammodo credibile videatur, quod prædictus Ioannes pro honore & exaltatione prædicti archiepiſcopi & eccleſiæ ſuæ, & pro libertate eccleſiæ tantum & ita fideliter laborauerit, quod ſtudio & ſolicitudine ſua, poſtquam ad propria rediit, viros eccleſiaſticos, qui regia captione detinebantur, ab ergaſtulo carceris fecerit liberari: & etiam idem Ioannes per literas ſuas nobis ſignificauerit, regem publice cum multis dixiſſe, ſe velle clericis ſuæ terræ illam libertatem, quam habebant tempore Henrici aui ſui, ſeruare: quia tamen huiuſmodi fama vſque adeo creuit, quod in partibus illis

opinionem noſtram ſiniſtra faciat æſtimatione corrodi, diſcretionem veſtram monemus, atque mandamus, quatenus continuo per literas veſtras prædictum archiepiſcopum conſolari curetis, & omnem ab animo eius amaritudinem & ſuſpicionem tollentes, eum cum prædicto rege in primis reconciliare, & plenam inter eos pacem componere omnimodis intendatis, & quanta poteritis ad hoc ſolicitudine & diligentia elaboretis; ita quod ſibi & eccleſiæ ſuæ antiqua iura & libertates integre & illibate ſeruetis. Nec in terra ipſius regis aliquid quod magnum ſit faciatis, & in regnum eius ſi vos intrare velletis, nulla ratione intretis, niſi archiepiſcopus ſibi primitus integre reconcilietur. Quia ſuper his nobis & vobis detraheretur plurimum, & communis vox omnium honeſtatem veſtram ſiniſtris detractionibus laceraret. De Ioanne vero Cumin ſi ita eſſe inueneritis, diſtrictam iuſtitiam faciatis, ita quod alii debeant a ſimilibus deterreri. Volumus autem, vt in omnibus actibus & operationibus veſtris circumſpecte & mature & prouide vos habeatis, ita quod aduerſus vos nulla poſſit detractionis materia ſubrogari, & deuotio vtriuſque regni per ſtudium & conuerſationem veſtram circa nos & eccleſiam debeat inceſſanter augeri, & vobis exinde perpetua valeat laus & gloria comparari. Datum Laterani Nonis Maii.

EPISTOLA XXIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Regem humilitate vinci conſulit.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ETSI aduerſitatum & laborum anguſtiæ tibi acrius incumbere & inualeſcere videantur, plurima tamen ſanctorum patrum tibi exempla proponas, qui ſicut tu multas zelo iuſtitiæ calamitates & anguſtias paſſi, immarceſſibilem coronam & cæleſte regnum meruerunt felici-

ter adipiſci. Quapropter rogamus prudentiam tuam, atque monemus, quatenus ſemper illud præ oculis habens; *Beati*, ſcilicet, *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, tuum nullis aduerſis animum frangas, nec vlla tribulatione deponas, ſed eum fortitudinis & conſtantiæ virtute confirmes. Vbi vero iuſtitiam & libertatem eccleſiæ deperire cognoueris, cum rege Anglorum in depreſſionem & diminutionem eccleſiaſticæ dignitatis pacem reformare nullo modo labores. Verumtamen, quantum ſaluo honore officii tui & libertate eccleſiæ fieri poterit, teipſum humilies,& ad gratiam & amorem ſuum recuperandum modis omnibus enitaris. Neque plus iuſto de eo timeas, neque maiores quam oporteat, ſecuritates requiras, quia (ſicut credimus) ex quo ſe tibi reconciliauerit, minime te offenderet, nec a quoquam pateretur offendi. Nos enim (ſicut tibi ſæpe viua voce ac literis propoſuimus) te tamquam cariſſimum ſincera caritate diligere volumus, & ad conſeruationem honoris, libertatis, & dignitatis tuæ augmentum, quantum diuina gratia conceſſerit, aſpirare. *Matth.5.*

EPISTOLA XXIV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ET ODDONEM LEGATOS.

Vt eos qui propter defenſionem rerum eccleſiæ per Cantuarienſem excommunicati fuerant ad ſatisfactionem debitam præſtandam compellant: quod ſi renuerint, eos iterum excommunicent.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo ſancti Petri Ad vincula preſbytero, & Oddoni ſancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apoſtolicæ ſedis legatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SVGGESTVM eſt nobis, quod quidam eorum, quos venerabilis frater noſter Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis excommunicationi ſubiecerat, eccleſiæ ſuæ nec non & clericorum eius bona & poſſeſſiones detinere, & iiſdem incubare præſumunt. Vnde quoniam indignum eſt, vt bonis & poſſeſſionibus illis detentis a vinculo de-

beant, quo tenentur, absolui: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si iam sicut audiuimus, per aliquos sunt absoluti, ipsis ex parte nostra virtute iuramenti firmiter iniungatis, quod præsumptas possessiones & bona personis & ecclesiis, de quarum iure existunt, incontinenti relinquant, nec eas tenere, aut se in his de cetero intromittere qualibet occasione præsumant. Quod si ad vestrum præceptum non fecerint, vos eos omni dilatione & appellatione cessante in priorem excommunicationis sententiam, vsque ad satisfactionem plenariam, reducatis. Si vero a vobis fuerint absoluti, id nihilo minus, sicut prædiximus, efficiatis.

EPISTOLA XXV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Significat se Gratianum cum quodam notario ablegasse ad regem, petiturum ne iura ecclesiæ violet, & cum eodem Thoma reconcilietur.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuarienſi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

ILLVSTRIS regis Anglorum nuntios & literas accepimus. Et cum a nobis per eosdem nuntios quædam magna & difficilia postulasset, & super iis obtinendis apud nos nuntii eius vehementer & fortiter institissent, animum nostrum ad voluntatem suam nequaquam flectere potuerunt. Sed ne possent habere vllam materiam & occasionem de nostra duritia conquerendi, & quod sibi nollemus in aliquo deferre, sequentes vestigia & exempla prædecessorum nostrorum, quos sanctos esse non dubitamus, prædictum regem cum omni benignitate, modestia, & mansuetudine a suo reuocare proposito, & eius mitigare animum, & emollire dispositimus duritiam. Inde vtique fuit, quod nos (sicut de consilio & deliberatione fratrum nostrorum processit) dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, virum honestum &

literatum, quem ob memoriam sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri Eugenii papæ, & intuitu sinceriſſimæ fidei & obsequii sui, carum omnimodis acceptumque tenemus; & magistrum Viuianum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam & literaturam eius sincero cordis affectu diligimus, ad præfati regis præsentiam duximus destinandos. Per quos, & per literas nostras ipsum cum omni studio & solicitudine districtius quam possumus commonemus, vt tibi pacem & gratiam suam restituens, te ad ecclesiam tuam honorifice reuocet, & tam tibi, quam eidem ecclesiæ, antiqua iura, & libertates, & honores integre & illibate conseruet, & te & tua cum omni pace & tranquillitate esse permittat.

Quapropter rogamus fraternitatem tuam atque monemus, quatenus malitiam & angustiam temporis diligenter considerans, & attendens, quomodo maiores nostri tempora redemerunt propter dierum malitiam, ad recuperandam gratiam & amorem supradicti regis, omnibus modis quantum saluo ordine & officio tuo fieri potest, elabores, & eius satagas animum mitigare, illam patientiam, mansuetudinem & benignitatem ostendens, quod a nullo merito possit dici per te remansisse, quo minus gratiam & bonam voluntatem illius plenius deberes adipisci. Rogamus præterea prudentiam tuam, monemus, consulimus, & volumus, vt vsque ad discessum nuntiorum nostrorum nec in regem, nec in personas regni, aut regnum, aliquam sententiam proferas; & si forte (quod non credimus iam protulisti, ipsam vsque ad tempus illud suspendas. Hoc autem ideo dicimus, vt illi omnem conquerendi occasionem & materiam tollamus, & eius duritiam tali modo vincamus. Si enim secus (quod absit) contigerit, nos tibi auctoritatem tuam subtrahere nullatenus volumus, sed potius conseruare, & auxilium & consilium nostrum diligenter conferre. Cetera vero in ore nuntiorum nostrorum posuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum consiliis & exhortationibus acquiescas.

EPISTOLA XXVI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

MAGNIFICENTIÆ tuæ literas, quas nobis per dilectos filios nostros, primo Reginaldum Saresberiensem, & deinde Randulphum Lauensem archidiaconos, viros prouidos & discretos, & in commisso sibi negotio studiosos atque solicitos transmisisti, paterna benignitate suscepimus, & earum continentiam diligenter curauimus & studiose audire. Cum autem excellentiæ tuæ petitiones nobis tam ex serie literarum, quam ex nuntiorum tuorum viua voce, plenius innotuissent, & nos cum fratribus nostris exinde diutius deliberassemus; non fuit nobis visum quod aliquam earum, iuxta quod rogasti, cum honestate nostra & ecclesiæ possemus effectui mancipare. Verumtamen, vt sublimitati tuæ in omnibus, quantum cum honore Dei & ecclesiæ fieri poterit, deferamus; & ne nos potius ex voluntate, quam de necessitate credas aliqua ratione feciſſe, dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, & magistrum Viuianum, viros quidem prouidos & discretos, & nobis ac toti ecclesiæ caros pariter & acceptos, ad regiæ celsitudinis præsentiam destinauimus; per quos magnificentiæ tuæ voluntatem & animum nostrum, & talia, quæ ad honorem & exaltationem tuam spectabunt, & quæ serenitati tuæ merito placere debebunt, plenius significamus.

Quod autem (sicut ex magnificentiæ tuæ literis intelleximus) intantum voluntatem tuam, & animum tuum circa negotium venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuarienſis archiepiscopi inclinasti, quod eum ob reuerentiam ecclesiæ, & nostram permitteres ad propria remeare, & ecclesiam in pace tenere, dummodo quod tibi debet impendere velit, gratum admodum acceptumque tenemus,

mus, & diuinæ clementiæ, quæ hæc cordi tuo procul dubio inſpirauit, quantas poſſumus laudes & gratias exhibemus; ſerenitatem tuam attente rogantes, & tibi in delictorum tuorum veniam iniungentes, quod Deo potius quam homini in præſcripto negotio deferas, & ad hoc ſolummodo diuinæ pietatis reſpectu animum tuum inclines. Super eo vero, quod magnificentiæ tuæ de nobis, & noſtræ voluntatis mutatione ſignificatum fuiſſe dicebas, non oportet diſcretam prudentiam tuam omni ſpiritui credere, cum multi detractores, & corroſores exiſtant, quorum dictis quibuſlibet non eſt fides adhibenda aliquatenus. Nos autem voluntatem & deſiderium habemus perſonam tuam, ſicut cariſſimi in Chriſto filii noſtri, toto cordis affectu diligere, nec eam in aliquo (niſi forte, quod Deus auertat, nos ad hoc tu ipſe compelleres) volumus aggrauare. Datum Beneuenti pridie Kalendas Martii.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ XXVII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

Minatur illi cenſuram eccleſiaſticam, niſi a ſacrilegiis abſtineat.

Et quidem, ſi ea, quæ monentes in ſpiritu manſuetudinis, & cum omni humilitate prædiximus, effectui, ſicut debes, mancipare curaueris, & tuæ procul dubio gloriæ & ſaluti conſules, & Deo ac nobis gratum facies omnimodis & acceptum. Alioquin, quantumcumque te ſicut filium cariſſimum & Chriſtianiſſimum principem diligere, & tuæ magnitudini deferre velimus, manus beati Petri & noſtras a tuo non poterimus grauamine continere. Et plus Deum, quam homines, ſicut dignum eſt, metuentes, eccleſiæ iura pariter & honorem conceſſa nobis diuinitus poteſtate integre curabimus atque inuiolabiliter conſeruare. Datum Beneuenti ſeptimo Idus Octobris.

EPISTOLA XXVIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

DECRETALIS AD OMNES EPISCOPOS ANGLIÆ.

Contra inueſtituras a laicis vſurpatas.

AD audientiam noſtram, communi fama referente, & multorum etiam relatione peruenit, quod poſt inſtantem turbationem, quæ inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum illuſtrem Anglorum regem, & venerabilem fratrem noſtrum Thomam Cantuarienſem archiepiſcopum, exigentibus peccatis, emerſit quædam praua conſuetudo & in illis partibus inoleuit, ſcilicet, quo laici eccleſias & eccleſiaſtica beneficia ſoleant paſſim in regno Anglorum quibus vellent conferre, & auctoritate ſua clericos inueſtire. Vnde quoniam id ſanctorum patrum inſtitutionibus adeo cognoſcitur contradicere, vt danti & accipienti de manu laica ſit anathema, & hoc in eccleſiaſticæ libertatis perniciem non eſt dubium grauiter redundare, nos vniuerſas * donationes, a laicis de eccleſiis quibuſlibet huius turbationis tempore quibuſcumque factas, auctoritate beati Petri ac noſtra omnino caſſamus, & irritas eſſe decernimus. * collationes.

Quapropter vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus vniuerſos illos, qui eccleſias, præbendas, vel alia eccleſiaſtica beneficia, vbicumque in Anglia de manu laica, maxime huius turbationis tempore, ſuſceperunt, diligentius moneatis, & inſtantius exhortari curetis, quod eccleſias ipſas, præbendas, vel beneficia cum fructibus inde perceptis in manus veſtras, omni contradictione & appellatione ceſſante, reſignent, & eis, ad quorum ordinationem iure eccleſiaſtico ſpectant diſponendas relinquant. Quod ſi ad commonitionem noſtram infra quadraginta dies poſt harum ſuſceptionem non fecerint, vos eos auctoritate noſtra, ſublato appellationis remedio, cuiuſlibet timore, gratia, & prohibitione poſtpoſita, excommunicationis ſententia feriatis, & ab omnibus faciatis per parochias veſtras ſicut excommuni-

catos vitari ; donec ecclesias præscriptas & alia beneficia ecclesiastica libera resignauerint illis, ad quorum * donationem & ordinationem spectant, & in pace dimiserint, & de fructibus inde perceptis dignam ecclesiæ exhibuerint satisfactionem. Si autem in his exequendis negligentes fueritis aut remissi, nos omnes illos, qui ecclesias, vel cetera beneficia ecclesiastica præter assensum episcoporum, ad quos eorum donatio spectat, de manu laica (quo superius dictum est) accepisse noscuntur; nisi præceptis nostris infra terminum præscriptum paruerint, excommunicationis sententiæ auctoritate, qua fungimur, decernimus subiacere, & eos sicut a nobis excommunicatos præcipimus ab omnibus euitari. Data Beneuenti decimoquarto Kalendas Iunii.

* collationem

EPISTOLA XXIX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM II. REGEM ANGLIÆ.

Duritiem exprobrat, & minatur censuram, nisi Thomam recipiendo pareat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

QVAM paterne & quam benigne regiam sæpius excellentiam conuenerimus, & per literas & nuntios frequentius exhortati fuerimus, vt venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuarienſem archiepiscopum tibi reconciliare deberes, & sibi ac suis ecclesias cum ceteris ablatis restituere, sublimitatis tuæ prudentia nequaquam ignorat, cum id toti fere Christianitati publicum ac manifestum existat. Vnde quoniam in hoc hucusque proficere minime potuimus, nec animi tui motum blandis & lenibus emollire, tristes & dolentes efficimur. Et nos spe ac fiducia nostra frustrari dolemus, præsertim cum te, sicut carissimum filium sincerius in Domino diligamus; cui in hoc graue periculum imminere videmus. Et quoniam scriptum est: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Et alibi: *Nisi annuntia-* *Isai. 58.* *Ezech. 22.*

ueris impio impietatem ſuam, ſanguinem ipſius de manu tua requiram. Et alias per Salomonem *Piger homo de ſtercore boum lapidari iubetur:* duritiam tuam, ſicut hactenus, contra iuſtitiam & ſalutem noſtram non duximus vlterius ſupportandam; nec præfato archiepiſcopo os de cetero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum libere proſequatur, & ſuam & eccleſiæ ſuæ iniuriam eccleſiaſticæ ſeueritatis gladio vlciſcatur. Quæ autem in literis iſtis tam de his, quam de aliis minus continentur, dilecti filii noſtri prior de monte Dei, & frater Bernardus de Corilo, viri ſiquidem plus Deum quam homines reuerentes, ſerenitati tuæ latius viua voce proponent. Quorum admonitioni ille, cui ſeruire regnare eſt, & in cuius manu corda regum conſiſtunt, animum & voluntatem tuam inclinet, vt potius flecti velis, quam contra Deum & ſalutem tuam in tantæ obſtinationis propoſito diutius permanere. Quod ſi nos in illis nec ſic audire volueris ea quæ tibi ex parte noſtra propoſuerint, procul dubio venturam poteris diuinam vltionem in proximo timere.

Eccl. 22.

EPISTOLA XXX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Vt auctoritas archiepiſcopi Cantuarienſis ſuſpenſa eſſet, quouſque a rege pacem conſecutus eſſet.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei illuſtri Anglorum regi Henrico ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MAGNIFICENTIÆ tuæ nuntios, ſcilicet dilectos filios noſtros Ioannem Cumin, & Radulphum de Tamevvrde, nobis & eccleſiæ Dei deuotos, & regiæ ſublimitati (ſicut credimus) per omnia fideliſſimos, & literas, quas excellentia tua nobis per eoſdem tranſmiſit, tanto benigniori mente ſuſcepimus, & tanto eos maiori gratia præuenimus, & honore, quanto plenius ſciuimus ipſos a magnifico principe, & rege Chriſtianiſſimo fuiſſe tranſmiſſos: cui vtique omnem, quam cum Deo poſſumus, gloriam cupimus & honorem, & ad cuius incrementum modis omni-

bus,quibus honeſte poterimus,nos & fratres noſtri ac tota eccleſia quanto deuotiſſimæ ſinceritatis tuæ affectum in maiori ſumus neceſſitate experti, tanto ardentius intendimus aſpirare. Non enim tuæ deuotionis inſignia, nobis tempore tam opportuno exhibita, a noſtra in poſterũ memoria vlla poterit ratione diuelli, vel in conſpectu eccleſiæ aliqua deſuetudine inumbrari. Petitiones quoque tuas, quas nobis per iam dictos nuntios tuos miſiſti, in quibus cum Deo & honeſtate noſtra potuimus, ſicut iidem magnificentiæ tuæ nuntii viua voce plenius enarrabunt, curauimus executioni mandare. Perſonas ſiquidem de latere noſtro, iuxta quod rogaſti, licet nobis grauiſſimum ac difficillimum hoc tempore maxime videatur aliquos a nobis emittere,cum fratrum noſtrorum,& eorum præſertim, quos tu deſideras præſentia & conſilio opus habeamus, illius tamen recolendæ ac magnificæ deuotionis tuæ, vt diximus, non immemores exiſtentes, ad ſublimitatis tuæ præſentiam duximus deſtinandas cum plenitudine poteſtatis, eccleſiaſticas cauſas, quæ inter te & venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Cantuarienſem hinc inde vertuntur, & illam quæ inter eumdem archiepiſcopum & epiſcopum regni tui ſuper appellatione ad nos facta mouetur, nec non alias cauſas terræ,quas nouerint expedire,cognoſcendi iudicandique,&,prout ſibi Dominus adminiſtrauerit, canonice terminandi. Eidem quoque archiepiſcopo, ne te aut tuos, ſeu regnum gubernationi tuæ commiſſum, donec cauſæ illæ debitum ſortiantur effectum, in aliquo grauare, vel turbare,aut inquietare attentet,omnimodis inhibemus: verum ſi præfatus archiepiſcopus in te aut regnum tuum, vel perſonas regni,interim aliquam ſententiam tulerit, nos eam irritam eſſe, & non te tenere cenſemus. Ad indictionem autem huius rei, & argumentum noſtræ voluntatis, literas præſentes, ſi articulus ingruerit neceſſitatis, oſtendas. Alioquin ſerenitatem tuam rogamus, & attentius commonemus, vt literas ipſas, aut earum tenorem, a nullo ſciri permittas, ſed eas habeas omnino ſecretas. Illos autem familiares, & conſiliarios tuos, quos iam dictus archiepiſcopus ſententiæ excommunicationis ſubiecit, perſonæ de latere noſtro tranſmiſſæ, Domino auctore, abſoluent. Si autem aliquis illorum

interim metu mortis laborauerit, præstito secundum ecclesiæ consuetudinem iuramento, quod nostro, si conualuerit, debeat parere mandato, ipsum ab aliquo episcopo, vel religioso, & discreto viro, absolui concedimus.

EPISTOLA XXXI.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Suspensionem suæ commissionis apostolicæ reuocat.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & dilectionem apoſtolicam.

Ad discretionis tuæ notitiam credimus peruenisse, qualiter illustris rex Anglorum Henricus nobis nuntios suos direxit, & quam dura & aspera, & quæ nostrum animum plurimum affligebant, per eos a nobis petierit, terribiles minas prætendens, nisi voluntati eius condescenderemus. Nos vero, quia nondum persecutio ecclesiæ cessauit, nec temporis serenitas adhuc nobis, sicut expediret, arrisit, impetum & motum animi sui, etsi non exaudiuimus petitiones suas, mitigare curauimus, & temperare, illo timore perculsi, ne ad impediendam & disturbandam pacem ecclesiæ se (prout olim fecit) tyranno & flagitioso inimico ecclesiæ, Friderico videlicet imperatori, aliquo fœdere societatis adiungeret, vel materiam haberet ab ecclesia & nostra deuotione recedendi. Inde est, quod nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio, fraternitati tuæ, sub certa quasi spe & fiducia, quod te in gratiam suam recipiat, & Cantuariensem ecclesiam in tua libera dispositione dimittat, per apostolica scripta mandauimus, vt nec in ipsum, nec in personas regni, aut in regnum, interdicti, seu excommunicationis, vel suspensionis sententiam debeas promulgare, nisi alias nostras literas reciperes, in quibus, si idem rex nollet tibi gratiam suam reddere, facultatem habeas in eum & suos officium tuum exercendi. Quapropter, quia tibi tamquam fratri carissimo, & ecclesiæ tuæ proprium

honorem & libertatem cupimus omnibus modis conſeruare, niſi (quod ſperamus, & ei propoſuimus) vſque ad initium proximæ quadrageſimæ effectui mancipauerit, ſed in ſua fuerit obſtinatione induratus, tibi extunc auctoritatem tuam reſtituimus, vt tam in perſonas, quam etiam in regnum, & in ipſum regem, ſi tibi & eccleſiæ tuæ congruere & expedire cognoueris, facultatem liberam habeas debitum officii tui, ceſſante omni appellationis obſtaculo, exercendi, grauitate ac maturitate pontificali adhibita, quam conuenit adhiberi.

EPISTOLA XXXII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD SOLDANVM ICONII.

Ipſum baptizari cupientem in fide inſtruit.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei Soldano Iconii veritatem agnoſcere, & agnitam cuſtodire.

Ex literis tuis, & nuntiorum tuorum fideli relatione cognouimus, quod in votis habeas ad Chriſtum conuerti: cumq; iam receperis, vt audiuimus Pentateuchum Moyſi, prophetiam Iſaiæ, & Ieremiæ, Pauli etiam epiſtolas, atque Ioannis euangelium & Matthæi, poſtulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum, per quem in lege Chriſti quaſi vice noſtra plenius * inſtruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimum in Domino commendabili grato * concurrentes aſſenſu, tales excellentiæ tuæ procurabimus deſtinare, qui apud te in doctrina ſana, & ſalutaribus monitis, * vices apoſtolicæ auctoritatis ſuppleant: quorum etiam mores & merita ab honeſtate & munditia eruditionis euangelicæ non diſcordent. Quoniam vero noſtræ fidei * ſeriem & tenorem literis tibi ſupplicas aperiri, nos tuis congratulantes deſideriis, illam ſub quodam compendio, & quaſi digito tenus, intimamus. Illud igitur pie credas, & fideliter teneas, quod vnus eſt Deus, ſic tamen vt in aſſignatione deitatis ſit vnitas in ſubſtantia & trinitas in perſonis. Eſt enim Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus: ſed Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnum ſunt. Eſt autem ea diſcretio in perſonis, vt nec Pater ſit Filius, nec

* al. informeris.

* al. occurrentes

* al. vicē

* al. ſeriē quamdā

Tres perſonæ in diuinis & vna eſſentia.

Filius sit Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus sit Pater, aut Filius. Res quidem difficilis est intellectu, & aciem rationis humanæ transcendit, sed tanto elegantius habet * fidei meritum, quanto difficilior est ad credendum. Porro licet nihil inuenire possimus, quod expressam habeat vnitatis, quæ in Deo est, summæ Trinitatis imaginem, nec verba etiam inueniamus, quibus possimus de summa illa essentia digne loqui, quod possumus tamen faciemus, & quasi balbutientes per verba rebus accommodata transitoriis rem tibi ineffabilem aperiemus. Paulus apostolus dicit, quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Vide ergo, mentem hominis, corpusque solare considera; & videbis qualitercumque, licet tenuiter, & quasi oculo conniuenti, quamdam similitudinem Trinitatis. Est in mente hominis intelligentia, memoria, & voluntas. Mentem autem vocamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem: memoria, intelligentia & voluntas sunt vna mens, sed nec memoria est intelligentia vel voluntas. In eodem corpore solis radium video, sentio calorem, & agnosco splendorem: hæc tria vnius essentiæ sunt; nullum tamen eorum est alterum. Sic & in illa ineffabili & incircumscriptibili gloria deitatis est Filius a Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque. Cumque Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, eiusdem substantiæ, eiusdem potentiæ & gloriæ sint, non sunt tamen tres dii, sed in tribus personis sunt vna substantia, & vnius potentiæ, & in vna substantia tres personæ. Hæc fidei nostræ professio, non tantum a Christo & eius sequacibus traxit exordium, sed a Moyse & patriarchis atque prophetis suum habuit fundamentum. In libro Moysi diuinæ essentiæ vnitas declaratur, vbi dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.* Et iterum: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxite de terra Ægypti, non erunt tibi dii alieni præter me.* Pluralitatem vero personarum ibi patenter insinuat, vbi dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cum enim Verbum sit Filius Dei, sicut Ioannes, cuius euangelium recipis, protestatur, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum*

* al. filio

Trinitas comparata animæ & Soli.

Trinitas ex veteri testamento probata.

Deut. 6.

Deut. 5.

Gen. 1.

Ioan. 1.

factum est nihil. Vides quod ad Filium & Spiritum sanctum Patris sermo dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicat: *Faciamus*, & *Nostram.* Per Verbum enim & Spiritum sanctum Dominus Deus operatus est vniuersa. Sicut Dauid propheta commemorat: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem etiam propheta mysterium Trinitatis eleganter insinuat, vbi ter hoc nomen, Deus, in eodem versiculo repetit, & inculcat dicens: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Prænominatus Ioannes in epistola sua canonica dicit: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Isaias etiam propheta, quem recipis, se audisse testatur Seraphin clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth.* Quare tertio replicat, *Sanctus*, nisi vt in Domino Deo exercituum Trinitatem insinuet personarum? Est itaque in summa ac beatissima Trinitate Pater, qui Filium genuit, Filius qui genitus a Patre, Spiritus sanctus, qui progreditur ab vtroque. Nec in illa genitura vel processione damnum resectionis vel imminutionis passa est in Patre vel Filio diuina substantia. Sicut enim lumen a lumine sumitur sine imminutione luminis a quo sumitur, sic æqualis a Patre Filius, & vtrique coæqualis procedit ab vtroque Spiritus sanctus. Modum tamen genituræ aut processionis huius humana ratio non attingit. Vnde cum Isaiæ de Filii generatione constaret, modum tamen generationis inenarrabilem esse sciens; *Generationem*, inquit, *eius quis enarrabit?* Dauid propheta in persona Filii de hac generatione sic loquitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Filius etiam Dauid Salomon, quem Deus scientia & intellectu mirabiliter illustrauit, in persona Christi, *Qui est*, sicut Paulus dicit, *Dei virtus & Dei sapientia*. In libro Sapientiæ (si tamen eum recipis) ita dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret: necdum erant abyssi, & ego concepta eram. Quando præparabat cælos, aderam. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta disponens.* Apostolus etiam Paulus Spiritui sancto, imo toti Trinitati, testimonium perhibet, dicens: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* Et alibi: *Si spiritus eius, qui Iesum suscitauit, habitat in vobis, viuifi-*

Pſal. 32.

Pſal. 66.

1. Ioan. 5.

Iſa. 6.

Spiritus sanctus a Patre & Filio procedit.

Iſa. 53.

Pſal. 2.

1. Cor. 1.

Prou. 8.

Trinitas probata ex nouo testamento.

Gal. 4.

Rom. 8.

cabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Si Christi testimonium de vnitate essentiæ & personarum Trinitate desideras, ipse in euangelio
Ioan. 10. dicit: *Ego & Pater vnum sumus.* Christus etiam discipu-
Matth. 28. lis suis dicit: *Ite, baptizate omnes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Cum igitur homo perdidisset propter inobedientiam paradisum, & infernales miserias perpetuo meruisset, missus est a Patre Filius; dignumque fuit vt mitteretur Filius, & non Pater. Cum enim a nullo esset Pater, & Filius ab aliquo, erat conuenientius vt haberet in tempore matrem, qui ab æterno habuerat Patrem. Cum
Psal. 7. enim scriptum esset in psalmo Dauid: *Non est qui redimat,*
Psal. 13. *neque qui saluum faciat: non est qui faciat bonum, non est vs-*
Psal. 48. *que ad vnum:* non est qui det placationem pro anima sua,
Filii Dei incarnatio probatur. nedum pro aliena: missus est a Deo Patre Filius, vt homo pro homine moreretur, & pro homine captiuo tributum mortis tamquam homo exolueret, eumque tamquam Deus cælesti potestate redimeret. Eius aduentum desiderauerant patriarchæ, prædixerant prophetæ, atque illinc dilationem impatientius sustinentes querela * continua
Eccl. 36. dicebant: *Quando veniet? quando videbimus? Da Domine mercedem sustinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur. Vtinam,* dicit Isaias, *Domine, dirumperes cælos, & ve-*
Isa. 64. *nires.* Et Dauid: *Domine inclina cælos tuos, & descende.*
Psal. 143. Sed &, teste Isaia, angeli pacis præ dilatione nostræ salutis amare flebant. Idem vero Isaias de Christi natiuitate manifestius loquens; *Ecce,* inquit, *virgo concipiet, & pariet Fi-*
Isa. 7. *lium; & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Cum autem Maria de Iesse originem traxerit, idem propheta natiuitatem Mariæ, & per Mariam Christi, atque plenitudinem gratiæ spiritualis in Christo manifeste declarat, dicens: *E-*
Isa. 11. *gredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ &*
Beata Maria manfit virgo in partu. *pietatis; & replebit eum Spiritus Domini.* Natus est itaque Filius Dei de virgine incorrupta, sicut plasmatus est primus Adam de tera virgine & inuiolata, Spiritu sancto in ea operante, nostræque salutis negotium ineffabiliter procurante. Abyssus enim inscrutabilis est incarnationis dominicæ sacramentum. Plurima tamen antiquis patribus

* al. continuata

acciderunt, in quibus huius natiuitatis figura præceſſit. Quod enim vellus Gedeonis rore cæli *complutum eſt, cum area circumquaque arida remaneret, ros Spiritus ſancti deſignatur in Virgine, quæ ad hoc propter humilitatem ſuam ſpecialiter & ſingulariter eſt a Domino præelecta. Cui Pſalmiſta concordat, dicens: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* Quod Moyſi ignis in rubo apparuit, & non eſt rubus corruptus igne, virginitatis integritas in Maria monſtratur. Quod virgis aliarum tribuum remanentibus ſiccis, virga Aaron, de cuius ſtirpe beatiſſima traxit originem, fronduit, & floruit, flos in virga Ieſſe, quem vaticinauerat Iſaias, partum ſcilicet incorruptæ virginis indicauit. Cum inimici Dei eſſemus, per aduentum Chriſti reconciliati ſumus, ſicut propheta prædixerat: *Et pax*, inquit, *erit in terra, cum venerit:* ideoque angeli in ipſius natiuitate glorioſæ pacis canticum cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Noua etiam ſtella Magis apparuit, atque hiſtoriarum teſtimonio Romæ fons olei de terra fluxit in Tiberim. Templum etiam olim Romæ conditum, quod idola non ruiturum prædixerant, donec Virgo pareret, eadem nocte funditus corruit. Probatica quoque piſcina, quæ Hieroſolymis erat, ad aduentum angeli moueri, & ſanitates conferre tunc cœpit. Vehementiſſime nobis nocuit vetus Adam, ſed plus profuit nouus. Amplius nobis contulit huius humilitas, quam ſuperbia iſtius abſtulerit. Nam, Paulo apoſtolo teſte, *Non ſicut delictum, ita & donum:* damni enim æſtimationem beneficii magnitudo tranſcendit. Quem prius habuimus terribilem *Dominum & iudicem, nunc habemus humilem fratrem & proximum. Chriſtus itaque curſum noſtræ mortalitatis tranſigens in fame & ſiti, in laſſitudine & dolore, & in vniuerſis miſeriis huius vitæ, demum traditus a diſcipulo, & tamquam vile mancipium venditus, flagellatus, conſputus, ſpinis coronatus, illuſus, clauis affixus ſtipiti, & morte turpiſſima condemnatus, quæ non rapuit ſoluit, & ſponte morti ſe offerens, omnia in humilitate ſuſtinuit, ſicut *Iſaias aliquando prædixit. *In humilitate*, inquit, *iudicium eius ſublatum eſt. Sicut agnus ad occiſionem ductus eſt, & ſicut ouis coram tondente ſe ſic non aperuit os ſuum.* Qui ergo puerulus a iuſto Simeone

*al. complerum

*al. Deũ & iudicem,

*al. Iſaias commemorat,

Ind. 6.

Pſal. 71.

Exod. 3.

Num. 17.

Hebr. 9.

Mich. 5.

Luc. 2.

Matth. 2.

Euſebius in chronico.

Petrus Damiani in homil. apud Sur. tom. 6.

Vide notas ſerm. 1.

Ioan. 5.

Paſſio Chriſti.

Iſai. 53.

Act. 8.

Luc. 2. semel oblatus fuerat in templo, in vespera legis & fine ceremoniarum pro redemptione nostra in Cruce manus suas
Psal. 140. leuauit ad Patrem, iuxta illud Dauidicum: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sic reatus, quem Adam per superbiam ligni delectatione contraxerat, mortis amaritudine per humilitatem Christi sublatus est, fusoque sanguine sine culpa omnium culparum chirographa sunt deleta. Alium siquidem redemptionis modum poterat Dominus procurasse, sed nullus suæ benignitati nostræque saluti congruentior occurrebat. Cum enim homo iuxta suæ præuaricationis exigentiam captus a diabolo teneretur, postulabat iustitia, vt non eriperetur per violentiam, sed qui per superbiam lapsus est, sua, si posset; sed quia sua non poterat, aliena saltem humilitate resurgeret. Ita Christus innocens, quem agnus paschalis in lege signauerat, se pro nobis hostiam obtulit salutarem. Cumque
Leuit. 4. lex Moysi capram vel ouem constituisset precium ad redemptionem hominis a peccato, Christus, per quem gratia & veritas facta est, attendens vmbratiles legis ceremonias non sufficere ad salutem, hominisque æstimationem pluris faciens, quam ouis, hirci, aut vituli, sanguinem & mortem suam pro nostra salute obtulit, & sic semel in sancta summus & verus pontifex introiuit æterna redemptione inuenta. Aperuit itaque librum, & soluit signacula eius leo de tribu Iuda, & quod hostiæ legales non potuerunt, gladium amouit versatilem, & paradisi, qui omnibus antiquis clausus fuerat, reserauit ingressum: sic enim olim in morte summi pontificis solet his, qui ad ciuitates refugii confugerant, securus ad propria reditus indulgeri. Olim consueuerat homo causari, & dicere, Cur exigit a me Dominus amplius, quam a ceteris creaturis? Quid pro me fecit? Quid pro me laborauit? Dixit, & factus sum: sicut iumenta, & arbores, & cetera vniuersa, sic suæ potentiæ nutu, soloque iussionis arbitrio, me creauit. Sed iam obstructum est os loquentium iniqua. Nam homini dissimulare non licet, quanta pro eo Dominus fecerit, qui vt seruum redimeret, proprio Filio non pepercit. Porro in redemptione hominis laborem & dolorem inuenit, quia famem, sitim, fatigationem, insidias, opprobria, flagella, coronam spineam, clauos & lanceam, ignominiam Crucis,

Cur Christus per passionem nos redemerit.

Hebr. 9. Apocal. 5. Gen. 3. Exod. 35.

& mortis anguſtiam pro noſtra impietate, & pro ſua pietate, pro noſtra neceſſitate, & pro ſua humilitate ſuſtinuit. *Nonne ergo Deo ſubiecta erit anima mea? Nonne omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* vt non ceſſet de cetero ab ore & corde meo gratiarum actio & vox laudis? Quomodo potuit ſapientia Dei mecum miſericordius agere, aut me ad ipſum diligendum dulcius & efficacius inuitare? Præterea iuſtorum animæ, quæ quantum ad prærogatiuam originis, non multum a cæleſtium ſpirituum dignitate degenerant, omnes ad inferos deſcendebant; decebatque, vt Deus quandoque memor ſuæ imaginis eſſet, atque iuxta ſuorum præconia prophetarum de animabus electis iacturam caſus angelici repararet. Sic in hac noſtræ ſalutis diſpenſatione dilectio Chriſti nobis medullitus * intimata eſt, qui cum in lege Moyſi nobis dilectionem Dei & proximi dederit in mandatis, eamdem in ſchola euangelicæ diſciplinæ frequentius & fortius verbis, & tandem exhibitione operis inculcauit: *Maiorem enim caritatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Dedit itaque materiam diligendi ſe, qui in ſuis dilectionibus nos præuenit: nec aliud a nobis exigit, niſi vt ipſum diligamus ex corde. Sane inhumanus eſt, & crudelis, qui miſericordiam eius non recolit, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligit, qui ſe pro eo, ſi opus eſt, mortis periculo deſiderabiliter non exponit. Chriſtus autem mortuus & ſepultus tertia die reſurgens a mortuis, ſicut diſcipulis * viuendo prædixerat, eiſdem poſtea frequenter apparuit, & cum ipſis loquens & comedens, oſtenſis vulneribus manuum, pedum ac lateris, in cordibus quorumdam, qui adhuc hæſitabant in fide, oſtenſione vulnerum vulnus dubitationis amouit. Quadraginta itaque diebus cum eis viſibiliter conuerſatus, * eiſdem comitantibus, venit in montem Oliueti, & videntibus illis eleuatus eſt, & aſcendit ad Patrem: vbi eum eſſe in Patris dextera credimus, atque in communi reſurrectione ipſum viuorum & mortuorum iudicem expectamus. Vt igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus voluit & debuit ad horam mori, quia homo, potuit & debuit poſt mortem reſurgere: vt qui hominem ſuperauerat diabolus, ab homine ſuperaretur, & ſuperatus confunderetur. Erubeſcant infi-

Pſal. 61. Pſal. 34.

Iuſti ad inferos olim deſcendebant.

*al. intimatur.

Ioan. 15.

*al. viuus prædixerat.

Act. 1.

*al. eiſdē recumbentibus,

Chriſtus cur fuerit Deus & homo.

deles & præuaricatores, qui inordinate in hæc prorumpunt deliramenta. Si Christus Deus fuit, quomodo potuit mori? si homo, quomodo resurgere? Fuit nempe Deus & homo, quia homo debuit mori; quia Deus, potuit resurgere. Vtile quoque nobis fuit, quod sub iniquo iudice sponte mori dignabatur, valuit & voluit resurgendo mortem superare. Et sicut diabolus per suos ministros in Dominum suum manus ausu temerario iniecit violentas, ita iuste ac iudicialiter dominium & tyrannidem, quam in hominem exercuerat, amisit in æternum: & hoc modo competenti, qui hominem vicerat, ab homine vincebatur, & qui in ligno superauerat, in ligno scilicet Crucis potenter & prudenter superatus fuit a Deo & homine Christo Iesu: vt quasi frater ab homine amaretur, & quasi Deus timeretur. Ceterum necessarium fuit vt ille idem, qui nos creauit, & nos recrearet; qui nos fecit, redimendo reficeret, ac perditos repararet: ne vnum Deum tamquam creatorem obligaremur adorare, & alium redemptorem venerari teneremur, & ita duobus dominis famulari. Et quod Filius non Pater, non Spiritus sanctus incarnaretur, necesse fuit & conueniens: quia Filio assimilari præsumpsit homo, scilicet Adam, aspirans & volens scire bonum & malum, vt Deus. Videbatur igitur Filius esse in causa, sicut sanctitas Abel inuidiæ Cain, & sic mortis ipsius, Dixit igitur Filius noster quasi Ionas, cum ait: *Ego sum qui peccaui, proiicite me in mare*. Non sufficit exile sacrificium & holocaustum ad tanti sceleris, quod patrauerat homo, expiationem. *Ecce venio, ego ipse venio, quia in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam:* ecce adsum immolandus. Iterum, si tantum negotium, scilicet hominis redemptio, angelo committeretur, non esset tutum: quia in Lucifero superbia angelum reddidit infamem & suspectum: si homini, non foret similiter securum, cum primum hominem, scilicet Adam inobedientia culpabilem merito condemnauit. Angelus insufficiens, homo deficiens; vnus imbellis, alter imbecillis. Conuenienter igitur procuratum est, vt homo hominem adiutus numinis adminiculo a diaboli faucibus liberaret, ne tam arduum, tam nobile commercium vacillaret, imo potius irrefragabilius finem prosperum sortiretur: & ordo

Ion. 1.

Psal. 39. Hebr. 10.

Cur angelum non assumpserit Deus.

angelicus, qui per lapsum Luciferi & suorum complicum fuerat mutilatus, feliciter restauraretur. Magna igitur, & omni laude digniſſima fuit mater & virgo Maria beatiſſima, quæ tantum Dei & hominis mundo edidit mediatorem, & nostrum parere meruit Saluatorem: quæ inter omnes, quas mundus habuit, mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione, iuxta verbum angeli; imo Dei per angelum, vt plena, non semiplena gratiæ esse probaretur: & Deus Filius eius antiquum, quod pridem docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet patrem & matrem honore præuenire: & ne caro Christi virginea, quæ de carne matris virginis assumpta fuerat, a tota discreparet. A prædictis igitur Christianæ fidei capitibus venerabile surgit in celsa culmina fundamentum. Hæc est catholicæ religionis scala, per quam homini datur ascendere ad æternæ patriam claritatis. Si ergo habes in desiderio de tenebris prodire in lucem, amplecti saluberrimam Christi legem, Christianæ conuersationis primitias baptismali lauacro necesse est consecrari: quatenus deposita in aquis regenerationis peccati vetustate, in nouam animæ innocentiam & vitæ infantiam renascaris, vt illius gloriæ cælestis particeps efficiaris, quam auris non audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit: tam copiosa, vt non possit annullari; magna, vt non possit comprehendi; multa, vt non possit numerari; preciosa, vt non possit æstimari; diuturna, vt non possit terminari, quam repromisit Deus diligentibus se, & sua sequentibus vestigia pedetentim. Vale, & viue; & viuat in te Christus.

Laudet beatæ Mariæ virginis.

EPISTOLA XXXIII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD ROGERIVM ARCHIEPISCOPVM EBORACENSEM.

Inhibet illi ne coronet filium regis, cum id debeatur Cantuarienſi.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei, &c.

QVONIAM ad audientiam noſtram multorum iampridem relatione peruenit, quod coronatio regum Angliæ & inunctio ad Cantuarienſem archiepiſcopum de antiqua eccleſiæ ſuæ conſuetudine & dignitate pertineat, fraternitati veſtræ præſentibus literis auctoritate apoſtolica diſtrictius inhibemus, vt ſi illuſtris rex Anglorum filium ſuum, dum venerabilis frater noſter Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus in exilio fuerit, coronari voluerit, & in regem inungi, nullus veſtrum ei manum imponere præſumat, aut ſe exinde aliquatenus intromittere audeat. Quod ſi quis veſtrum attentare præſumpſerit, id in periculum officii & ordinis ſui nouerit procul dubio grauiter redundare. In his vero appellationis remedium volumus denegari, & omnem malignandi occaſionem excludi. Datum apud Ciſuinarium quarto Kalendas Martii.

EPISTOLA XXXIV.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

Propter coronationem Henrici a diuinis ſuſpenditur, &c.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei, &c.

CVM filium ſuum rex veſter coronari voluerit, contempto Thoma Cantuarienſi archiepiſcopo, ad cuius officium de antiquo iure dignoſcitur pertinere, per manum tuam, frater archiepiſcope in aliena prouincia diadema regni ei fecit imponi. In coronatione vero illius, nulla ex more de conſeruanda eccleſiæ libertate cautio

iura-

iuratoria est præstita, nec (sicut aiunt) a vobis exacta: sed potius iuramento asseritur confirmatum, vt regni consuetudines iniquæ, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatæ debeant omni tempore conseruari. In quo etsi multum prænominati regis vehementia nos conturbat, amplius tamen de vestra & aliorum coepiscoporum vestrorum possumus infirmitate moueri, qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem subsequentis. Et si forte hoc licere tibi, frater archiepiscope, in propria potuisset prouincia, quomodo tamen in aliena & illius præcipue qui exulare pro iustitia & solus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione possumus, nec de sanctorum patrum constitutionibus inuenire. Vnde & post tam iniquas consuetudines iuramento firmatas, non adieciſtis sumere scutum fidei, vt staretis pro domo Domini in die prælii. Ne autem, si diutius tacuerimus, vna vobiscum in die iudicii damnationis sententia inuoluamur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, cui auctore Deo ministramus, ab omni vos officio episcopalis suspendimus dignitatis.

EPISTOLA XXXV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GILBERTVM EPISCOPVM LONDONIENSEM.

Alexander seruus seruorum Dei, &c.

QVÆ causa venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum, & sedis apostolicæ legatum, a sua sede exulare compulerit, non oportet præsentibus annotare: quoniam & vos præsentialiter aspexistis, & id per totam fere occidentalem ecclesiam fama celebris diuulgauit. Cum autem piæ memoriæ Theodbaldus Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor huius archiepiscopi, Anglorum regi coronam imposuerit, ac per hoc Cantuariensis ecclesia quasi possessionem huius dignitatis habuerit, vos nunc noui regis coronationi, archiepiscopo non præmonito, in eius prouincia ministerium præbere (literis apostolicis id prohibentibus) præsumpsistis: & qui releuare eius exilium qualibuscumque solatiis

debuistis, aggrauastis potius causam eius, & super dolorem vulnerum eius (quod mœrentes dicimus) addidistis. In quo facto, si contra personas vestras, non quantum culpa exigit, moueamur, pertransire tamen hoc sub silentio non debemus, ne forte, quod Dominus auertat, & nos & vos sententiæ diuinæ severitatis addicat, si ea quæ in ecclesiis omnium perperam acta sunt neglexerimus vindicare. Noueritis itaque vos tamdiu ab episcopali officio commissa nobis a Deo auctoritate suspensos, donec ad sedem apostolicam de tanto excessu satisfacturi accedatis, nisi præfato archiepiscopo ita satisfacere curaueritis, vt pœnam istam ipse iudicet relaxandam.

EPISTOLA XXXVI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM EPISCOPVM SENONENSEM APOSTOLICÆ SEDIS LEGATVM.

Purgat calumniam illam, qua dicebatur suo mandato Londonienſem episcopum absolutum esse.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio Vvilielmo episcopo Senonensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

LITERAS quas nobis super negotio venerabilis fratris nostri Cantuarienſis archiepiscopi deuotio tua transmisit, gratanter admisimus, & eas diligenter curauimus ac studiose audire. Verum quoniam Londonienſis episcopus ad nos nequaquam accessit, nihil de causa sua statuimus. Sed si ad nos veniſſet, nos iam dicto archiepiscopo, Cantuarienſi videlicet, quantum salua conscientia nostra fieri posset, suam iustitiam studeremus conseruare. Qualiter autem in causa ista processimus, ei iam ex parte, nec non & cariſſimo in Christo filio nostro Ludouico illustri Francorum regi, (sicut tibi viua voce iniunximus) satis credimus innotuisse. Nos enim nihil inde post discessum tuum mutauimus, nec in posterum duximus immutandum, licet præfatus Anglorum rex nos exinde per consules Lombardiæ, qui vna cum nuntio coram nobis præsentes erant, nec non & per nuntios cariſſimi in Christo filii nostri Manuelis illustris Constantinopolitani imperatoris instantissime

solicitaret, vt ei tempus deberemus aliquantulum prolongare. Et quoniam ipsius archiepiscopi causam nostram & ecclesiæ reputamus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus venerabiles fratres nostros Rothomagensem archiepiscopum & Niuernensem episcopum super diligenti ac festinanti executione præcepti nostri studiose commoneas, & viua voce vel literis, si vtrumque non poteris præsentem habere, instantius exhorteris. Quod si adhuc in negotio illo nullatenus processerunt, tu ipsos ex parte nostra durius increpes, & grauius redarguere non omittas. Si autem eos in prælibati regis terram sententiam interdicti iuxta præceptum nostrum proferre contigerit, tu eam per eiusdem regis terram, quam in tua prouincia habere dignoscitur, omni excusatione & appellatione remota, firmam & inconcussam obserues, & ab omnibus facias, quantum in te est, irrefragabiliter obseruari.

EPISTOLA XXXVII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Alteram calumniam, qua dicebatur mandato pontificis filium regis ab Eboracensi archiepiscopo coronatum esse, diluit.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio, &c.

VIRTVTIS & fidei constantiam & fortitudinis animum, quem pro libertate ecclesiæ tuæ conseruanda induisse cognosceris, studiosius attendentes, tibi tamquam fratri carissimo, super his quæ ad conseruationem & augmentum ecclesiæ tuæ spectare noscuntur, libenti animo consilium & auxilium impendimus, & contra eos, qui iura & dignitatem eiusdem ecclesiæ minuere vel perturbare nituntur, apostolicæ tuitionis præsidium diligenti studio volumus ministrare. Audiuimus autem & certa relatione comperimus, quod Eboracensis archiepiscopus contra prohibitionem & interdictum nostrum Henrico filio illustris Anglorum regis in prouincia tua coronam imposuit. Quia vero ex hoc iuri & dignitati ecclesiæ tuæ immoderate asseris & enormiter derogatum, nos in hac parte tam

tibi quam ecclesiæ prouidere volentes, auctoritate apostolica statuimus, vt factum prædicti archiepiscopi vobis nulla ratione præiudicium possit in posterum generare, quo minus ius coronationis & inunctionis regum Angliæ possessionaliter habeatis, sicut antecessores tui & eadem ecclesia a quadraginta annis retro habuisse noscuntur.

EPISTOLA XXXVIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPVM ET HVGONEM DVNELMENSEM EPISCOPVM.

De prædicta coronatione.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Rogero Eboracensi archiepiscopo, & Hugoni Dunelmensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

LICET commendabiles & grati nobis in plurimis existatis, & sinceræ vos complectamur brachiis caritatis, propter hoc tamen non debemus omittere, quin ea quæ perpetrata & incorrecta generant mortem & requiramus in vobis, & zelo rectitudinis corrigamus: dicente Domino per prophetam: *Si loquente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris; ipse quidem in peccato suo morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ezech. 3. Depressio siquidem Anglicanæ ecclesiæ, & diminutio libertatis illius, quæ per regem vestrum, siue proprio motu, siue potius alius, aliis suggerentibus, facta dignoscitur, plurimum iampridem animum nostrum afflixit, & non modicum nobis solicitudinis & doloris ingessit. Cum enim oportuerit eum de corrigendis his, quæ ab antecessoribus suis male commissa fuerant, cogitare, ipse potius præuaricationibus præuaricationes adiiciens tam iniqua constituta sub regiæ dignitatis obtentu & posuit & firmauit, sub quibus & libertas perit ecclesiæ, & apostolicorum virorum statuta, quantum in eo est, suo robore vacuantur. Nec credidit debere sufficere, si sub eo diuinæ leges in regno Angliæ silentium & vacationem susciperent, nisi peccatum transmitteret ad heredes, & longo tempore faceret suum regnum sine ephod

& sine superhumerali sedere. Inde fuit quod illas iniquas vsurpationes absque vlla exceptione vestro & aliorum fratrum & coepiscoporum vestrorum iuramento fecerit firmare, & plectendum iudicauit vt hostem, quicumque vellet ab iniquis illis constitutionibus dissentire. Indicat hoc venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi exilium; demonstrat & hoc clericorum & consanguineorum eius, illorum etiam, qui adhuc pendentes ab vberibus matris vagiebant in cunis, miseranda proscriptio. Et metus mortis incutitur, si ad hoc cuiusquam animus erigatur, vt contra statuta illa diuinis velit legibus obedire. Nos ipsi, quorum iudicio præuaricationes illæ corrigendæ fuerant aut plectendæ, ad confirmationem illarum sub occasione temporis impacati multa fuimus instantia prouocati, & laboratum est exactione non modica, vt vsurpationibus illis, cum nondum nobis expressæ fuissent, auctoritatis conferremus apostolicæ confirmationem; & hoc quidem a principio.

Processu vero temporis, exulante pro debito pastoralis officii iam dicto archiepiscopo, & consuetum Romanæ ecclesiæ subsidium ab officio nostro sæpius requirente, misimus ad iam dictum regem de melioribus & maioribus fratribus nostris; misimus & alias ecclesiasticas personas, & putauimus quod duritia eius in nostra humilitate & mansuetudine frangeretur, & fieret quod Salomon dicit: *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis frangit iram.* Ipse vero sufferentiam nostram multiplici legatorum arte deludens, vsque adeo contra monita nostra videtur animum obdurasse, vt nec contra prænominatum archiepiscopum deferueat, nec de peruersis statutis illis quidquam minui patiatur: imo & ipsam Cantuariensem ecclesiam plurimo detrimento possessionum suarum afficiat, & in ipso eam ecclesiastico ministerio antiqua spoliet dignitate. Nuper enim, cum filium suum coronari voluerit, contempto eodem archiepiscopo, ad cuius hoc officium de antiquo iure dicitur pertinere, per manum tuam, frater archiepiscope, ei in aliena prouincia diadema regni fecit imponi. In coronatione autem illius nulla ex more de conseruanda ecclesiæ libertate cautio est præstita, vel, sicut aiunt, exacta; sed iuramento potius asseritur confirmatum, vt

Prou. 25. Ibid. 15.

regni consuetudines, quas auitas dicunt, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatas debeat omni tempore conseruare. In quo etsi multum prænominati regis nos vehementia conturbat, amplius tamen de vestra & aliorum coepiscoporum vestrorum possumus infirmitate moueri, qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem subsequentis. Etsi enim hoc tibi licere forte, frater archiepiscope, in propria prouincia potuisset, quomodo tamen hoc in prouincia aliena, & illius præcipue qui exulare pro iustitia & fere solus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuit, nec de ratione possemus, nec de sanctorum patrum constitutionibus inuenire.

Quod si ad excusationem tantæ præuaricationis quisquam obiiciat, in aliis quoque regnis grauia plurima & enormia perpetrari, in veritate possumus respondere, quod nullum adhuc regnum in tantum diuinæ legis contemptum inuenimus corruisse, vt scriptis & iuramentis episcoporum tam manifestas enormitates fecerit communiri. Nisi quisquam illud impudenter alleget, quod schismatici postmodum a fidelium communione præcisi inaudita & damnabili superbia commiserunt. Vn-
Habacuc 1. de quia iuxta verbum prophetæ, *A vobis iudicium egressum est peruersum*, in vobis factum est peruersum. Quid vltra omnes alias prouincias in vsurpationibus suis, & post tam iniquas consuetudines iuramento firmatas, non adieciſtis resumere scutum fidei, vt staretis pro domo Domini in die prælii, sed prostrauistis corpus vestrum in terram, vt per vos fieret via transeunti? Et ne, si diutius tacuerimus, vna vobiscum in die iudicii damnationis sententia inuoluamur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ, cui, auctore Domino, ministramus, ecclesiæ, ab omni officio episcopalis vos suspendimus dignitatis; sperantes quod sub disciplina saltem, & paterno verbere constituti, redire tandem ad cor, & de tuenda debeatis ecclesiæ libertate satagere. Si vero nec sic zelum episcopalis officii resumpseritis, nos adhuc, auctore Domino, quod nobis imminet faciemus. Vos videte, ne illud vobis dicatur, quod cuidam
Oseæ 4. dictum per prophetam dicitur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Nos enim, quia lo-

cum illius tenere (Deo, prout ipsi placuit, disponente) conspicimur qui a prædicatione verbi Dei nec verberibus poterat nec vinculis coerceri, non debemus sub ambigua expectatione pacis creditam nobis diuini verbi pecuniam in sudario reponere, & alligatam eam tamdiu conseruare, donec paulatim lucrandi hora occurrat, & creditor veniens de reddenda acerbe nos conueniat ratione.

EPISTOLA XXXIX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD SENONENSEM ET ROTHOMAGENSEM EPISCOPOS.

Vt efficiant sub pœna censurarum compleri pacem quam rex Angliæ verbis promisit.

Alexander seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Senonensi & Rothomagensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem.

FRATERNITATI vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus infra viginti dies post harum susceptionem eumdem regem ex parte nostra diligenter conueniatis, commonere propensius & exhortari curetis, vt pacem, quam cum eodem archiepiscopo verbo tenus fecit, executione operis compleat. Nihil minus etiam eidem suggeratis, vt postmodum ablata omnia restituat, damna data resarciat, prauas & execrabiles consuetudines omnino præcidat. Si autem intra triginta dies post commonitionem vestram, pacem quam statuit, & promisit, consummare noluerit, in tota terra eius cismarina omnia diuina, præter baptismata paruulorum, & pœnitentias morientium, remoto appellationis obstaculo, prohibeatis officia celebrari, & sententiam ipsam vsque ad condignam satisfactionem faciatis inuiolabiliter obseruari. Quod si alter vestrum, aliqua necessitate obstante, huius rei executioni non potuerit interesse, (quod tamen nollemus, nec expediret) alter non minus id quod dictum est exequatur. Datum Anagniæ septimo Idus Octobris.

EPISTOLA XL.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

De censura in regem ferenda, nisi plenam pacem cum restitutione possessionum præstet.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & dilectionem apoſtolicam.

ANXIETATE cordis & amaritudine premimur, cum anguſtias, onera, & grauamina, quæ zelo iuſtitiæ, & pro libertate eccleſiæ manutenenda, æquo animo & inuicta fortitudine toleraſti, ad memoriam noſtram reducimus, & ſedula meditatione cogitamus. Verumtamen quod in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuiſti frangi in aduerſis, nec a tuæ conſtantiæ propoſito remoueri; tuam ſuper hoc commendamus admirandam virtutem, & tibi ſuper tanta patientia in Domino congaudemus. Ceterum, quoniam dilectum in Chriſto filium noſtrum Henricum illuſtrem Anglorum regem diutius in patientia & benignitate expectauimus, & blandis & dulcibus verbis, interdum duris & aſperis, vt ad ſeipſum rediret, ſæpe monuimus: ſi pacem, quam tecum fecit, executione operis non adimpleuerit, & tibi ac tuis & eccleſiæ tuæ poſſeſſiones & honores ablatos non reſtituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus in perſonas, & loca, quæ ad tuam legationem pertinent, excepta perſona regis, vxoris quoque, & filiorum ſuorum, eccleſiaſticam iuſtitiam, ſecundum officii tui debitum, nullius obſtante appellationis obſtaculo, exercendi; prudentia tamen & circumſpectione adhibita, quam modeſtia ſacerdotalis requirat. Datum Signiæ tertio Idus Octobris.

EPISTO-

EPISTOLA XLI.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD HENRICVM ANGLIÆ REGEM.

Eiusdem argumenti.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

COGNITO ex literis venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, quod ei, omni turbatione & rancore deposito, gratiam & amorem tuum restituisses, tanto lætitiam & gaudium concepimus, quanto id Deo gratum & magis acceptum existere, & tibi amplius honorificum, & tuæ considerauimus fructuosum saluti. Tanta enim eumdem archiepiscopum religione, prudentia, & honestate, & fidei virtute præeminere cognoscimus, quod ipsum tibi & regno tuo fidelem & deuotum existere, honori & incremento tuo pro viribus & posse & animo se intendere, & pro augmento gloriæ, & exaltationis tuæ fideliter & solicite vigilare non dubitamus. Ceterum, quoniam non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; & licet idem archiepiscopus pro patientia ac dilectione, quam erga te habet, hoc facere subticescat, nos tamen, qui salutem tuam summopere cupimus, id minime reticere debemus, nec tuam decet magnificentiam, quem Dominus ita magnum & potentem constituit, iura & bona Cantuariensis ecclesiæ retinere: regiæ serenitatis clementiam rogando monemus, & exhortamur attentius, quatenus exemplo Zachæi, de quo legitur in euangelio: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum:* prædicto archiepiscopo, & ecclesiæ suæ ablata restituere, damna & detrimenta, quæ illis intulisti, in breui studeas emendare, vt in eo quod deliquisti Deum sic possis placare, & nos tibi tantam offensam digne indulgere possimus, & idem archiepiscopus ad obsequium, & deuotionem tuam, ad augmentum honoris tui, & heredum tuorum debeat promptissimus inue- Luc. 19.

niri. Volentibus autem inter te & ipſum pacem reformari, benigno fauore acquieſcas. Quos vero huius diſſenſionis noueris hactenus fuiſſe incentores, de cetero non exaudias. Nihilo minus & filium tuum ſuper articulo iuramenti, quod prætermiſit, de ſeruando iure & libertate Cantuarienſis eccleſiæ, ſecundum quod reges & principes Angliæ feciſſe noſcuntur, eidem archiepiſcopo & eccleſiæ ſuæ condigne ſatisfacere moneas, & horteris, & quod prætermiſſum eſt facias adimplere. Ordinationes quoque eccleſiarum, & alia, quæ ad viros eccleſiaſticos pertinent, prædicto archiepiſcopo, & aliis viris eccleſiaſticis, tam tu quam filius tuus libere & pacifice relinquatis: vt ſic agendo hoſtiam laudis Domino digne immolare poſſitis, & vobis regnum comparare æternum.

EPISTOLA XLII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD BITVRICENSEM ARCHIEPISCOPVM, ET NIVERNENSEM EPISCOPVM.

Vt ipſi Londonienſem & Saresberienſem epiſcopos a Thoma excommunicatos abſoluant.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Bituricenſi archiepiſcopo, & Niuernenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRATERNITATI veſtræ non credimus eſſe incognitum, qualiter ſanctæ recordationis Thomas, quondam Cantuarienſis archiepiſcopus, de mandato noſtro in Londonienſem & Saresberienſem epiſcopum excommunicationis ſententiam promulgauit: quam vtique nos ratam habentes & firmam, eam auctoritate apoſtolica curauimus confirmare. Quia vero prædicti epiſcopi ſenio & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad præſentiam noſtram venire non poſſunt, vobis, de quorum prudentia & honeſtate confidimus, abſolutionem eorum, pro qua nuntii Henrici regis Angliæ & eorumdem epiſcoporum apud nos vehementius inſtiterunt, duximus committendam. Ideoque fraternitati ve-

ſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus infra menſem, poſtquam iidem nuntii ad propria redierint, de aduentu legatorum noſtrorum, quos ad partes illas pro cognoſcenda atrocitate illius facinoris & ſceleris, quod perpetratum eſt, & reconciliatione regis, diſpoſuimus tranſmittere, quod tranſalpinauerint vobis non innotuerit: eos publice, recepto iuramento ſecundum morem eccleſiæ, quod noſtro debeant aſtare mandato, ab excommunicationis vinculo abſoluatis, ſententia ſuſpenſionis ob eam cauſam, qua fuerant vltimo in excommunicationem deducti, in ſuo robore permanente. Si autem vobis conſtiterit, quod Saresberienſis epiſcopus morbo laborans ad vos venire non poſſit, illuc in propria perſona, quod nobis placeret, accedatis: aut ſi accedere non poteritis, perſonas idoneas, de quibus nos & vos confidere valeamus, tranſmittatis, quæ illum, recepto iuramento publice in conſpectu eccleſiæ, quod noſtro debeat parere mandato, abſoluant. Si autem huic rei, frater archiepiſcope, intereſſe non poteris, tu, frater epiſcope, ipſe cum Pontiniacenſi abbate quæ dicta ſunt diligentius exequaris. Datæ Tuſculani octauo Kalendas Maii.

EPISTOLA XLIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD MONACHOS CANTVARIENSIS ECCLESIÆ.

De canonizatione ſancti Thomæ Cantuarienſis.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Priori & monachis Cantuarienſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GAVDENDVM eſt vniuerſitati fidelium de mirabilibus illius ſancti & reuerendi viri Thomæ archiepiſcopi veſtri. Sed vos exinde tanto ampliori gaudio & exultatione debetis repleri, quanto ipſius miracula oculata fide ſæpius intuemini, & eius ſanctiſſimo corpore eccleſia veſtra ſpecialius meruit illuſtrari. Nos autem conſiderata gloria meritorum eius, quibus in vita ſua magnanimiter claruit, & de miraculis eius non ſolum communi &

celebri fama, sed & dilectorum * filiorum nostrorum Al- * fratrum
berti, tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodini tituli sancti Vitalis, presbyterorum cardinalium, apostolicæ sedis legatorum, & aliarum plurium personarum testimonio certitudinem plenam habentes præfatum archiepiscopum in capite ieiunii, multitudine clericorum & laicorum præsente, in ecclesia, deliberato cum fratribus nostris consilio, solenniter canonizauimus; eumque decreuimus sanctorum martyrum collegio annumerandum: vobis & vniuersitati fidelium de Anglia apostolica auctoritate mandantes, vt natalem eius diem, quo vitam suam glorioſa passione finiuit, annis singulis cum debita veneratione celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimum expedit, vt sanctum corpus eius cum ea, quæ decet, reuerentia & honore condatur; discretioni vestræ apostolica auctoritate mandamus, quatenus corpus eius, deuote & reuerenter, facta solenni processione, aliquo solenni die, congregato clero & populo, in altari honorifice recondatis: aut ipsum in aliqua decenti capsâ ponentes, prout conuenit, eleuetis in altum; & patrocinium eius pro salute fidelium & pace vniuersalis ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis orationibus impetrare. Valete. Datum Signiæ quarto Idus Martii.

EPISTOLA XLIV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES FIDELES.

De canonizatione eiusdem.

REDOLET Anglia fragrantia & virtute signorum, quæ per merita illius sancti & venerandi viri Thomæ quondam Cantuarienſis archiepiscopi omnipotens Deus operatur, & vniuersa vbique lætatur fidelium Christiana religio, pro eo quod ille, qui est mirabilis & glorioſus in sanctis, sanctum suum post mortem clarificauit, cuius vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, & tandem martyrio consummata est certaminis glorioſi. Quamuis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui eius & laudabilem conuersationem attendit, & glorioſam consideratpassionem; voluit tamen Redemptor atque Salua-

tor noſter eius ſanctitatis inſignia magnificis radiare miraculis: vt qui pro Chriſto inſuperabilis virtutis conſtantia neceſſitates & pericula pertulit, ſui laboris & certaminis in æterna beatitudine cognoſcatur ab omnibus percepiſſe triumphum. Nos vero auditis innumeris & magnis miraculis, quæ iugiter per ſancti illius viri merita fieri vniuerſitas narrat fidelium, & ſuper his non ſine magno gaudio per dilectos fratres noſtros Albertum tituli ſancti Laurentii in Lucina, & Theodinum tituli ſancti Vitalis, presbyteros cardinales, atque apoſtolicæ ſedis legatos, qui eadem miracula tanto perſpicacius didicerunt, quanto amplius ſunt loco vicini, præcipue certiores effecti, & plurium aliarum perſonarum teſtimonio fidem ſicut debuimus, adhibentes, prædictum archiepiſcopum ſolenniter in eccleſia, magno ibidem clericorum & laicorum collegio præſente, in capite ieiunii, deliberato fratrum noſtrorum conſilio canonizauimus, ipſumque decreuimus ſanctorum catalogo adſcribendum. Vniuerſitatem itaque veſtram monemus, & auctoritate qua fungimur diſtricte præcipimus, vt natalem prædicti glorioſi martyris diem paſſionis ſuæ ſolenniter annis ſingulis celebretis, & apud ipſum votiuis orationibus ſatagatis veniam promereri: vt qui pro Chriſti in vita exilium, & in morte virtute conſtantiæ paſſionis martyrium pertulit, fidelium iugi ſupplicatione pulſatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Signiæ quarto Idus Martii.

EPISTOLÆ XLV. XLVI. & XLVII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD PETRVM CASSINATEM, AD CANTVARIENSEM, ET AD EBORACENSEM EPISCOPOS.

De rebus Venetiis geſtis.

Extant infra in actis Concilii Venetici.

EPISTOLA XLVIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD INDORVM REGEM, QVEM VVLGO PRETO-IOANNEM VOCANT.

Commendat illi Philippum fidei prædicatorem.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cariſſimo in Chriſto filio illuſtri & magnifico Indorum regi, ſacerdotum ſanctiſſimo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

APOSTOLICA ſedes, cui licet immeriti præſidemus, omnium in Chriſto credentium caput eſt & magiſtra, Domino atteſtante, qui ait beato Petro, cui licet indigni ſucceſſimus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Hanc ſiquidem petram Chriſtus eſſe voluit in eccleſiæ fundamentum, quam præconat nullis ventorum turbinibus nulliſque tempeſtatibus quatiendam. Et ideo non immerito beatus Petrus, ſuper quem fundauit eccleſiam, ligandi atque ſoluendi ſpecialiter & præcipue inter apoſtolos alios meruit accipere poteſtatem. Cui dictum eſt a Domino: *Tibi dabo claues regni cælorum: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Audiueramus vtique iampridem, referentibus multis, & in fama communi, quomodo cum ſis Chriſtianum nomen profeſſus, piis velis operibus indeſinenter intendere, & circa ea tuum animum geras quæ Deo grata ſunt & accepta. Sed & dilectus filius magiſter Philippus medicus & familiaris noſter, qui de intentione pia & propoſito tuo cum magnis & honorabilibus viris regni tui ſe in partibus illis verbum habuiſſe proponit, ſicut vir prouidus & diſcretus, circumſpectus & prudens, conſtanter nobis & ſolicite retulit, ſe manifeſtius ab his audiſſe, quod tuæ voluntatis ſit & propoſiti, erudiri catholica & apoſtolica diſciplina; & ad hoc feruenter intendas, vt tu & terra tuæ ſublimitati commiſſa nihil vnquam videamini in fide veſtra tenere, quod a doctrina ſedis apoſtolicæ diſſentiat modo quolibet vel diſcordet. Super quo ſane tibi ſicut cariſſimo filio

Matth. 16.

Ibidem.

plurimum congaudemus, & ei, a quo omne donum procedit, immensas gratiarum exoluimus actiones: vota votis, & preces precibus adiungentes, vt qui dedit tibi nomen Christianitatis susscipere, menti tuæ per suam ineffabilem pietatem inspiret, quod omnino velis sapere, quæ super omnibus articulis fidei tenere debet religio Christiana. Non enim vere potest de Christiana professione sperare salutem, qui eidem professioni verbo & opere non concordat: quia non sufficit cuilibet nomine Christiano censeri, qui de se sentit * aliud, quam catholica & apostolica habeat disciplina, iuxta illud quod Dominus in euangelio dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Matth. 7.

* adde, & facit

Illud autem nihilo minus ad commendationem tuæ virtutis accedit, quod sicut prudens magister Philippus se a tuis asserit audisse, feruenti desiderio cuperes in Vrbe habere ecclesiam, & Hierosolymitanum altare aliquod, vbi viri prudentes de regno tuo manere possent, & apostolica plenius instrui disciplina; per quos postmodum tu & homines regni tui doctrinam ipsam reciperent & tenerent. Nos autem, qui licet insufficientibus meritis in beati Petri cathedra positi, iuxta Apostolum, sapientibus & insipientibus, diuitibus & pauperibus, nos recognoscimus debitores, de salute tua & tuorum omnimodam solicitudinem gerimus; & vos ab his articulis, in quibus erratis a Christiana & catholica fide, prompto animo, prout tenemur ex susscepti ministerio regiminis, volumus reuocare. Cum ipse Dominus beato Petro, quem omnium apostolorum principem fecit, dixit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Licet autem graue nimis videatur & laborioſum existere, ad præsentiam tuam inter tot labores, & varia itineris & locorum discrimina, & inter longas & ignotas oras quemlibet a nostro latere destinare; considerato tamen officii nostri debito, & tuo proposito & intentione pensata, præfatum Philippum medicum & familiarem nostrum, virum vtique discretum, circumspectum & prouidum, ad tuam magnitudinem mittimus; de Iesu Christi misericordia confidentes, quod si volueris in eo proposito & intentione persistere, quam te inspirante Do-

Rom. 1.

Luc. 22.

mino, intelligimus concepisse : de articulis Christianæ fidei, in quibus tu & tui a nobis discordare videmini, in proximo per Dei misericordiam eruditus nihil prorsus timere poteris, quod de errore tuam vel tuorum salutem præpediat, vel in vobis nomen Christianitatis offuscet.

Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus & hortamur in Domino, quatenus eumdem Philippum pro reuerentia beati Petri & nostra, sicut virum honestum, discretum, & prouidum, & a nostro latere destinatum, debita benignitate recipias, & reuerenter ac deuote pertractes. Et si tuæ voluntatis est & propositi, sicut omnino decet esse, vt erudiaris apostolica disciplina super his quæ idem Philippus ex nostra tibi parte proponet; ipsum diligenter audias, & exaudias, & personas honestas, & literas tuo sigillo sigillatas, quibus propositum & voluntatem tuam possimus plene cognoscere, ad nos cum ipso transmittas. Quia quanto sublimior & maior haberis, & minus de diuitiis & potentia tua videris inflatus, tanto libentius tam de concessione ecclesiæ in Vrbe, quam etiam de conferendis altaribus in ecclesia beati Petri & Pauli, & Ierosolymis in ecclesia Sepulcri Domini, & in aliis quæ iuste quæsieris, tuas curabimus petitiones admittere, & efficacius exaudire; vtpote, qui desiderium tuum super hoc, quod multa commendatione dignum extitit, modis omnibus, quibus secundum Deum possumus, volumus promouere, & tuam & tuorum animas desideramus Domino lucrifacere. Data Venetiæ in Riuoalto quinto Kalendas Octobris.

EPISTOLA XLIX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HVGONEM.

De prædicto libro ad se misso gratias agit : eique conuersionem imperatoris Constantinopolitani commendat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio magistro Hugoni salutem & apostolicam benedictionem.

COGNOSCENTES laborem plurimum, quem sustinuisti in componendo librum, quem nobis per dilectum filium

filium noſtrum magiſtrum Cacciaredum miſiſti; attendentes quoque fructum, quem exinde ſperamus eccleſiæ Dei prouenturum: librum ipſum grata & læta manu recepimus, & deuotæ ſolicitudini & liberalitati tuæ vberrimas propter hoc gratiarum referimus actiones, deſiderium, & voluntatem habentes, te, quem hactenus relatione noſtrorum, qui a partibus Conſtantinopolis reuertebantur, carum habebamus, de cetero feruentius diligendi, & multo cariorem habendi, & ſincerius amplexandi. Rogamus autem prudentiam tuam, ſoliciteque monemus, vt ſicut pro Deo & pro deuotione eccleſiæ præſcriptum librum compoſuiſti, ita quoque cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem & glorioſum Conſtantinopolitanum imperatorem ad deuotionem & reuerentiam ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ exhibendam, & ad vnitatem ipſius diligentius prouoces, monitis & exhortatione inducas, vt, ſicut eſſe debet, vnum fiat ouile, & paſtor vnus. Data Troiæ Idibus Nouembris.

EPISTOLA L.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES EPISCOPOS.

Eos ad Concilium generale Lateranenſe conuocat.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c.

QVONIAM in agro Domini, *&c. Extat infra in Concilio Lateranenſi generali, anno* 1179.

EPISTOLA LI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ARCHIEPISCOPVM SENONENSEM.

Contra Petrum Lombardum, dicentem Chriſtum, vt eſt homo, non eſſe aliquid.

CVM in noſtra olim eſſes præſentia, &c. *Extat infra in actis Concilii Lateranenſis generalis, anno* 1179.

EPISTOLA LII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD PHILIPPVM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Colonienſis eccleſiæ iura ac priuilegia confirmantur.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Philippo, Colonienſi archiepiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, in perpetuam memoriam.

ETSI teneamur omnibus & fratribus coepiſcopis noſtris ex adminiſtratione ſuſcepti regiminis apoſtolicum patrocinium exhibere; his tamen ſpecialiter adeſſe compellimur, qui ſicut dignitate, ita præeminent & virtute: cum noſtræ ſolicitudinis debeat & circumſpectionis exiſtere, vt vniuerſos iuxta qualitates perſonarum & merita reſpicere videamur. Eapropter, venerabilis in Chriſto frater archiepiſcope, prudentiam & deuotionem tuam diligentius attendentes, & tuis petitionibus noſtrum facile præbentes aſſenſum, Colonienſem eccleſiam, cui Deo auctore præeſſe dignoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: ſtatuentes, vt quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem eccleſia impræſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Præterea tua, frater archiepiſcope, prudentia & deuotione penſata, confirmamus tibi ea, quæ in priuilegiis patrum & prædeceſſorum noſtrorum habentur; videlicet crucem & pallium, ſuo tempore ſuoque loco ferendum. Inſigne quoque feſtiui equi, quod a quibuſdam vulgo naccum vocatur. Concedimus etiam, & apoſtolica auctoritate ſtatuimus, vt maius altare eccleſiæ tuæ vni & vero Deo, in memoriam beatæ Mariæ virginis, & alterum in memoriam beati Petri apoſtolorum principis dedicatum, reuerenter miniſtrando procurent ſeptem canonici cardinales presbyteri, induti dal-

maticis & mitris ornati: quibus etiam, cum totidem diaconibus & subdiaconibus, ad hoc ministerium prudenter electis, vt vtantur sandalibus, indulgemus, sicut a patribus & prædecessoribus nostris id prædictæ ecclesiæ concessum est per authentica priuilegia, & hactenus obseruatum. Insuper etiam auctoritatem & honorem, quem ecclesia tua hactenus habuisse dignoscitur, apostolici fauoris patrocinio confirmamus; videlicet vt, si quando Synodus infra tuam diœcesim a Romano pontifice, aut a legato ab eius latere destinato, fuerit congregata, priorem locum post ipsum Colonienſis archiepiscopus in Synodo teneat, & in proferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat; ita tamen, vt, sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam prior polleat honestate vitæ, & gratia meritorum; & cuius annuntiauerit verba, imitetur exempla. Consecrationem quoque regum infra limites tuæ diœcesis fiendam, præsentis scripti auctoritate censemus; & vt electio archiepiscopi secundum statuta Canonum a filiis præscriptæ ecclesiæ celebretur, per huius scripti paginam duximus statuendum. Ad hæc monasteria, ecclesias Coloniæ positas, & omnia sacra loca, infra & circa vrbem Coloniæ, ad iurisdictionem Colonienſis ecclesiæ pertinentia; monetam prædictæ ciuitatis, telonium, forum, & omne ius ciuile, sub potestate tua & successorum tuorum; abbatias per diuersa loca, villas, vicos, & castella, cum omnibus eorum pertinentiis, seruis videlicet, ancillis, terris cultis & incultis, aquis, pratis, campis, siluis, forestis; nec non etiam comitia in Vvestphalia, quæ vulgariter Grograrhophe dicuntur, & alodia, Dulberg, Hachen, Marchan, Vvassenberg, sicut hæc omnia rationabiliter possides, tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus. Illud quoque statuimus, vt, sicut nullus coarchiepiscoporum tuorum est tibi subiectus, ita etiam tu sub nullo primate debeas esse: salua tamen nobis in te, sicut in ceteris archiepiscopis, subiectione, quæ apostolicæ auctoritati debetur. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, nec ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: sed omnia integra con-

seruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura; salua in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertiove commonita, nisi satisfactione congrua id emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine diuinæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Alexander Papa III.

Vias tuas Domine demonstra mihi.

Ego Ioannes presbyter cardinalis sanctorum Ioannis & Pauli tituli Pammachii.
Ego Boso presbyter cardinalis sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris.
Ego Petrus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ.
Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus.
Ego Hubaldus Ostiensis episcopus.
Ego Hyacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin.
Ego Arditio diaconus cardinalis sancti Theodori.
Ego Cynthius diaconus cardinalis sancti Hadriani.
Ego Hugo diaconus cardinalis sancti Angeli.

Datum Laterani per manum Alberti, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, decimotertio Kalendas Iulii, indictione vndecima, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo septuagesimo nono, pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno decimonono.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPISTOLA LIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD CLERICOS ALEXANDRINÆ ECCLESIÆ.

De nouo episcopo ipsis concesso vel aliunde translato.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis clericis Alexandrinæ ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem.

De nouitate & necessitate processit, quod præsente nuntio Mediolanensis ecclesiæ, nulla præcedente electione, auctoritate nostra vobis & ecclesiæ vestræ electum prouidimus. Et ideo, ne possit ex hoc vobis vel successoribus vestris præiudicium fieri, auctoritate vobis apostolica duximus prouidendum. Eapropter, dilecti in Domino filii, præsenti scripto statuimus, vt ex hoc vobis non præiudicetur in posterum, quo minus, obeunte electo qui nunc est, & suorum quolibet successorum, vos & successores vestri de episcopis vestris electionem liberam habeatis, sicut canonici ecclesiarum cathedralium, quæ Mediolanensi ecclesiæ subiacent, habere noscuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniæ III. Kalendas Februarii.

Ego Otto notarius sacri palatii authenticum huius instrumenti vidi, & vt in illo reperi, ita in hoc scripsi, nihil addens, aut minuens, præter punctum, literam, & syllabam, *&c.*

Ego Petrus, qui dicor Ferrarius, notarius sacri palatii authenticum instrumenti vidi, & legi, & subscripsi, *&c.*

EPISTOLA LIV.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EOSDEM.

Eiusdem argumenti.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis O. electo, & canonicis Alexandrinæ ecclesiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

CONGRVAM officii nostri actionem * exequen. cum ea quæ ad ornatum & decorem domus Domini laudabili prouidentia statuuntur, per nos incrementum accipiunt, & apostolicæ tuitionis præsidio in suæ firmitatis robore conualescunt. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus benignius annuentes, canonicam, quam sibi * electe in ecclesia sancti Petri de assensu cleri & populi statuisti, protectionis nostræ munimine roborantes; & electionem, quam de personis idoneis ad dignitates ecclesiæ tenendas fecisti, dilectis filiis nostris magistro Hugoni præposituram, magistro Cataldo archipresbyteratum, magistro P. cantoriam, prouida deliberatione concedentes ratam habemus. Etiam singulis prædictas dignitates auctoritate apostolica confirmamus. Præterea ecclesias vsibus vestris, filii canonici, deputatas, scilicet sanctæ Mariæ de Gamundio, sancti Dalmatii de Maringo, sancti Michaelis de Soleriis, sancti Stephani de Bergolio, sanctæ Trinitatis de Vvilia, sancti Andreæ de Rouerteo, & sancti Augustini de Foro, vobis nihilo minus duximus præsentibus literis confirmandas; statuentes, vt nulli omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Tusculani decimoquinto Kalendas Augusti.

* *f.* exequimur,

* *f.* electo

Ego Otto notarius sacri palatii authenticum huius bullæ domini Alexandri papæ bullatum vidi, & legi, & sicut in illo reperi, ita in hoc scripsi, nihil addens, vel minuens, aut mutans, præter punctum, literam, & syllabam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ego Vermus notarius sacri palatii authenticum huius bullæ vidi, & legi, & subscripsi, *&c.*

EPISTOLA LV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Confirmat sententiam legati apostolici, qua ille Ioannem legitime electum confirmauit, & Hugonem a rege in episcopatum sancti Andreæ intrusum deposuit.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus vniuersis episcopis, & dilectis filiis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, per Scotiam constitutis, priori, canonicis, clero & populo sancti Andreæ, salutem & apostolicam benedictionem.

COMPERTO nobis, quod iampridem venerabilis frater noster Ioannes, nunc episcopus sancti Andreæ, canonice fuisset electus, & post electionem suam Hugo (appellatione interposita) in ecclesia illa per potentiam laicalem intrusus consecrari ausu temerario præsumpsisset, electionem ipsius apostolica auctoritate cassantes, dilectum filium nostrum Alexium subdiaconum nostrum, sedis apostolicæ legatum, de electione præfati Ioannis cogniturum, ad partes vestras direximus. Qui cum mature satis, sicut per multorum testimonia nobis innotuit, & canonice processisset, electionem ipsius canonicam comperiens, post multiplices inducias, in quibus regiæ magnitudini detulit, auctoritate apostolica confirmauit; præcipiens omnibus, qui ad ecclesiam sancti Andreæ pertinerent, ex parte nostra, vt ipsi Ioanni sicut electo obedientiam & reuerentiam exhiberent. Vnde, cum nullus propter metum regium in manifesto obedire auderet, idem legatus non regnum, sicut de iure poterat, sed episcopatum interdicto subiecit.

Cum igitur tam ecclesiastici quam sæculares principes a carissimo in Christo filio nostro Vvilielmo illustri Scotorum rege districtius adiurati fuissent de recto consilio dando, firmiter promittente ipso rege quod eorum consi-

lio ſtaret: reſponderunt omnes tamquam vnus, vt præfati Ioannis conſecrationem, coram legato noſtro & quatuor epiſcopis (quinto ægrotante, ſed ſcripto conſentiente) celebratam, vlterius non turbaret, ſed permitteret eum in pace in ſua ſede conſecrari. Inde eſt, quod vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, atque ſub officii & beneficii pœna præcipimus, quatenus Spiritum fortitudinis induentes, ipſum epiſcopum infra octo dies poſt harum ſuſceptionem literarum honorifice, appellatione poſtpoſita, ad ſedem ſuam reducatis, & pro ſeruanda eccleſiaſtica iuſtitia prudenter & viriliter laboretis, & ad placandum motum regium adhibeatis operam diligentem: atque præfato epiſcopo omnem exhibeatis reuerentiam, & honorem, quem ipſius prædeceſſoribus impendiſtis. Quod ſi rex aliud voluerit, aut etiam conſilio prauorum inclinatus fuerit, Deo & ſanctæ Romanæ eccleſiæ magis oportet obedire quam hominibus. Alioquin ſententiam, quam venerabilis frater noſter Hugo Dunelmenſis epiſcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos auctore Deo ratam habebimus, & præcipiemus firmiter obſeruari.

EPISTOLA LVI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Hugonis in epiſcopatum ſancti Andreæ intruſi excommunicationem confirmat.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus & dilectis filiis eccleſiarum prælatis per Scotiam conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

RELATVM eſt nobis, quod cum Hugo, qui eccleſiam ſancti Andreæ de Scotia inuaſerat, capellam epiſcopalem, baculum & annulum, & cetera, quæ irrationabiliter aſportauerat, illicite detineret: eum frequentius admonitum reſipiſcere contemnentem dilectus filius noſter Alexius ſubdiaconus noſter, apoſtolicæ ſedis legatus, coram vobis, & clero multo, & populo, niſi infra quindecim dies ablata vel aſportata redderet, vel congrue ſatisfaceret, vinculo excommunicationis, apoſtolica auctoritate fretus,

fretus, astrinxit. Ipse tamen in arrogantiæ malo perdurans, in nullo præfati legati monitis acquieuit. Nos itaque sententiam de auctoritate nostra prolatam ratam habentes, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum Hugonem, Dei gratia freti, & omni timore postposito, publice, nullius appellatione obstante, vinculo denuntietis excommunicationis astrictum, & sicut excommunicatum attentius euitetis, donec quæ de supradictis rebus abstulit, vel æstimationem fratri nostro Ioanni episcopo sancti Andreæ, & ecclesiæ suæ restituat, & de aliis quæ destruxit satisfactionem exhibeat congruentem.

EPISTOLA LVII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTIÆ.

Mandat ei vt Ioannem legitime electum & confirmatum sancti Andreæ episcopum patiatur suo officio quiete fungi, alioquin regnum interdicto, regem excommunicatione plectendum.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo illustri Scotorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

PRO pace tua & libertate solicite nos meminimus laborasse, sperantes quod ex hoc in deuotione sedis apostolicæ melius firmareris, & crescerés, & libentius seruares ecclesiasticam libertatem. Ceterum attendentes circa factum venerabilis fratris nostri Ioannis episcopi sancti Andreæ de Scotia, quod nolueris vsque modo inclinari: contrarium spei, quam de feruore deuotionis regiæ habebamus, cogimur æstimare. Volentes tamen experiri adhuc si patientia nostra ad pœnitentiam regium motum adducat, magnitudinem tuam per apostolica scripta monemus attentius, & mandamus, quatenus memorato episcopo infra viginti dies post harum susceptionem literarum pacem & securitatem largiaris; ita quod non oporteat eum de indignatione regia dubitare. Alioquin noueris, nos venerabili fratri nostro Rogero Eboracensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato in Scotia mandasse, vt regnum tuum,

nullius appellatione obstante, subiiciat interdicto, excommunicationis sententiam in personam tuam, si desistere nolueris, prolaturus. Pro certo quoque teneas, quod si in tua duxeris violentia perdurandum, sicut laborauimus vt regnum tuum libertatem haberet, sic dabimus studium vt in pristinam subiectionem reuertatur.

EPISTOLA LVIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD CASIMIRVM DVCEM POLONIÆ.

Nonnullas constitutiones circa bona ecclesiæ editas confirmat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio nobili viro Casimiro duci Poloniæ salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte tuæ magnitudinis relatum est nobis, quod de consilio archiepiscopi, & episcoporum Poloniæ, & principum terræ, quasdam abusiones, & solitas iniurias ab ecclesiis & personis ecclesiasticis amputasti, constituens ne bona decedentium episcoporum amplius confiscarentur. Constitutum est etiam, vt si quispiam in res defuncti episcopi manus coniecerit, vinculo anathematis teneatur. Necpræsumat vllus raptorum defuncto episcopo succedere, donec absolutionis beneficium assequatur, ablatis restitutis, vel ablatorum congrua æstimatione præmissa; consuetudinem autem, quæ a principibus terræ seruabatur, videlicet, vt quocumque pergerent pompatice, inuadentes horrea pauperum euacuarent, & si inter absentes aliquid negotioli quandoque contingeret, impii satellites discurrentes, raptos quoscumque caballos vel eneruarent in cursu, vel omnino destruerent, de ecclesiasticorum & sæcularium virorum consilio emendasti. Vnde quoniam constitutionem tuam iustam pariter & honestam auctoritate nostra postulas confirmari, nos iustis postulationibus annuentes, constitutionem præscriptam, sicut in scripto authentico super hoc facto habetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, sub interminatione anathematis prohibentes,

ne quis eam violare aliqua ratione præsumat. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, se nouerit incursurum. Datum Tusculani v. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA LIX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES PRINCIPES.

Hortatur eos ad subsidium terræ sanctæ.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis nobilibus viris ducibus & principibus, comitibus, baronibus, & vniuersis Dei fidelibus, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

COR nostrum & omnium fratrum nostrorum siniſtri rumores, qui de Hierosolymitanis partibus ad nos communi transeuntium relatione peruenerunt, nimio dolore conturbant, cum vix vnquam aliquis, qui Christiano nomine censeatur, sine lacrymis & suspiriis audire valeat, quæ de statu illius terræ miserabili recitantur. Est siquidem infidelium (quod dolentes dicimus) incursione contrita, & vsque adeo fortium virorum potentia, & proborum virorum consilio viduata, quod nisi a Christianis regibus & principibus orbis celerem & potentem succursum habuerit, desolationem eius (quod absit) in ignominiam Dei, & in contemptum fidei Christianæ de proximo formidamus. Non est enim rex, qui terram illam regere possit, cum ille, videlicet Balduinus, qui regni gubernacula possidet, ita sit grauiter (sicut nosse vos credimus) iusto Dei iudicio flagellatus, vt vix ad tolerandos sufficiat continuos sui corporis cruciatus. Quam grauem siquidem iacturam, & quam miserabilem casum in personis, & rebus illa terra (pro qua patres & genitores nostri sanguinem proprium effuderunt in conflictu, quem olim cum gentibus habuit) peccatis exigentibus sit perpessa, nec nos sine multa cordis commotione recolimus, nec aliqui zelantes legem Domini possunt tantam stragem fidelium patienti

animo tolerare; præsertim cum illa gens pessima paganorum ex incommodis & periculis, quæ genti Christianorum intulerunt, tantam audaciam sumpsisse dicantur, vt se iactent impudenter terram illam (quod auertat Dominus) inuasuros.

Moueat itaque vos zelus Domini, nec religio Christiana super tanta, quæ illi terræ imminet, contritione dormitet: sed vniuersa loca illa, quæ Saluator & Redemptor noster corporali præsentia dedicauit, viriliter tueamini: & contemnite gentes quæ abiiciunt Dominum, & Christianum nomen de terris abolere nituntur. Non est vtique Christianus, qui præscriptæ terræ calamitatibus non mouetur, nec accingitur ad ipsam ab infidelium incursibus defendendam, quam occupare laborant, & suis (quod absit) spurcitiis profanare. Hi autem, qui ex vobis fortes sunt, & bellis exercendis idonei, non minus scuto fidei, & lorica iustitiæ, quam materialibus armis induti, tam pium, quam necessarium opus ac laborem huius peregrinationis assumant, & loca illa, in quibus Redemptor humani generis pro nobis nasci voluit, & mortem subiit temporalem, potenti virtute defendant, ne temporibus nostris sustineat in illis partibus Christianitatis detrimentum. Cum enim Christus pro salute nostra opprobria multa, & demum Crucis patibulum sustinuerit, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, * iustificatos autem spiritu, expedit admodum saluti fidelium, vt pro ipso corpora nostra periculis & laboribus exponamus, ne precium sanguinis, quem pro nobis effudit, videamur obliti. Animaduertite igitur, dilecti in Christo filii, & videte quam probrosum, & quam mœrore dignum existeret Christianis, si aduersus habitatores terræ illius inimici Crucis Christi denuo præualerent, sicut eos præualituros non modicum formidamus, nisi de diuersis partibus Christianorum auxilium habitatoribus ipsis cum festinatione succurrat.

* vulgata

Ne igitur Christianitas gentilitati succumbat, totis nisibus præuidete: quia melius est superuenturo malo ante tempus occurrere, quam remedium post causam quærere vulneratam. Illis autem, qui pro Christo huius viæ laborem assumpserint, illam indulgentiam peccatorum,

quam patres & prædeceſſores noſtri Vrbanus & Eugenius Romani pontifices ſtatuerunt, apoſtolica auctoritate concedimus, & confirmamus. Vxores quoque, & filios eorum, & bona, & poſſeſſiones ſuas, ſub beati Petri & noſtra, nec non & archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & aliorum prælatorum eccleſiæ, decernimus protectione manere: prohibentes attentius, ne aduerſus eos de his, quæ pacifice poſſident, aliqua poſt ſuſceptam Crucem quæſtio moueatur, donec redeant, vel de ipſorum obitu certiſſime cognoſcatur. Liceat autem eis terras, ſeu poſſeſſiones alias, poſtquam propinqui, aut etiam domini ſui, (ad quorum feudum pertinent) pecuniam ipſis mutuare, aut noluerint, aut non potuerint, eccleſiis, vel eccleſiaſticis viris, aut aliis fidelibus libere, & ſine vlla reclamatione pro expenſis huius itineris titulo pignoris obligare. Præterea, quicumque de viris bellicoſis, & ad illius terræ defenſionem idoneis, illa ſancta loca feruore deuotionis adierint, & ibi duobus annis contra Saracenos pro Chriſtiani nominis defenſione pugnauerint, de Ieſu Chriſti pietate, & de beatorum Petri & Pauli apoſtolorum auctoritate, confiſi, eis omnium ſuorum, de quibus corde contrito & humiliato confeſſionem ſuſceperint, abſolutionem facimus delictorum; niſi forte aliena bona rapuerint, vel vſuras extorſerint, aut commiſerint furta, quæ omnia debent in integrum emendari. Si vero non eſt in facultatibus delinquentium vnde valeant emendari, nihilo minus conſequentur veniam, prout diximus, de commiſſis. Hi autem, qui illic per annum, ſicut diximus, moram habuerint, de medietate ſibi iunctæ pœnitentiæ indulgentiam & remiſſionem ſuorum obtineant peccatorum. Omnibus autem ſepulcrum Domini pro inſtanti neceſſitate viſitare volentibus, ſiue in itinere moriantur, ſiue ad iſtum locum perueniant, laborem itineris ad pœnitentiam, & obedientiam, & remiſſionem omnium peccatorum iniungimus, vt de vitæ præſentis ergaſtulo ad illam beatitudinem, Domino largiente, perueniant, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam repromiſit Dominus diligentibus ſe. Datum Tuſculani decimoſeptimo Kalendas Februarii.

EPISTOLA LX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES PRÆLATOS.

Eiusdem argumenti.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

CVM orientalis terra per impressiones infidelium & incursus fortium virorum potentia sit & proborum virorum consilio destituta, multo timore percutitur; & ad implorandam subuentionem fidelium dilectos filios nostros, milites Templi, latores præsentium, viros vtique religiosos, & Deum timentes, archiepiscopi, episcopi, & alii principes terræ ad partes vestras mittere decreuerunt. Nos autem quos illius terræ calamitas graui dolore conturbat, exemplo patrum & prædecessorum nostrorum de ipsius conseruatione soliciti, Christianos reges, & principes orbis ad defensionem locorum illorum, in quibus steterunt pedes Domini, salubribus monitis exhortamur: & sicut patres & prædecessores nostri Vrbanus & Eugenius pontifices Romani statuerunt, ita & nos remissionem & indulgentiam peccatorum statuimus vniuersis, qui pro Christo laborem Hierosolymitanum assumpserint, & contra Saracenos fideli curauerint deuotione certare. Monemus itaque vniuersitatem vestram attentius, & mandamus, quatenus fratres, qui ad hoc missi sunt, benigno recipiatis affectu, & per eos orientalis terræ statu & necessitate comperta, principes, comites, & alios fideles Christi parochianos vestros crebris & solicitis exhortationibus laboretis inducere, vt terram illam, pro cuius liberatione patres & genitores eorum sanguinem proprium effuderunt, adeant festinanter, & contra inimicos Crucis Christi potentia & virtute decertent. Literas autem, quas propter hoc generaliter mittimus, vniuersis faciatis ecclesiis publice legi, & exponatis earum tenorem, & remissionem peccatorum, quam facimus illis qui tam pium &

neceſſarium opus aſſumpſerint, nuntietis, & ita omnes ad exequendum quod ſuggerimus moneatis, quo per ſolicitudinem & exhortationem veſtram terra illa feſtinanter fidelium ſentiat auxilium & iuuamen; & vos propter hoc ab omnipotenti Deo mercedem poſſitis conſequi ſempiternam. Datum Tuſculani decimoſexto Ianuarii.

EPISTOLA LXI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD RICHARDVM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM, ET AD SVFFRAGANEOS EIVS REDDITA.

De pace inter ſe & Fridericum imperatorem inita.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Richardo Cantuarienſi archiepiſcopo & ſuffraganeis eius, & dilectis filiis abbatibus ſpecialiter ad Romanam eccleſiam pertinentibus in archiepiſcopatu Cantuarienſi conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IMMENSAS laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licet nauem Petri diu permiſiſſet procelloſa maris tempeſtate quaſſari, nunc tandem imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ita vt pacatis maris ſæuientis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta ſit & ſalutis. Sane cariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus illuſtris Romanorum imperator, proximo præterito die, dominica ante feſtum beati Iacobi, cum principibus eccleſiaſticis & ſæcularibus Teutonici regni, cum multa deuotione venit Venetiam ad præſentiam noſtram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus reſonantium laudes Altiſſimo, nobis ſicut ſummo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in feſto beati Iacobi nobis ad preces eius beati Marci eccleſiam adeuntibus pro celebrandis Miſſarum ſolenniis, obuiam venit: & finita Miſſa, quam a nobis licet indignis reuerenter audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædeceſſores eius noſtris conſueuerunt anteceſſoribus exhibere. In Kalendis vero inſtantis menſis Auguſti præfatus imperator vbi erat numeroſa

hominum multitudo, in anima ſua iurare fecit, & principes ſui, quos præſentes habebat, tam eccleſiaſtici quam ſæculares, præſtito iuramento firmauerunt, quod pacem eccleſiæ perpetuo, & pacem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvilielmi illuſtris Siciliæ regis vſque ad quindecim annos & treugam Longobardorum a prædictis Kalendis Auguſti vſque ad ſex annos, ſicut pax & treuga ipſa diſpoſita eſt, & tractata, & in ſcriptis redacta, illæſam debeat & illibatam ſeruare. Sicut autem idem imperator nos in catholicum papam & ſpiritualem patrem recepit, ita nos eum in catholicum imperatorem, & vxorem eius in catholicam imperatricem, & filium ipſorum in catholicum regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori noſtro, qui ſponſam ſuam ſacroſanctam eccleſiam ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones, quibus grauiter preſſa eſt, & attrita, per ſuam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Riuoalto octauo Idus Auguſti.

EPISTOLA LXII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPVM, ET HVGONEM DVNELMENSEM EPISCOPVM.

Eiuſdem argumenti.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Rogero Eboracenſi archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, & Hugoni Dunelmenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EXIGVNT gratiſſimæ deuotionis obſequia, quæ nobis & eccleſiæ tam deuote quam laudabiliter exhibuiſſe noſcimini, vt felices ſucceſſus eccleſiæ vobis, ſicut ſpecialibus & deuotis eccleſiæ filiis ſpiritualibus, deſcribamus; cum dignum ſit, & conueniens, & honeſtum, vt quos ita habuimus in noſtra deuotione firmos & ſtabiles, de proſperitate noſtra & ipſius eccleſiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiſcum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altiſſimis, & humilia reſpicit de ſupernis, de cuius munere venit, vt ſponſa ſua ſacroſancta eccleſia diu & grauiter procelloſis fluctibus & validiſſima tempe-

tempestate quassata nunc tandem portum salutis attigerit, & pacatis sæuientibus procellis debita & desiderata tranquillitate lætetur. Sane duodecimo Kalendas instantis mensis Augusti, de mandato carissimi in Christo filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris, filius marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, & camerarius ipsius imperatoris, præsentibus principibus ecclesiasticis & etiam sæcularibus Teutonici regni, publice in anima eius in præsentia nostra coram innumerosa hominum multitudine præstiterunt, tactis sacrosanctis euangeliis, iuramentum; quod postquam idem imperator veniret Venetias, omni quæstione & contradictione sopita, pacem ecclesiæ sicut per fratres nostros & principes suos dispositа est & tractata, & pacem carissimi in Christo filii nostri Vvilielmi illustris Siciliæ regis, vsque ad quindecim annos, & treugam Longobardorum vsque ad sex annos in anima sua, & etiam a principibus suis faceret, sicut in scripto pacis & treugæ continetur, iuramento firmari, & principes Teutonici regni, scilicet venerabiles fratres nostri Magdeburgensis, Colonienſis, & Christianus dictus Moguntinus, archiepiscopi, & quidam alii in anima sua pro se iurare fecerunt. Nono vero Kalendas Augusti præfatus imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit ad ecclesiam beati Nicolai, quæ per vnum milliare distat a Venetiis; & ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni, abrenuntiantes schismati, per fratres nostros episcopos & cardinales de mandato nostro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante ecclesiam beati Marci prædictus imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præsente, alta voce reddente gratias & laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici obedientiam & reuerentiam humiliter & reuerenter exhibuit: & recepto a nobis pacis osculo nos deote dextrauit, & cum reuerentia, qua decuit, & deuotione vsque ad altare in ecclesiam introduxit. Sequente vero die in festo beati Iacobi ab eodem imperatore rogati ad prædictam ecclesiam sancti Marci solennia celebraturi Missarum accessimus, & nobis illuc venientibus præfatus imperator extra ecclesiam obuiam venit, & dextro latere no-

ſtro deuote ſuſcepto, nos in eccleſiam introduxit, & peractis Miſſarum ſolenniis nos vſque ad ipſius eccleſiæ portam dextrauit, & cum aſcenderemus palefridum noſtrum ibi paratum, ſtapham tenuit, & omnem honorem & reuerentiam nobis exhibuit, quam prædeceſſores eius noſtris conſueuerunt anteceſſoribus exhibere. Erit itaque ſolicitudinis veſtræ nobis & eccleſiæ in proſperis ſucceſſibus congaudere, & effectum pacis aliis deuotis eccleſiæ filiis aperire: vt hi, quos zelus domus Domini tangit, de pacis munere diuinitus dato in Domino gaudeant & exultent. Data Venetiæ in Riuoalto ſeptimo Kalendas Auguſti.

EPISTOLA LXIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM VVIGORNIENSEM EPISCOPVM.

Pro electo eccleſiæ ſancti Auguſtini Cantuarienſis.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Rogero Vvigornienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CVM venerabili fratri noſtro Richardo Cantuarienſi archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, olim dederimus in mandatis, vt dilecto filio noſtro electo ſancti Auguſtini in monaſterio ſuo, quod adiuriſdictionē Romanæ eccleſiæ nullo mediante pertinet, munus benedictionis non differret aliquatenus impertiri, ex eo quod archiepiſcopus hoc exequi recuſauit, de iure potuiſſemus eidem electo benedictionem ipſam per nos, vel etiam per alium, qui nobis non ita de facili contradiceret, exhibere. Volentes autem in eo adhuc obedientiæ virtutem plenius experiri, poſt longam diſceptationem, quam idem archiepiſcopus in præſentia noſtra per nuntios ſuos contra ipſum electum ſuper controuerſia benedictionis habuit, quæ de communi fratrum noſtrorum conſilio per definitiuam ſententiam ita deciſa eſt; quod Cantuarienſis archiepiſcopus ipſum & ſucceſſores ſuos in monaſterio ſancti Auguſtini abſque exactione, obedientiæ contradictione poſtpoſita, benedicat, ex conſueta & abundanti ſedis apoſtolicæ benignitate eumdem electum pro munere benedictionis ad memoratum archiepiſcopum duximus remittendum. Attendentes igitur labores & expenſas quas idem monaſterium

ſuper hoc iam longo tempore ſuſtinuit, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus ſi memoratus archiepiſcopus infra terminum noſtris literis conſtitutum eumdem electum, ſicut a nobis definitum eſt, benedicere diſtulerit, tu noſtra fretus auctoritate, omni excuſatione, contradictione, & appellatione ceſſante, quam citius ſuper hoc fueris requiſitus, id efficere non moreris; nullo decreto noſtro, vel alterius, quo præceptum ſit appellationi deferendum, impediente; nullis etiam literis obſtantibus a nobis impetratis vel impetrandis; nulla exceptione, quo minus vel tardius mandatum noſtrum adimpleas, reſiſtente. Data Laterani XV. Kalendas Maii.

ANNO CHRISTI 1160.

[a] CONCILIABVLVM PAPIENSE A FRIDERICO IMPERATORE,

adeoque illegitima auctoritate, indictum, meritoque ab Alexandro declinatum & reprobatum, quo Victori III. antipapæ ſchiſmatico contra Alexandrum III. legitime & canonice electum pontificatus Romanæ eccleſiæ adiudicatur, anno Domini MCLX. initio pontificatus Alexandri papæ.

NOTÆ.

[a] *Conciliabulum.*] A quo quave auctoritate hoc Conciliabulum fuerit congregatum, Radeuicus de geſtis Friderici imperatoris libro 4. capite 68. his verbis deſcribit: *Tempus erat quo Concilium Papiæ indictum celebrandum fuerat, idque de vniuerſis regni partibus, videlicet ciſalpinis & tranſalpinis, in vnum collecti archiepiſcopi, & epiſcopi, aliique eccleſiarum prælati pendula expectatione operiebantur. Tum Auguſtus, commonens omnes ieiuniorum & orationum ſubſidiis eccleſiæ catholicæ cauſam Deo commendare, cum ſacerdotibus & omni populo auxilium diuinum fida ſanctorum interceſsione poſcebat. Deinde conuocato in vnum Concilio, cum reſedisſet, ait ad epiſcopos: Quamuis nouerim officio ac dignitate imperii penes nos eſſe poteſtatem congregandorum Conciliorum, præſertim in tantis eccleſiæ periculis; (hoc enim & Conſtantinus, & Theodoſius, nec non Iuſtinianus, ſeu recentioris memoriæ Carolus magnus, & Otto imperatores feciſſe memorantur) auctoritatem tamen diffiniendi huius maximi & ſummi negotii veſtræ prudentiæ veſtræque poteſtati committo. Deus enim conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et quia in his quæ ad Deum ſunt non eſt noſtrum de vobis iudicare, tales vos &*

taliter in hac causa hortamur habere, tamquam solius Dei de vobis expectantes iudicium. ANNO CHRISTI 1160.

Cum hæc dixisset, ipse se Concilio subtraxit, examen totum ecclesiæ & ecclesiasticis, quæ ibi innumerabiles erant, committens personis. Erant autem circiter quinquaginta archiepiscopi & episcopi: abbatum & præpositorum non erat præ multitudine æstimatio. Legati quoque diuersarum terrarum aderant, spondentes quidquid a Synodo decretum foret indubitanter a suis recipiendum.

Residentibus itaque episcopis & clero vniuerso, septem diebus causa ventilata est, tandemque domino Octauiano, qui cum præsens aduenisset, & haberet qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, & pro ipso Concilium dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobato, qui citatus legitime Concilio se præsentare contumaciter abnuisse dicebatur. Sæpius autem lectorem admonitum esse cupimus, vt in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed literis & scriptis, quæ ad manus nostras venerunt, & huic operi inserendæ visæ sunt, innitatur, suo seruans arbitrio, quando de hac controuersia, & litis decisione, Conciliique iudicio, sufficienter sibi fides facta videatur.

Acta Conciliabuli idem Radeuicus verbo tenus recitat capite 71. his verbis:

ACTA CONCILII PAPIENSIS.

DOMINVS Octauianus, & nemo alius, Romæ in ecclesia beati Petri, petitione populi & consensu, ac desiderio cleri, a cardinalibus manto indutus est solenniter, & præsente cancellario, & non contradicente, in cathedra beati Petri collocatus est, & a cardinalibus & clero Romano Te Deum laudamus solenniter ei cantatum est, & nomen ei Victor impositum est. Ibi multitudo cleri & populi Romani venit ad pedes eius. Tunc scriniarius secundum antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum voce magna clamauit ad populum, dicens: Audite ciues Romani, & cætus reipublicæ: Secunda feria pater noster Hadrianus mortuus est, & proximo sequenti sabbato dominus Octauianus cardinalis sanctæ Cæciliæ in Romanum pontificem electus & immantatus est, & in cathedra beati Petri collocatus est, & papa Victor est nominatus. Placet vobis? Respondit magna voce clerus & populus: Placet. Secunda & tertia vice interrogatus populus si placeret, clara voce respondit: Placet. Deinde cum bandis & aliis papalibus insignibus dominus papa cum laudibus in palatium deductus est.

ANNO CHRISTI 1160. His itaque rite peractis, capitulum beati Petri statim venit ad pedes eiusdem papæ Victoris, & obediuit, ac debitam ei reuerentiam exhibuit clerus & populus, multitudo magna similiter obediuit. Sequenti vero die proxima rectores cleri Romani accedentes ad dominum cancellarium, & ad cardinales qui cum eo erant, voluerunt cognoscere si immantatus esset, sicut quidam dicebant: & non inuenerunt eum immantatum, neque aliqua specie dignitatis variatum: & habito cum eo & cardinalibus suis colloquio, cognouerunt ab ore eius & suorum, quod nunquam fuerit immantatus, & quod hoc ei falso imponebatur. Quo audito & cognito, rectores ad pedes domini papæ Victoris venerunt, & obedientiam & reuerentiam exhibuerunt. De omnibus supradictis capitulis testes fuerunt, Petrus Christianus decanus basilicæ beati Petri, & omnes fratres eius, & duo rectores cleri Romani Blasius scilicet presbyter, & Manerius presbyter, & *septem archipresbyteri Romanæ vrbis, & quatuor alii tam diacones, quam subdiacones.

*al. nouem

Deinde prior Lateranensis & sui canonici obedierunt.
Clerici de patriarchia sanctæ Mariæ Maioris obedierunt.
Abbas de patriarchia sancti Pauli per suos nuntios obediuit, & in signum obedientiæ de bonis ecclesiæ suæ illi misit.
Abbas de patriarchia sancti Laurentii cum suis monachis obediuit.
Abbas Cirengii obediuit.
Abbas sancti Siluestri cum suis monachis obediuit.
Abbas sancti Alexii in monte Auentino cum suis monachis obediuit.
Abbas sancti Blasii cum suis monachis obediuit.
Conuentus sancti Sabæ obediuit.
Conuentus sanctæ Mariæ in Capitolio obediuit.
Conuentus monachorum sanctorum Cosmæ & Damiani obediuit.
Abbas sancti Valentini obediuit.
Magister fratrum templi Hierosolymitani in monte Auentino cum suis fratribus obediuit.
Cardinalia sancti Marcelli obediuit.
Clerici de cardinalia sanctorum apostolorum obediuerunt.
Clerici de cardinalia sancti Petri Ad vincula obediuerunt.
Clerici de cardinalia sancti Siluestri obediuerunt.
Clerici de cardinalia sancti Sixti obediuerunt.
Clerici de cardinalia sanctæ Sabinæ obediuerunt.
*Balbinæ Clerici de cardinalia sanctæ *Sibilinæ obediuerunt.
Cardinalia sancti Cyriaci apud thermas Diocletiani obediuit.

Clerici de cardinalia ſanctæ Mariæ trans Tiberim obediuerunt.
Clerici de cardinalia ſanctæ Mariæ in Porticu obediuerunt. ANNO CHRISTI 1160.
Clerici de cardinalia ſancti Nicolai in Carcere obediuerunt.
Monaſterium ſanctæ Agathæ obediuit.
Archipreſbyter ſancti Apollinaris obediuit.
Archipreſbyter ſancti * Tryphi obediuit. *Tryphonis
Archipreſbyter ſancti Bartholomæi obediuit.
Eccleſia ſancti Celſi obediuit.
Eccleſia ſanctæ Mariæ in Monaſterio obediuit.
Eccleſia ſanctæ Mariæ in Pallaria obediuit.
Eccleſia ſancti Saluatoris de Curte obediuit.
Archipreſbyter ſancti Vincentii cum ſuis obediuit.
Archipreſbyter ſanctæ Catharinæ cum ſuis obediuit.
Archipreſbyter ſancti Thomæ de Parione obediuit.
Archipreſbyter ſanctæ Anaſtaſiæ cum ſuis obediuit.
Archipreſbyter ſancti Saluatoris de Campo cum ſuis obediuit.
Archipreſbyter ſanctæ Mariæ in * monte Celſo cum ſuis obediuit. *Mons cello
Et multæ aliæ eccleſiæ & monaſteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Poſt promotionem domini Victoris, canonici beati Petri miſerunt ad Rolandum cancellarium canonicos ſuos, qui viderent an eſſet immantatus, ſicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Vnde bis miſſi inquiſitores, bis retulerunt eum non eſſe immantatum, nec aliqua promotionis ſpecie variatum. Sequenti vero die, vt omnis dubitatio tolleretur, miſerunt canonici quoſdam de ſuis, vt menſæ cardinalium, qui intererant, intereſſent, & viderent ſi ſaltem in menſa locum digniorem ſolito obtineret, aut etiam benedicendo menſam primus eſſet, vel aliquo modo inter cardinales loco, vel dignitate, ſeu veſte dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo ſenſerunt eum promotum, vel mutatum. Atque in hunc modum perſcrutati ſunt canonici ſtatum cancellarii per ſingulos continuos octo dies.

Baſſo & Ioannes de Romano dicunt: Poſtquam cancellarius, ſedente domino Victore in cathedra, in munitionem ſe recepit, Ioannes Phizutus clericus, & Ioannes de Buccalata laicus, voluerunt immantare cancellarium. Qui cum iniuria repulit eos, dicens: De me non facietis ridiculum: ibi eſt papa: ite ad eum, & obedite ei.

Presbyter Blaſius & presbyter Manerius, rectores Romani, dicunt ſe cum tribus aliis rectoribus cleri ſequenti

ANNO CHRISTI 1160. die post promotionem domini Victoris accessisse ad cancellarium, & ad omnes cardinales qui cum eo erant, & non viderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum: & antequam discessissent, audierunt duabus vicibus ab ore cancellarii, quod nec erat, nec fuit immantatus. In præsentia etiam ipsorum rectorum, qui ibi erant, testificatus est Otto cardinalis de Carcere Tulliano, quod dominus Octauianus nullam violentiam vel iniuriam intulit cancellario.

Item dixit Otto: Pro nihilo adscribitur hoc domino cancellario, quia nullus ei mantum abstulit, quia nunquam habuit. His omnibus ita peractis & cognitis, rectores isti iuerunt ad dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt clero vt ei obediret: quod & factum est.

Presbyter Barro & presbyter Ioannes, capellani de cardinalia cancellarii, dixerunt se sequenti die post promotionem domini Victoris ad cancellarium accessisse, & dixisse ad eum sic: Audientes vos esse immantatum, gaudebamus, & nunc quia aliter videmus, dolemus. Qui dixit eis, Pro me nolite gaudere vel dolere, quia ego nec fui, nec sum immantatus: ite & obedite ei quem videtis immantatum. Hæc verba taliter ab ore cancellarii processisse commisit presbyter Barro, & presbyter Ioannes, quibusdam ex nostris clericis præsentibus, vt iurarent in animabus eorum ita verum esse.

Clerici de cardinalia sancti Chrysogoni dixerunt se sequenti die post promotionem domini Victoris accessisse ad cardinalem suum, qui erat cum cancellario, & interrogasse eum, dicentes: Omnes clerici vadunt ad pedes domini papæ, quid faciemus & nos? Qui respondit: Ite ad eum, sicut alii.

Multi ex nostris dicunt vidisse cancellarium II. die ab Vrbe exisse sine manto, sine stola, sine albo equo, & sine omni habitus * munitione, cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio vsque ad Cisternam.

* mutatione,

Ioannes de Romano dicit audiuisse Ioannem Neapolitanum & Bonamdiem, & quosdam alios cardinales, dicentes apud Cisternam: Quoniam modo sumus sine pastore, & sine capite, faciamus nobis dominum: & postea im-

mantauerunt eum, & cantauerunt ei Te Deum laudamus apud Ciſternam. ANNO CHRISTI 1159.

Ioannes de ſancto Stephano & Vvolferaminus dicunt ſe audiuiſſe quod papa Hadrianus dixit ad eos, cum de Vrbe exiret: Octauianus, inquit, quem ego miſi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenſes: ſed ego mandaui Mediolanenſibus, vt non curent de eo, ſed fortiter ſe habeant, tam ipſi quam Brixienſes, contra imperatorem: & ego cum eis diſpoſui, quod imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum cardinalibus ita diſpoſui, quod Octauianus non erit papa poſt mortem meam.

Gimundus & Vvolferaminus dicunt ſe audiuiſſe ab ore epiſcopi Sabinenſis, quod libenter rediret ad dominum Victorem; ſed ita adiuratione eſt aſtrictus, quod ſine periurio non poteſt.

Epiſcopus Aletrinus in præſentia domini Guidonis Cremenſis cardinalis, & Gimundi, & Ioannis Caietani, & aliorum multorum, dixit: Non poſſum ad dominum Victorem venire, quia talem ſecuritatem feci cancellario, & ſuis apud Anagniam, quod non poſſum ad eos venire vſque ad Kalendas. Poſt Kalendas autem veniam: interim tamen habeo eum pro domino & paſtore meo. Itaque Kalendis tranſactis, cum infirmitate teneretur, miſit domino Victori obedientiam per clericum quemdam, quem habemus præſentem.

De omnibus ſupradictis capitulis teſtimonium perhibuerunt prædicti rectores cleri Romani, & * ſeptem archipresbyteri ſupra memorati, & alii multi honeſti & religioſi clerici Romani, & Petrus Vrbis præfectus, & Stephanus de Tebaldo, & Stephanus Northmannus, & Ioannes de ſancto Stephano, & Ioannes Caietanus, & Vvolferaminus de Gidocica, & Gimundus de domo Petri Leonis, & multi alii illuſtres Romani & nobiliſſimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt, & tractauerunt. * al. tres

Qualiter Fridericus confirmauerit electionem Victoris, eumque inthronizauerit, idem Radeuicus ſubiungit his verbis: *Confirmato & recepto taliter in papatu Victore, defertur ad principem ſacerdotalis Concilii ſententia. Qua venerabiliter ſuſcepta & approbata, Victor ad eccleſiam*

ANNO CHRISTI 1160.

siam vocatur, & magna solennitate, & frequentia cleri ac populi susci-pitur, ipsique vt summo pontifici & vniuersali papæ acclamatur. Diuus quoque imperator consuetam ei reuerentiam, sicut Constantinus beato Siluestro, humiliter pro foribus ecclesiæ exhibuit: & manu eius accepta vsque ad sedem deduxit, & inthronizauit. De reliquis quæ ibidem acta sunt, exemplaria literarum subnotata consule.

EPISTOLA IMPERATORIS.

De Victoris electione.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, & semper Augustus, dilectissimo suo Eberardo venerabili Saltzburgensi archiepiscopo, & suffraganeis eius, Alberto Frisingensi episcopo, Hartmanno Brixinensi, & Romano Gurcensi, totique prouinciæ Saltzburgensi, gratiam suam & omne bonum.

SI sacro Concilio Papiæ interfuissetis, omnia quæ ibidem vel in Romana ecclesia facta sunt oculata fide cognoscere possetis. Ne autem ab his qui prauis delationibus & mendaciis iam fere totum orbem respersérunt veritas possit obnubilari, vel vestra sinceritas trahi in contrarium, quanto breuius possumus, seriem totius rei sine aliqua falsitatis commixtione, mera veritate, vobis significare dignum duximus. Luce clarius constat quod papa Hadriano adhuc viuente Rolandus cancellarius, & quidam cardinales, non attendentes illud dominicum; *Sit sermo vester, est, est, non, non,* Matth. 5. conspiratione facta cum Vvilielmo Siculo, prius ab eis excommunicato, & cum ceteris hostibus imperii, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne forte per mortem papæ Hadriani tam iniqua factio euanesceret, iuramenti vinculo inuicem sese constrinxerunt, vt defuncto papa nullus alius ei substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis conuenisset. Hac de causa duodecimo die post electionem domini Victoris papæ, eo sedente in sede beati Petri, iam dicti conspiratores egressi ab Vrbe ad cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viuentium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum cancellarium erexerunt, dicentes hunc esse Simonem Petrum, qui apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria inuasione attingere præsumebat. Quod hæc conspiratio facta fuerit, & ille iam dictus Rolandus per eam hoc modo intrauerit, non est fictitium, sed religiosis viris ab illo qui fa-

cit manifesta consilia cordium, mirabiliter est declaratum. Anno Christi 1160.
Dum hæc Romæ agerentur, & nos quid super tanto schismate agendum esset, viros religiosos, archiepiscopos videlicet & episcopos consultaremus, superuenerunt, quasi missi a Deo, Tarantasinus archiepiscopus, abbas Claræuallensis, abbas Morimundensis, & alii abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus: qui recepto a nobis verbo, dum Mediolanum pro inuestiganda eorum voluntate redirent, acceperunt ab eis tale responsum: Domini patres, nos tenemur astricti iuramento domino papæ & cardinalibus, quod non debeamus redire ad gratiam imperatoris sine eorum voluntate, & ipsi econtra sine nostra voluntate nullam pacem facere possunt. Responderunt eis abbates: Vos de cetero non tenemini domino papæ, quia mortuus est, & illi statim subiunxerunt: Si mortuus est papa, nos ideo non sumus absoluti: quia nihilo minus tenemur cardinalibus, & ipsi tenentur nobis. Hæc prædicti patres abbates in responsis a Mediolanensibus * testificati sunt coram multis religiosis viris. Præter hæc multa experimenta factæ conspirationis per literas in via deprehensas accepimus, sicut nuntius iste plenius vidit & audiuit. Sane ex Concilio orthodoxorum, sicut alia vice meminimus vobis mandasse, generalem Conuentum religiosorum Papiæ indiximus, ad quem ambos qui se dixerunt Romanos pontifices non ad iudicium sæculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examen ecclesiæ, per duos venerabiles episcopos, Verdensem videlicet & Pragensem, conuocauimus. Alter vero, eo quod puriorem haberet conscientiam, dominus Victor videlicet, iudicio ecclesiæ vltro se obtulit: altero videlicet Rolando contumaciter renitente, & dicente, quia, cum ipse omnes deberet iudicare, ipse a nullo vellet iudicari. Habito itaque venerabili Concilio, in quo patriarcha Aquileiensis, & multi archiepiscopi & episcopi religiosi conuenerant, per octo continuos dies maxima grauitate, diligentissima examinatione, semota omni laica persona, tractatum est, quis ex duobus summi pontificatus apicem de iure deberet obtinere. Post longam itaque deliberationem, quia illa nefandissima conspiratio Deo & ecclesiæ admodum odibilis, manifestis indiciis non solum probata, verum in facie totius ecclesiæ

* fatentibus.

ANNO CHRISTI 1160. coram positæ reuelata est : & in domino Victore nihil reprehensibile inuentum est, nisi quod pauciores numero cardinales omnino a conspiratione illa exortes, eum pro bono pacis inter regnum & sacerdotium conciliando, elegerunt, & inuocata sancti Spiritus gratia, ecclesia Dei Rolandum cancellarium conspiratorem & schismaticum, discordias & lites, & periuria bona esse euangelizantem condemnauit, & dominum Victorem papam in patrem spiritualem & vniuersalem pontificem confirmauit. Quem nos ecclesia duce secuti approbamus, & vniuersalis ecclesiæ patrem & rectorem, cooperante diuina clementia, fore denuntiamus. Hoc itaque factum diuinis suffultum præsidiis, & in apostolica stabilitate supra petram, Christum videlicet, firmiter fundatum, a vestra beatitudine, pro pace totius ecclesiæ & salute imperii approbari, & ab omni ecclesia vestræ sanctitati commissa teneri & conseruari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ XV. Kalendas Martii.

EPISTOLA PRÆSIDENTIVM CONCILIO HINCINDE DIRECTA.

QVIA sedis apostolicæ turbatio Christianorum animos admodum sauciauit, nos, qui ad resecanda schismata, & pacem ecclesiæ reformandam, Papiæ fuimus congregati, qualitatem causæ, modumque negotii, & sacri Concilii dispensationem, vniuersitati vestræ plenarie duximus intimandum : quatenus, per scripta præsentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam forte conceperant, vehementer expellant, & amodo per scripta schismatica non seducantur. Cum igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum vniuersitas in nomine Domini consedisset, causa per septem dies continuos, omni remoto sæculari iudicio, legitime & canonice agitata, ac diligenter inspecta, sufficienter & canonice in conspectu Concilii per testes idoneos est comprobatum, dominum papam Victorem, & nullum alium, in basilica beati Petri a saniori parte cardinalium, petitione populi, & consensu ac desiderio cleri fuisse electum, & solenniter immantatum : quod præsente, & non contradicente Rolando quondam cancellario, in cathedra beati Petri fuit

collocatus, & quod ibi ei a cardinalibus & clero Romano Te Deum laudamus glorioſe decantatum, & inde ad palatium cum bandis & aliis papalibus inſignibus eſt deductus: & clerus & populus ſecundum conſuetudinem interrogatus per ſcriniarium, ſi placeret? tribus vicibus clara voce reſpondit: Placet. Probatum eſt etiam quod Rolandus 12. die poſt domini Victoris promotionem ab Vrbe egreſſus, apud Ciſternam, in qua Nero imperator quondam ab Vrbe profugus latitauit, primo eſt immantatus. Probatum eſt quod in ſecundo die poſt promotionem domini Victoris, Rolandus interrogatus a rectoribus & clero Romano, ac clericis de ſua cardinalia, ſi domino Victori eſſet obediendum, expreſſe confeſſus eſt ſe nunquam fuiſſe immantatum, & expreſſe dixit: Ite, & obedite ei, quem immantatū eſſe videtis. Super his capitulis fuerunt teſtes, & ſub ſtola tactis ſacroſanctis euangeliis iurauerunt, Dominus Petrus Chriſtianus decanus baſilicæ beati Petri, & in perſona ſua, & omnium fratrum ſuorum. Iurauerunt etiam venerabiles archipresbyteri, & rectores cleri Romani, Blaſius & Manerius presbyteri, Ioannes presbyter gentilis, Aimerardus archipresbyter, Berardus archipresbyter, Ioannes archipresbyter, Benedictus diaconus, magiſter Ptolemæus archipresbyter, magiſter Gerardus, & Nicolaus, & alii honeſti clerici Romani. Præterea Petrus illuſtris Vrbis præfectus, Stephanus de Tebaldo, Stephanus Northmannus, Gimundus de domo Petri Leonis, Ioannes de Stephano, & alii principes & nobiles Romani, qui ad vocationem ſereniſſimi imperatoris venerant, in conſpectu Concilii ſuper iam dictis capitulis, ex maxima parte teſtimonium ſimiliter perhibuerunt, & iurare voluerunt. Sed nos quia religioſorum presbyterorum multorum teſtimonium ſufficiens & abundantiſſimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles epiſcopi Hermannus Verdenſis, Daniel Pragenſis, & Otto palatinus comes, & magiſter Heribertus præpoſitus, quos dominus imperator ex conſilio 22. epiſcoporum, & Ciſtercienſis & Claræuallenſis abbatum, aliorumque religioſorum tunc præſentium, Romam delegauerat, vt partes ante Concilii præſentiam Papiam euocarent, in conſpectu Concilii teſtimonium perhibuerunt,

Anno Christi 1160.

ANNO CHRISTI 1160. quod Rolandum cancellarium, & partem eius trinis edictis per interualla peremptorie & ſolenniter ad præſentiam eccleſiæ Papiæ congregandæ, remoto omni ſæculari iudicio, vocauerunt, & quod Rolandus cancellarius & ſui cardinales viua voce & ore proprio iudicium vel examen aliquod eccleſiæ ſe nolle recipere manifeſte dixerunt. Vidimus etiam ſcripta Henrici Piſani cardinalis tituli ſanctorum Nerei & Achillei ad dominum imperatorem directa, in quibus expreſſe continebatur, quod nullum vellent eccleſiæ ſubire iudicium vel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto cardinalis ſancti Nicolai de carcere Tulliano, qui tempore Concilii, & ante, apud Ianuam morabantur, & Ioannes Anagninus cardinalis, & Ioannes * Piozutus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant per octo dies, a Concilio toto ſunt expectati, & per literas & per nuntios Concilii ſunt vocati, & contempſerunt venire. Ex his igitur omnibus ſufficienter inſtructi, & veritate hincinde plenarie declarata, placuit reuerendo Concilio, vt electio domini Victoris, qui tamquam agnus manſuetus & innocens venerat, eccleſiæ iudicium humiliter ſuſcepturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitus caſſaretur. Et factum eſt ita. Electione itaque domini Victoris, remoto omni ſæculari iudicio, ſancti Spiritus gratia inuocata, confirmata, atque recepta, Chriſtianiſſimus imperator poſt omnes epiſcopos, & poſt omnem clerum, vltimus conſilio & petitione Concilii electionem domini Victoris recepit, & approbauit: & poſt eum omnes principes, & innumerabilis hominum multitudo, quæ præſens erat, tribus vicibus interrogata ſi eis placeret, reſpondit cum gaudio magna voce: Placet. Sequenti die proxima, id eſt prima ſexta feria quadrageſimæ, dominus Victor cum proceſſione ab eccleſia ſancti Saluatoris extra ciuitatem, in qua fuerat eius hoſpitium, ad catholicam eccleſiam glorioſe deductus eſt. Ibi religioſiſſimus imperator ante ianuas eccleſiæ eum ſuſcepit, & deſcendenti de equo ſtrepam humiliter tenuit, & apprehenſum per manum vſque ad altare conduxit, & pedes eius eſt oſculatus: & nos omnes patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi & abbates, & omnes principes cum vniuerſa

*Phizutus,

multitudine quæ præsens erat, pedes apostolicos sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est sabbato, habito generali Concilio, dominus papa, & nos cum illo, Rolandum cancellarium schismaticum, & eius principales fautores, accensis candelis anathematizauimus, & tradidimus eum satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestræ prudentiam volumus non latere, manifeste esse deprehensum, quod Rolandus cancellarius, & eius sequaces quidam cardinales, viuente adhuc papa Hadriano coniurauerunt. Fuit autem tenor coniurationis, quod si eis viuentibus papam Hadrianum mori contingeret, cardinalem vnum de illis eligerent, qui in eadem coniuratione esset astrictus, de cetero ex parte Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, & virorum orthodoxorum, qui diuino intuitu ad rescindenda schismata conuenerunt, vniuersitatem vestram humiliter imploramus, & monemus in Christo, vt ea quæ ecclesia Dei Papiæ congregata ad honorem Creatoris & sponsæ suæ matris vestræ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ tranquillitatem, & ad salutem omnium Christianorum fideliter ordinauit, vos, omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: orantes, vt Redemptor noster Christus Iesus vniuersalem pontificem & papam nostrum Victorem, de cuius sanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conseruet, & præstet ei omnimodam tranquillitatem & pacem: ita quod per eum Deus omnipotens honoretur, & ecclesia Romana, omnisque Christiana religio, gratum Domino accipiat incrementum. Vt autem omnis actio plenius legentibus eluceſcat, dignum duximus vt omnium nostrum consensus & nomina subscribantur. Anno Christi 1160.

Ego Peregrinus Aquileiensis patriarcha cum meis suffraganeis interfui & consensi.

Ego Arnaldus archiepiscopus Moguntinus cum quatuordecim suffraganeis interfui & consensi.

Ego Artuicus Bremensis archiepiscopus cum suffraganeis meis interfui & consensi.

Ego * Hellinus Treuerensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi. *Hellinus

ANNO CHRISTI 1160. Ego Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis conſenſi.

Ego Vvickmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis conſenſi.

Biſuntinus archiepiſcopus per legatum & epiſcopum Baſileenſem conſenſit.

Arelatenſis archiepiſcopus conſenſit.

Lugdunenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis conſenſit.

Viennenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis conſenſit.

Henricus rex Anglorum per literas & legatos ſuos conſenſit.

Rex Hungarorum per literas & legatos ſuos conſenſit.

Rex Bohemorum conſenſit.

Rex Danorum conſenſit.

Guido electus Rauennas conſenſit.

Epiſcopus Firminus conſenſit.

Epiſcopus Ferentinus conſenſit.

Mantuanus conſenſit.

Bergomenſis conſenſit.

Fauentinus conſenſit.

Abbatum vero & archipreſbyterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit & conſenſit.

Longobardorum inæſtimabilis multitudo interfuit & conſenſit.

Vniuerſi fere principes Romani imperii, tam Teutonici, quam Italici, tam in Vrbe, quam extra Vrbem, interfuerunt, & aſſenſum cum ingenti deſiderio præbuerunt.

EPISTOLA BAMBERGENSIS EPISCOPI.

De eadem re.

Reuerendiſſimo patri & domino Eberardo Saltzburgenſis eccleſiæ archiepiſcopo Eberardus Bambergenſis gratia Dei, ſi quid eſt, tam deuotum quam debitum cum oratione ſeruitium.

CONVENIENTIBVS in vnum Papiæ epiſcopis circiter quinquaginta, diuque ventilata quæſtione papatus, cum dilatio primo pene omnibus complacuiſſet, vſque ad maiorem rei notitiam, & aliud generalius Concilium, prævaluit tandem pars domini Victoris iuſtificata ab altera parte multis modis: quia coniuratio contra imperium factum illud præceſſerat: quia domini Victoris immantatio prior, illa poſterior, quo ſolo Innocentius Anacleto prævaluit, cum Anacletus plures & maximæ ſcientiæ & auctoritatis haberet electores. Deinde quod ad hoſtes imperii pars

illa se transtulerit, obligata Siculo, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, per sacramentum, quod sanæ doctrinæ aduersari videtur: & cum subditos a iuramentis fidelitatis debite absoluat, & seruire imperatori prohibeat quoscumque, & sic discessioni viam præparet, quod pessimum est, sicut opere ipso clarescit, & scriptis vndique per Italiam directis tam ciuitatibus quam episcopis. His malis principiis finem deteriorem promittentibus, perpetuam videlicet discordiam inter regnum & sacerdotium, & discessionem abinuicem, dum pars illa cum omni securitate conductus nec venire voluisset, nec etiam procuratores pro se mittere ad subeundum iudicium, & excipiendam sententiam, dominum Victorem recepimus, spe pacis & concordiæ inter regnum & sacerdotium; longo tamen examine præmisso, de tempore & ordine electionis suæ, de his qui eius electioni consenserunt primitus, & postmodum retro abierunt, cardinalibus numero nouem, testificante super his omnibus capitulo beati Petri & clero Romano, scriptis & viua voce nuntiorum sub iureiurando. Nuntius regis Francorum promisit pro eo neutrum se recepturum, vsquedum nuntios imperatoris recipiat. Nuntius regis Anglorum idem velle & idem nolle promisit, tam in his quam in aliis. Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis, Bisuntinus, per literas & per nuntios consenserunt. Solus Treuerensis de regno nostro supersest in parte illa de numero archiepiscoporum qui non consenserit: eius tamen suffraganei omnes consenserunt. Vsque ad vos solum peruentum est. Angelus magni consilii dirigat vos secundum beneplacitum suum, & custodiat vos in omnibus viis vestris. Præter hæc præpositus multa manifestabit vobis, quæ non licet ad præsens homini loqui. Congaudete mihi, qui dimissionem accepi, & ad propria redeo.

Anno Christi 1160.

EPISTO-

ANNO CHRISTI 1160.

EPISTOLA CANONICORVM SANCTI PETRI ROMÆ.

Pro parte Victoris.

Inuictissimo & glorioſissimo domino ſuo Friderico Romanorum imperatori, & ſemper Auguſto, & venerabilibus patribus in Chriſti nomine congregatis, fratres qui Romæ ſunt, baſilicæ ſancti Petri principis apoſtolorum canonici, Angeli magni conſilii præſentiam, & Spiritus ſancti conſolantem gratiam.

PATRES ſanctiſſimi, quos Deus elegit ad conſolationem mœrentium, & delinquentium correctionem, ſicut ait Apoſtolus, *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes*, intendite precibus noſtris, & ad dolorem noſtrum leniendum conſolationis manum extendite. Tanta eſt enim tam diffuſa mœroris noſtri materia, vt vnde debeamus exordium ſumere difficulter poſſimus inuenire. Verum quia materia doloris eſt & mœroris, a luctu & mœrore ordiri decreuimus. Attendite ergo & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor noſter, cum videamus matrem noſtram Romanam eccleſiam: quondam fulgentem, a filiis ſuis, imo alienis, quia mentiti ſunt ei, quos enutriuit & exaltauit, ipſi autem ſpreuerunt eam, contumelioſe euiſceratam, & membris ex parte mutilatam, in cœno iacentem, contumeliam iacturamque ſuam nec ſentientem. Vnde cum Ieremia, plorante ſuæ Ieruſalem deſtructionem, plorantes dicimus: *Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hoſtis, & inimicus per portas Ieruſalem.* Vere Ieruſalem erat mater noſtra Romana eccleſia, quæ cunctis ad ſe venientibus & quærentibus pacem dabat. Nunc autem, & dolentes dicimus, vt olim illa; Peccatum peccauit noſtra Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Nec immerito propter peccata prophetarum eius, & iniquitates ſacerdotum eius, errauerunt cæci in plateis, facies Domini diuiſit eos. Et vere: *Vultus enim Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Vnde plurimo rubore diffundimur. Vere peccatum peccauit hoc tempore noſtra Ieruſalem, inuidia & odio, & iniquitatibus multis, quæ, quia per omnia longum eſt enarrare, ad oſtendendam Romanam ele-

1. Theſſ. 5.

Ierem. 4.

Pſal. 33.

ctionem, & cauſam diſcordiæ declarandam, propoſitum conuertemus. ANNO CHRISTI 1159.

Domino igitur papa Hadriano felicis memoriæ, prima vigilia, Kalendis Septembris, viam vniuerſæ carnis ingreſſo, conuenit illico maxima multitudo, cum quibus & ſenatores adfuerunt, quorum conſilio corpus Romam delatum eſt. Inter cardinales vero contentione creſcente, conuenit tandem inter eos vt Romam redirent, & concordem electionem facerent de aliquo cardinalium. Quod ſi non poſſent, quærerent extraneam perſonam. Quod ſi nec ſic poſſent conuenire, ab electione quieſcerent, donec inuenirent idoneum virum, quem concorditer eligere deberent. Et hoc vnanimiter ab omnibus confirmatum eſt. Poſt hoc autem ſtatim Romam redierunt. Dominus Octauianus, & quidam alii acceſſerunt ad obſequium defuncti. Quidam vero alii præmiſerunt auctorem ſcelerum Boſonem primogenitum Satanæ, vt munitionem beati Petri occuparet, cuius cuſtodes fidelitatem ei iurauerant, domino papa Hadriano viuente, eumque poſtea ſubſequentes eamdem munitionem conſcenderunt. Dominus autem Tuſculanus palatium aſcendit. Dominus Octauianus & dominus Rolandus cancellarius ad domos noſtras venerunt, & quidam alii. Vocati autem iſti ab illis qui munitionem obſeruabant, reſponderunt ſe nunquam aſcenſuros in munitionem, Boſonem verentes, ne, ſicut eis relatum fuerat, a iuratis Boſonis caperentur. Et dominus cancellarius, Vadam, inquit, & eos ad vos deſcendere faciam. Iuit cum eo diaconus de carcere Tulliano videlicet, nec redierunt, & ſic per biduum de loco vbi electionem facerent, conuenire nequiuerunt.

Tandem die ſabbati deſcendentibus illis de munitione, aſcenderunt omnes poſt altare beati Petri, & cœperunt de electione tractare. Cumque conuenire non poſſent, dixerunt iſti qui concordiam & pacem eccleſiæ deſiderabant, Date nobis electionem, & eligemus vnum de vobis, aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis vnum: & noluerunt. Surrexit tandem velut iratus Otto, diaconus ſancti Georgii, & Adebaldus Craſſus, cardinalis ſanctorum apoſtolorum, & Ioannes Neapolitanus, & accepto manto voluerunt immantare domi-

ANNO CHRISTI 1160. num Rolandum cancellarium, sed saniore & meliori parte cardinalium ex parte Dei omnipotentis, & beatorum principum apostolorum Petri & Pauli, atque totius ecclesiæ auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterum eum immantare attentauerunt, nec potuerunt, & cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt: per eos tamen non stetit quin immantaretur. Ceterum clerus Romanus, qui in ecclesia beati Petri pro electione summi pontificis conuenerant, audito clamore cucurrerunt, circumdantes dominum Ottonem, qui erat cum cardinalibus iuxta altare beati Petri, & clamauerunt omnes dicentes: Dominum Octauianum eligite, per quem solum ecclesia pacem potest habere. Tunc petitione populi Romani & electione totius cleri consentiente, & desiderante vniuerso capitulo basilicæ beati Petri, dominus Octauianus cardinalis a saniori parte cardinalium electus est, & manto indutus, ac in sede beati Petri positus, absque omni contradictione, cantantibus omnibus Te Deum laudamus in iubilo. Deinde, sicut mos est, domini cardinales, & clerus Romanus totus, qui præsens erat, & qui postea confluxerat, populique Romani pars maxima, pedes eius osculati sunt. Quod videns dominus Rolandus cancellarius, & qui ei, sicut dicebatur, iuramento erant astricti, nec clamauerunt, nec aliquo modo contradixerunt, sed inclinato capite redeuntes, munitionem quasi spe sua frustrati conscenderunt. Tunc domini cardinales, clerus, iudices, scriniarii, senatores, populusque Romanus, dominum electum signis & bandis præcedentibus, ad palatium vsque cum iucunditate perduxerunt, Romano more clamantes: *Papa Vittore, santo Pietro lo elegge.* In crastinum autem quidam de clero Romano ascenderunt munitionem, & osculata manu domini cancellarii, cœperunt eum & qui cum eo erant, rogare, vt paci ecclesiæ prouideret. Quidam autem de diaconis curiæ respondit eis velut indignans: Heri pedes domini Octauiani, qui fratrem suum dominum cancellarium exuit manto, & se induit, estis osculati, & modo venitis ad nos? Et dominus cancellarius, Noli, ait, domine cardinalis, dicere quod verum non est. Dominus Octauianus nunquam exuit me manto, quia nunquam indutus fui.

ſicque per totam hebdomadam illam domino cancellario & ſuis in eccleſia beati Petri morantibus nono die deſcendentes trans Tiberim, eo die & altero commorantes, vndecim exierunt, & peruenerunt ad ciſternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos inſequentes. Iuſte ciſternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione domini Victoris, induerunt cancellarium ſtolam & pallium erroris, in deſtructionem & confuſionem eccleſiæ, ibique primum cantabant Te Deum laudamus: quis veſtrum, o ſanctiſſimi patres, audiuit talia? Quantum in eis eſt, biceps hodie facta eſt Romana eccleſia. Nunc tacendum nobis eſt, vt dominus Otto palatinus comes, & dominus Guido comes de Blanderata, & dominus Heribertus præpoſitus, viri prudentiſſimi, imperatoriæ maieſtatis legati, vicem recipiant referendi, quid in domino cancellario & ſuis repererint. Qui cum nota retulerint domini epiſcopi, & domini imperatoris legati, quid hincinde humilitatis & veritatis cognouerint plenius poterunt enodare. In Vrbe quoque cum Romanus clerus ad eccleſiam beati Petri, ipſis præſentibus, conueniret, quid de facto iſto perſenſerint, quoniam præſentes eſſe credimus, referant ipſi, & ad hoc comprobandum duos de fratribus noſtris Petrum Chriſtianum eccleſiæ noſtræ decanum, & Petrum Guidonis camerarium ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconum, ſanctitati veſtræ tranſmittimus, vt de his omnibus veritatis teſtimonium etiam viua voce perhibeant. In cœna Domini eſtis, in qua redemptionis humanæ ſacramenta peregit. Duos gladios apoſtoli ſe habere profeſſi ſunt, quos & vos habetis, quid in eis, & per eos agere debeatis, nullus veſtrum ignorat. Ibi dictum eſt a Chriſto, *Satis eſt*. Et nos qui Chriſti veſtigia ſequi debemus, vobis dominis noſtris dicimus; huic operi finem facientes, Satis eſt. Omnipotentis ſapientia Patris, qui nouit & poteſt vnire vota & voluntates omnium, doceat vos omnes, & vniat ad confuſionem Babylonicam deſtruendam, & ſimoniam de eccleſia propellendam, & pacem toti mundo deſiderabilem in integrum reformandam.

Anno Christi nto.

ANNO CHRISTI 1160. Hæc eadem ſummatim, non citra fauorem & ſtudium, vt ſolet, ſchiſmaticorum imperatorum fautor abbas Vrſpergenſis in chronico his verbis enarrat: *Tunc imperator Fridericus, tali turbatione comperta, Romanæ ciuitati condoluit, & qualiter ſubuenire poſſet excogitauit. Tandem de conſilio bonorum virorum vtroſque electos ad ſe venire ſtatuit apud Papiam, non vt eos iudicaret, aut cauſam ſedis apoſtolicæ, ſed vt a prudentibus viris addiſceret, cui electo potius obedire deberet. Quo Octauianus, qui & Victor, cum ſuis fautoribus aduentauit. Rolandus vero, qui & Alexander, frequenter admonitus accedere contempſit. Tunc coram imperatore, & patriarcha Aquileienſi, & epiſcopo Cremonenſi, & aliis quampluribus epiſcopis, & eccleſiarum prælatis, cauſa Octauiani diſcuſſa eſt: & adhibitis teſtibus, qui præſentes fuerunt, probatum eſt, quod ſicut ſupra deſcriptum eſt facta eſt vtraque electio. De iure quoque ſatis adiectum eſt, vt reprobata electione Rolandi, Octauianus verus præſul Romanæ eccleſiæ iudicaretur. Tunc patriarcha Aquileienſis, alii quoque epiſcopi, & eccleſiarum prælati, ad pedes eius ſe proſtrauerunt, imperator quoque idipſum fecit, vt ab eo indulgentiam acciperent, & ſibi obedientiam facerent. Quem exinde imperator deſtinauit in Alemanniam, vt cuncti ei obedientiam facerent, quod & factum eſt: nam Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus eum deuote recepit. Moguntienſis quoque & Magdeburgenſis ipſi Victori papæ ſe ſubdidere cum ſuis ſuffraganeis. Manſitque Roma cum ſuis conſpiratoribus in confuſione, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam:* Qui inſurgunt in me, confundantur; *& tertium dictum adimpleretur:* Seruus tuus lætabitur. Hæc ille. *Pſal. 108.*

EPISTOLA
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD ARNVLPHVM LEXOVIENSEM EPISCOPVM.

Refert de hoc Conciliabulo quæ præ pudore ſchiſmatici ſilentio præterierunt.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Arnulpho Lexouienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LITERAS a tua nobis prudentia deſtinatas tanto hilariori mente ſuſcepimus, quanto de vberiori pinguedine caritatis, & ampliori feruore deuotionis eas nouimus proceſſiſſe. Quas & noſipſi attente ſatis ac diligenter inſpeximus, & vt conceptæ dilectionis integritas, & probatæ fidei certitudo, in tenebris non lateret, ſed fieret ignorantibus manifeſta, eas in fratrum noſtrorum audito-

rio publice fecimus recitari. Ipſæ profecto & deuotiſſimi continebant puritatem animi, nec minus luculentam profundi pectoris eloquentiam redolebant. Nouimus autem, & immemores non exiſtimus, qualiter, ſicut & ipſa tua ſcripta plenarie continebant, diuæ ac reuerendæ memoriæ Innocentio papæ anteceſſori noſtro ſchiſmaticus ille, qui & generoſitate naturæ, rerum copia terrenarum, prudentia ſæculari, & gratia labiorum, mira æſtimatione reddebatur inſignis, nefaria temeritate ſuccreuit, & innocentem noxius, fortis debilem, armatus inermem, ſchiſmaticus catholicum impugnabat. Ceterum ad quem finem res ipſa, Deo miſerante, peruenerit, deuoti & fideles eccleſiæ filii per gloriam meritorum, mali vero per ſuppliciorum grauamina cognouerunt. Quid etiam de aliis ſimilia præſumentibus antea ſæpenumero contigiſſet, tu tam fecunde, quam eleganter, in illis eiſdem literis expreſſiſti. Temporibuſque noſtris optimus Deus voluit hæreſes ſuſcitare, vt qui probati ſunt manifeſti fiant, & vt per noſtrum & aliorum catholicorum ſtudium & laborem granis a paleis in area domini ſegregatis ſchiſmata & hæreſes conterantur. Credimus ſiquidem, & de gratia diuina confidimus, quod in proximo ſedatis fluctibus procellarum, & ventorum turbine propulſato, dies nobis ſerenus & fulgidus arridebit, & calcatis inimicis eccleſiæ tranquilla in portu Petri nauicula reſidebit. Anno Christi 1160.

Perſoluimus autem gratias omnium Conditori, laudum præconia referentes, quod magnificum illum & ſereniſſimum orbis principē Henricum regem Anglorum audiuimus firmum & ſtabilem in catholicæ vnitate eccleſiæ permanere, & quod per tuam præſertim inductionem idem in ſancto propoſito animum ſolidauit. Rogamus ſane vt ita vigil ſemper circa eum & ſolicitus perſeueres, ne per frequentes vexationes imperatoris & nuntiorum ſuorum, a deuotione eccleſiæ & noſtra, quod abſit, velit modo quolibet declinare. Volumus quidem te apud eumdem regem, & epiſcopos, atque adiacentes perſonas, quaſi quemdam apoſtolum & nuntium veritatis in illis partibus experiri. Circumpoſitos quoque & vicinos epiſcopos, & tam eccleſiaſticas, quam ſæculares perſonas, nobiles præcipue ac potentes, ad hoc ipſum efficaci ſtudio & omni

ANNO CHRISTI 1160. diligentia exhorteris. Nos enim perſonam tuam quam ſincera caritate in Domino diligamus, atque ad honorem & exaltationem tuam quam prompto animo deſideremus intendere, per illum dilectionis feruorem, quem circa te & ante promotionem noſtram habuimus, diſcretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare.

Præterea qualiter Fridericus Romanorum imperator, auorum ſuorum ſceleratiſſima veſtigia ſubſecutus, circa ſacroſanctam eccleſiam Romanam in præſenti ſe habeat & olim habuerit, & qualem circa eam animum gerat, qui vtique ſpecialis eius patronus deberet & defenſor exiſtere, multis rerum indiciis a longis retro temporibus ad notitiam tuam non ambigimus peruenisſe. A tempore ſiquidem anteceſſoris noſtri piæ recordationis Hadriani papæ, & ab exordio dignitatis ſuæ cœpit ſanctam Romanam eccleſiam tamquam tyrannus opprimere & non mediocriter infeſtare. Archiepiſcopos namque, & epiſcopos a ſede apoſtolica redeuntes, in ignominiam & detrimentum eccleſiæ plerumque capi turpiter & inhoneſte præcepit, eoſque fecit carceris cuſtodiæ mancipari.* Non quoque in minori officio conſtitutos, qui cum venerabili fratre noſtro B. nunc Portuenſi epiſcopo ad eum fuimus delegati, qualiter apud Biſuntium ipſe tractauerit, & quam indigne receperit, non opus eſt nos in præſentia referre, quia credimus te idipſum plenarie cognouiſſe.* Veniente etiam prædicto anteceſſore noſtro, patrimonium beati Petri violenter inuaſit, & eamdem Romanam eccleſiam niſus eſt modis omnibus conculcare, ita quod a pluribus dicebatur, & quaſi fama communis habebat, quoniam eo ſuperſtite Octauianum, qui ſemper fuit domeſticus eccleſiæ inimicus, ordinare apoſtolicum, imo apoſtaticum, ſic opportunitatem accipere intendebat.

*ſ. Nos

*ſ. Vicente

Quia vero illo viuente omnipotens Deus non permiſit eum conceptam veſaniam exercere, poſt mortem eius opportunitate concepta, prædictum Octauianum ſchiſmaticum, ſimoniacum, & manifeſtiſſimũ inuaſorem, qui cum tribus tantum malitiæ ſuæ complicibus, ſicut totus pene mundus agnouit, poſt canonicã & vnanimem electionem noſtram mantum arripuit, & ita ſe damnabili præſumptione intruſit, in tanta iniquitate modis omnibus manute-

nuit, & quidquid ille fecit, ſolo fauore, potentia & auctoritate ipſius, & nuntiorum ſuorum, qui in Vrbe præſentes extiterant, eum feciſſe abſque ambiguitate tenemus. Vnde ad confirmationem ipſius, imo vt omnem videretur in eccleſia Dei auctoritatem habere, archiepiſcopos, epiſcopos, & alios eccleſiarum prælatos, apud Papiam, contra ſacrorum inſtituta Canonum, prout ei placuit, conuocauit. Ille autem, ſicut homo, qui nec in Deo, nec in iuſtitia confidebat, in ipſius imperatoris præſentia per aliquot dies, velut pro certo accepimus, inſignia pontificatus abiecit, ſicut etiam in noſtro & fratrum noſtrorum conſpectu, dum Romæ olim nos teneret incluſos, ſuam malitiam recognoſcens, facere voluit, ea quidem conditione ſeruata, vt nos ei poſtmodum reddere deberemus. Cumque nos ea recipere ſub hac conditione nollemus, ipſe in ſua pertinacia & damnabili præſumptione permanſit. Anno Christi 1160.

Ceterum vt prædictus imperator eccleſiam Dei ſuæ videretur ſubiugare & ſupponere ditioni, & eam in ſupremam redigere ſeruitutem, memorato apoſtatico, ſicut dictum eſt, pontificalia inſignia reddidit, & eum de papatu, quod eſt a ſæculis inauditum, per annulum, prout dicitur, inueſtiuit. Quoſdam etiam epiſcopos, aliis diſcretioribus & honeſtioribus occulte de illo Conciliabulo fugientibus, & reuerentiam exhibere laicali violentia & tyrannica oppreſſione coegit. Sic enim reges & principes diuerſarum partium ſibi intendit tum ſpirituali, tum materiali gladio ſubiugare, ſi in hac parte, quod abſit, nefandiſſimum eius propoſitum præualeret. At hæc iuxta prudentiæ tuæ conſilium, Rothomagenſi archiepiſcopo eiuſque ſuffraganeis, & aliis per Northmanniam conſtitutis, exhortationis literas deſtinamus. De cetero memoratum Fridericum imperatorem pro eo quod Octauianum ſchiſmaticum recepit, & ei pertinaciter adhærere præſumit, cum eodem Octauiano, & cum aliis principalibus fautoribus ſuis, nos de communi fratrum noſtrorum conſilio, in cœna domini publice ac ſolenniter excommunicaſſe cognoſcas. Data Anagniæ Kalendis Aprilis.

His acceptis Arnulphus ab Alexandri literis, vt partes creditæ ſibi legationis impleret, ad archiepiſcopos & epiſcopos * Angliæ, de his

* Gallia, forte scribendum

ANNO CHRISTI 1160.

his quæ gesta essent in Conciliabulo Papiensi, literas dedit, quas ob plenam rerum gestarum significationem hic describendas operæprecium duximus, sic enim se habent:

Alexandri nuper lectis possumus intelligere, & interim innotescit, licet textu depravatus legat.

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ANGLIÆ.*

**GALLIÆ.*

QVANTA tempestate laboret ecclesia, atque in quanto videatur periculo constituta, vestra, quos hic dolor tangit, prudentia non ignorat. Et filii quidem Babylonis prospiciunt & exultant, qui quasi certum auspicantes de procellarum quantitate naufragium, ad diripiendas sarcinas & ipsa nauigii tabulata concurrunt. Nobis autem securitatem præstat diuina promissio, qua portas inferi aduersus eam prævalere non sinit, sed vexationis iniurias victoriæ certitudo compensat. Neque enim desperationi locus est, vbi causam rectitudo commendat, & virtutem patientiæ firmat interim conscientia veritatis. Causæ siquidem nostræ nec ignota veritas, nec incerta iustitia, sed res luce clarior, & prauitatis nube negotium purgat, & omni iudicium absoluit errore.

Si enim persona personæ comparetur, nostram perfectio scientiæ & omnium virtutum format integritas, quod non magis nostræ, quam aduersariæ quoque partis testimonio confirmatur. Alteri vero si nobilitas generis, & quæsita ob hoc ipsum potentium gratia subtrahatur, non erit vnde ad maiestatis apostolicæ fastigium audeat aspirare. Sed & si facta electionum inuicem conferantur, electionem nostram omni ordine, omni solennitate, omni denique ratione subnixam, alteram plenam impudentia constat, & omni rationis adminiculo destitutam. Numquid enim vnius episcopi, ipsiusque quem nostis, & duorum cardinalium toti ecclesiæ præiudicabit auctoritas, & reprobata vniuersitate catholica, intra quaternitatis huius angustias coarctata credetur? Numquid consecrationi rite ac solenniter per eam cuius interest multitudinem celebratæ ea, quæ postmodum per paucas ipsasque emendicatas manus contracta est, poterit prævalere? Numquid impudentiam coniecti sibi propriis manibus indumenti minax redemptorem satellitum violentia consecrabit? Certum siquidem est, Octauianum ecclesiam beati Petri, cum ibi celebranda foret electio, armatorum copia com-

pleuisse, vt quod de meritis suis,& sanctorum patrum gratia non sperabat, strictis in ceruices resistentium gladiis vsurparet. ANNO CHRISTI 1160.

Denique consensu omnium in personam sanctissimi patris Alexandri firmato, dum ipse laudabili verecundia renuit & excusat, impositumque sibi manibus fere omnium pluuiale repellit, dissimulare vlterius ambitio non potuit vel differre; sed effusa temeritate, nullo adhuc cardinalium, sicut dicitur, prosequente, cucurrit ad cathedram,ea nimirum fiducia,quod inuitis armatis non posset ab inermibus amoueri. Pari quoque palatium festinatione conscendit, vt primus vtramque cathedram videretur insedisse, & quem iure non poterat, saltem de festinatione sortiretur ascensum: quo prædicti tres eum de tota vniuersitate secuti sunt. Alii gladiis discurrentibus territi cum electo suo in munitionem proximam concesserunt,vbi eos aduersarius ille nouem diebus obsessos gladiis tenuit & inclusos, exiguam sicut poterant alimoniam toto illo tempore mendicantes. Vnde etiam sibi mentiendi causam componit iniquitas, asserens Octauianum, priusquam alter eligeretur,per nouem dies apostolatus cathedram solitarium insedisse,quasi ille ab initio,licet renuerit,non fuisset electus, vniusque violenta possessio sanctificare iniustitiam, & ambitionis audaciam valeat expiare.

Porro illi de carcere beneficio senatus educti,ad locum, quo apostolica insignia seruabantur, Domino miserante, perducti sunt, vt electio manciparetur effectui,& electus gratiam consecrationis per manum Ostiensis episcopi, ad quem hoc iure speciali pertinebat, acciperet. Denique cardinales & episcopi, qui per diuersas prouincias legationis fungebantur officio,ad eum pari deuotione conuersi sunt: totique iam ecclesiæ Dei indubitatæ tranquillitatis serenitas arrideret, nisi homo ille ad præparatum imperatoris auxilium transfugisset. Verum ille gloriæ suæ,& non Dei sedulus æmulator, desiderii complendi, quod de proauorum exemplo conceperat, occasionem lætabundus accepit. Nostis enim prædecessores eius ad subiugandam ditioni suæ Romanam ecclesiam a longis retro temporibus aspirasse, ipsosque aduersus eam semper vel suscitasse vel fouisse schismaticos, quo magis iure eius, cui ipsi

ANNO CHRISTI 1160. miniſterium debent, affectatum poſſent imperium exercere, eamque ad ſuam conuerſo ordine non diſponere ſed euertere voluntatem, bene tamen, quoniam quiſquis ad hanc de confidentia poteſtatis illius prorupit audaciam, in ruinam ſibi factus eſt, ceteris in exemplum, quo confuſa deinceps ceſſerat elatio, & ſua eccleſiæ Dei dignitas & reuerentia ſeruaretur. Ceterum hic blanda ſchiſmatici deſperantis humiliatione ſeductus eſt, dum ille perſonam ſuam arbitrio eius exponit & cauſam, neque ſe quidquam fore, niſi de ſola ipſius voluntate præſumit. Vnde & ad pedes eius ipſa dicitur apoſtolatus inſignia reſignaſſe, poſteaque de manu ipſius inueſtituram accepiſſe per annulum, vt veteri ſcilicet quæſtione compoſita, regnum plane de ſacerdotio, de ſpiritualibus temporalia, de eccleſiaſticis viderentur ſæcularia triumphaſſe. Indignum facinus, omnibuſque ſæculis deteſtanda malitia, ordinationem ſcilicet diuinam qualibet temeritate conuertere, & redemptam ſanguine Chriſti perimere libertatem.

Prædictus itaque princeps negotium ſuum, tamquam ſub vmbra pietatis exercens, eccleſiaſticum congregauit ſæculari poteſtate Conuentum, vt præſumptionem ſchiſmatici illius proprio roboraret aſſenſu, & quos poſſet ad obedientiam illius tyrannicæ poteſtatis terroribus inclinaret, ea ſiquidem intentione, vt vtriuſque gladii virtute
*& comminuta priſtinam reformet imperii maieſtatem, *vt vtriuſque inuicem cooperante potentia, omnia regna propriæ ſubiiciat ditioni. Porro illi, quos ſchiſmatico conciliauerat neceſſitas, aut voluntas, falſitatis & blaſphemiæ ſymbolum conſcripſerunt, vt quod de veritate non poſſunt, ſaltem conquiſitæ multitudinis ſuffragio præualere credantur. Quod ſcriptum ſi forte contigerit ad ſapientiæ veſtræ venire conſpectum, multa plenum falſitate credatis, licet etiam, ſi abſolutam contineret in omnibus veritatem, nihil, quod ibi diſpoſitum ſit, aliquem de iure ſortiretur effectum. Neque enim arbitrium dici poteſt, ad quod voluntaria partium compromiſſio nos aſtringit; nec iudicialis ſententia, quæ nec ab ordinaria iuriſdictione, nec a delegata, procedit. Sed & cauſam communem priuata auctoritate decidere, qua arrogantia præſumpſerunt, nobiſque tamquam inferioribus imponere magiſtra-

tum, quos diuina bonitas pares ordine, & etiam ſpectabiles conſtituit dignitate? Sed neque cauſa dici debet, vbi inter conſentientes nullum potuit eſſe litigium: neque ſine contradictione quæſtio vel formari potuit vel abſolui. ANNO CHRISTI 1160.

Ad hæc, ſi quod de Octauiano factum eſt, ab initio forte non valuit, expoſt facto iſtorum nullo iure valuit confirmari, cum ipſe iam ab eo, qui poterat, condemnationis ſententiam, debitique pœnam anathematis excepiſſet. Scio ſapientiam veſtram validioribus argumentis potioribuſque rationibus abundare, vt Papienſe illud Conciliabulum nullius reputetis extitiſſe momenti, * a vobis etiam minus intelligentium ſimplicitas valeat edoceri. Benedictus autem Pater miſericordiarũ & Deus totius conſolationis, qui eccleſiæ Gallicanæ ſolitam miſericordiam benignus impendit, vt eam ſemper & agnitione veritatis illuſtret, & pedes eius a iuſtitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes, quos ad oppreſſionem Romanæ eccleſiæ rabida Teutonici furoris prouexit inuidia, virtus Altiſſimi manifeſta deiecit; ſic omnibus, quos deuotio Gallicana ſuſcepit, victoriam ſemper contulit & triumphum. Cumque multis conſtet, ceteras regiones abundaſſe portentis, ſola Gallia monſtra non habuit, ſed ſinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulſit. Vnde nunc quoque perſonarum penitus qualitate diſcuſſa, factiſque electionum plenius exploratis, in perſonam ſanctiſſimi patris Alexandri, de vere catholici & ſereniſſimi regis ſui beneplacito conuenerunt, literaſque eius & nuntios paſſim & ſuſcipiunt & honorant. Sed quia inter ipſum & principem noſtrum, Deo volente, nouiter eſt reformata concordia, placuit ob gratiam ipſius ad momentum differre publicandæ ſuſceptionis edictum, donec iſte noſter eccleſiam regni ſui conſoluiſſe poſſet, & quod mente concepit aſſenſus veſtri conniuentia confirmaſſet. Neq; enim prudentiam regalis excellentiæ decuit aliquid ſuper tanto negotio inconſulta veſtra ſapientia definire, ne gloriam ſuam alteri dediſſe videretur, & reuerentiam veſtram minoris quam debuit æſtimaſſe. Quæ tamen ſuper hoc ipſius ab initio voluntas extiterit, multis declarauit indiciis, & expreſſit; quoniam patris Alexandri nuntios & literas cum reuerentia ſemper excepit & gratia,

ANNO CHRISTI 1160. nullumque se alium susceperturum, adhibita sæpe coram omnibus asseueratione, prædixit.

Porro literas Octauiani oblatas renuit manu regia, velut immundum aliquid sordidumque, contingere, sed in contemptum eius ligneæ tabellæ, quam ipse de puluere sustulit, manibus offerentis impositas, ipse statim coram nuntio post dorsum suum quam sublimius potuit, risu multitudinis quæ aderat prosequente, proiecit. Ex his igitur manifestum est, voluntatem eius in fauorem domini Alexandri sine omni ambiguitate firmatam; ipsumque *f. vestrã * vestrum magis ob reuerentiam quæsisse consilium, quam pro absoluenda qualibet super hoc negotio quæstione. Solent enim principes dominique terrarum maiora quadam semper mora suspendere, vt dilatione crescat auctoritas, & maior lætitia desideria protracta consummet. Super quo plane cum in idem fauor principis veritasque concurrant, manifeste vobis viam responsionis gratia diuinæ bonitatis assignat. Oportet tamen vos propter aliquos, qui inter vos sunt, solicite prouidere, qui se schismatico illi dicunt cognatione coniunctos: ne malignitas forte præualeat, & eam, quæ ex Deo est, supplantet carnis affectio caritatem. Sed cum vniuersitas vestra conuenerit, nolite quorumlibet expectare sententias, nec eorum timeatis offensam, sed conceptum statim in virtute spiritus vsurpate sermonem, ne dissimulatio vestra prauitati præstet audaciam, vestroque silentio blasphemiarum primitia conualescant. Tempestiuius igitur zelus iustitiæ per os vestrum de libertate conscientiæ & confidentia veritatis erumpat, vt quasi quodam spirituali tonitruo terreatur iniquitas, & præparata ad subuersionem fidei fallacia suffocetur. Dominus mentes vestras in bonum sua pietate dirigat & confirmet, vt ecclesiæ eius studio vestro reformetur integritas, & quæ vos tantis vltro beneficiis & honore præuenit, gratos in opportunitate sentiat & fideles.

Hucusque Arnulphus ad Galliarum episcopos, egregiam nauans operam pro catholico antistite aduersum schismaticum inuasorem.

Inter alios Galliarum episcopos, qui electionem Alexandri pontificis prouexerunt, & protexerunt, fuit præcipuus Vvilielmus archiepiscopus Senonensis, ad quem ista Petrus Blesensis: *Vos enim estis, in cuius consilio & auxilio potissimum suæ salutis ancoram nauicula beati*

*Petri constituit, cum inter schismaticæ persecutionis fluctus periculosius æstuaret, vobis contulit Deus in pueritia super senes intelligere; & ad futuram naturæ canitiem maturiore morum senio peruenire. * Fluxus adolescentiæ motus in vobis ratio magistra cohibuit, vt omni lasciuiæ libertate præcisa, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec potestas, nec cetera, quibus pudicitia expugnatur, propositum interuerterent castitatis, sed modestia in omnibus conuersatio plus angeli quam hominis exhiberet. Ceteras virtutes, quibus miraculose fulgetis, sub silentio præterimus: nec enim nostra præconia mendicat is, cuius honestatem & prudentiam fama celebris latissime promulgauit.* ANNO CHRISTI 1161. * Fluxus

Hæc de Vvilielmo Petrus, cuius testificatione constat, de Senonensi translatum ad Rhemensem ecclesiam, vbi pro sancto Thoma Cantuariensi episcopo strenue egit. Tales erant qui pro Alexandro aduersus schismaticos iniere certamen.

[a] CONCILIVM ANGLICVM EPISCOPORVM NORTHMANNIÆ apud Nouum mercatum celebratum, de receptione papæ Alexandri, & refutatione Victoris antipapæ, anno Domini MCLXI. tempore Alexandri papæ III.

ANNO CHRISTI 1161.

NOTA.

Alexander papa in Anglia recipitur.

[a] *Concilium.*] *Anno* 1161. *mense Iulio*, inquit Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum, *Henricus rex Anglorum congregauit omnes episcopos Northmanniæ, & abbates, & barones, apud Nouum mercatum, & Ludouicus rex Francorum adunauit suos Beluaci; & ibi tractatum est de receptione papæ Alexandri, & refutatione Victoris: & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.* Hæc ille.

[a] CONCILIVM BELVACENSE.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Eadem de causa eodemque tempore in Gallia celebratum fuit, vt patet ex verbis prædicti continuatoris supra recitatis.

ANNO CHRISTI 1161.

[a]CONCILIABVLVM LAVDENSE QVO IN PRÆSENTIA IMPERATORIS Friderici I. intrusus antipapa Octauianus, Victor III. dictus, recipitur, anno Domini MCLXI. sub Alexandro III.

NOTA.

[a] *Conciliabulum.*] De huius Conciliabuli actis Otto Morena in Laudensi a se scripto chronico, fautor schismatici papæ, ista habet: *Sequenti vero die, in quo fuit tunc festum sanctorum Geruasii & Protasii, per dominum papam inceptum est sacrum Concilium, quod a principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat, postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate imperatoris Laudæ est celebratum. In quo dominus imperator cum suis principibus, &* [*] *dux Bohemiæ, & dominus Pellegrinus Aquileiensis patriarcha, & dominus Guido electus Rauennæ archiepiscopus, & multi episcopi, & magna copia priorum, abbatum, præpositorum, aliorumque clericorum, qui venerant ad Synodum, seu Concilium, vnanimiter confirmauere electionem, quæ in prædicto anno Papiæ iam facta fuerat de ipso domino papa Victore. Fuere autem in ipso Concilio recitatæ literæ excusatoriæ regis* [*] *Daciæ, & regis Noruegiæ, & regis Hungariæ, & regis Bohemiæ, & sex archiepiscoporum, & viginti episcoporum, multorumque abbatum tam Claræuallensium, quam aliarum congregationum, atque præpositorum: in quibus omnibus literis continebatur, ipsos reges cum vniuersis eorum prouinciis, & prædictos archiepiscopos, episcopos, abbates, & præpositos velle se tenere præfatum dominum Victorem pro papa & domino, & se velle ratum habere totum quod dominus Victor statuit in ipso Concilio cum aliis sibi præsentibus.* Sed veritate cognita, resilierunt ex iisdem plurimi. Pergit auctor: *In ipso etiam Concilio fuere excommunicati dominus Hubertus Mediolanensis archiepiscopus vna cum consulibus Mediolani, & episcopus Placentinus, & episcopus Brixiensis, & Placentiæ, & Brixiæ consules, omnesque ipsorum consiliarii, ac etiam omnes illi, qui interfecerunt Moguntinum archiepiscopum, & qui in eius morte consenserunt, & episcopus Bononiensis..... depositi fuere irrecuperabiliter. Episcopus vero Paduanus, & episcopus..... vsque ad Kalendas Augusti termino eis dato, ab officio suspenduntur. Et hæc acta sunt in die Iouis, cum Concilium vsque ad ipsam diem perduraſſet, in qua die fuit tunc festum sancti Iacobi Alphæi.* Hæc auctor, addictus Victori pseudopapæ, contra catholicum pontificem Alexandrum.

* rex

* Dania,

[a]CONCILIVM LONDONIENSE, QVO THOMAS, THEOBALDO defuncto, electus est Cantuariensis archiepiscopus anno MCLXII. sub Alexandro III.

Anno Christi 1162.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De hac Synodo Baronius ex actis vitæ sancti Thomæ ab Eduardo conscriptis, & apud Surium tomo 6. die 29. Decembris extantibus, ista: Anno (scilicet 1162.) Londini in Anglia generale Concilium celebratur, conuenientibus omnibus episcopis ad subrogandum metropolitanum Angliæ totiuş antistitem Cantuariensem archiepiscopum, defuncto feria secunda paschæ Theobaldo archiepiscopo, cum sedisset annis viginti duobus. Conuenit simul & rex ad hoc ipsum, communibusque omnium votis electus est Thomas ex cancellario. Hæc Baronius.

[a]CONCILIVM TVRONENSE, QVO VICTOR ANTIPAPA eiusque fautores schismatici, iudicio 17. cardinalium, & 124. episcoporum excommunicati fuerunt, anno MCLXIII. sub Alexandro III.

Anno Christi 1163.

SERMO HABITVS IN CONCILIO TVRONENSI.

Sermo synodicus inter epistolas Arnulphi.

HODIERNVM sermonem, domini & patres mei, mihi domini nostri, qui præsidet, Romani videlicet pontificis, iniungit auctoritas. Et ego quidem munus iniunctum magis de necessitate obedientiæ, quam de animi voluntate susçipio. Mallem vt in alium declinasset ista dignatio, cuius & vita commendabilior esset, & maior tam scientiæ quam eloquentiæ plenitudo. Quis enim ego sum, qui in auribus tot, tam prudentium, tam venerabilium personarum quemlibet mihi debeam vsurpare sermonem? Sed & quis ego sum, qui mandato Romani pontificis audeam obuiare? Angustiæ mihi sunt vndique: inter verecundiam & necessitatem constitutus. Altera me monet vt sileam; altera quasi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obediendum est sine mora, sed verecundia

linguam

ANNO CHRISTI 1165. linguam reprimit, obstruit intellectum, & a facie reuerentiæ vestræ stupore quodam reddit pauidum & confusum. Scio enim quia tria solent in prædicatore requiri, sanctitas conuersationis, plenitudo scientiæ, fecundior eloquentiæ vena. Sanctitas conuersationis inquiritur: quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit eius prædicatio gratiosa. Cuius enim vita contemnitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Timere habet, ne forte incipientem loqui statim vox diuina reprimat & condemnet: *Quare tu enarras iustitias meas, qui proiecisti sermones meos retrorsum?* Perfectio scientiæ quæritur, vt habeat prædicator, vnde possit de thesauro cordis sui proferre noua & vetera, & eruditum nouerit expectantibus explicare sermonem, & secundum personarum qualitates temperare quod dixerit: vt sciat quibus debeat lac potum dare, non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Eloquentia desideratur: ad quid? Quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat; ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quomodo dicat. Vtrumque autem necessarium est, & habere quid dicas, & scire quomodo dicas. Sententiarum siquidem excellentia sermonis elegantiam quærit, vt verborum dignitas rerum maiestati respondeat, & sibi inuicem quasi concentu quodam res & verba concurrant. Ita est, vt sermo prædicatoris omni acceptione dignus sit, requiritur in prædicatore religio ad reuerentiam sermonis, scientia ad doctrinam, eloquentia, vt commendet ad gratiam, vt scilicet sermo sanctus sit, prudens sit, illustris sit. Ego vero, qui vobis producor in medium, nihil habeo penes me nisi conscientiam peccatricem, minorem scientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideo opportunius mihi fuerat silere quam loqui, pasci quam pascere, & aures vobis potius exhibere quam linguam. Nulla mihi in memet ipso fiducia est, sed ad sanctitatem præcipientis & merita vestra conuertor: quibus intercedentibus aliquid mihi fortassis largietur gratia illius qui dixit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Os meum obedientiæ necessitas aperit, vtinam gratia eius per merita vestra sermone adimpleat opportuno. Psal. 49. Psal. 80.

In omni itaque sermone, domini & patres mei carissimi, videtur mihi quia circa id quod principaliter intenditur,

duo sunt studiosius obseruanda, causa scilicet & tempus. Et causam quidem ratio subministrat: tempus autem opportunum reddit occasio: occasio autem est opportunitas sumpta ex tempore: sicut viro placuit eloquenti, ita est. Nisi id quod dicitur, causam de ratione contrahat euidentem, ipsum ducitur otiosum: si importune dictum fuerit, reputatur infestum. Quæ autem otiosa vel infesta sunt, raro desideratos assequuntur euentus. Et ideo cum multa de scriptis sanctis possent vtiliter ac probabiliter in commune proferri, ad ea potissimum sermo conuertendus est, ad quæ nos & vrgens necessitas impellit, & euidens inuitat vtilitas; ad tentandum vobiscum de vnitate & libertate ecclesiæ Dei. Sine his enim duabus non potest ecclesia salua consistere, sed nec consistere quidem. Quia nisi ecclesia habuerit vnitatem, non erit vna: si vna non fuerit, non erit. Omne enim quod est, ideo est, quia vnum est: quod autem vnum non est, amittit pariter cum vnitate substantiam. Item nisi habuerit libertatem, misera erit. Pro eodem autem ei est, miseram esse, & non esse. Imo deterius est miseram esse quam non esse. *Melius*, inquit, *ei erat, si natus non fuisset homo ille*; de Iuda dictum est. Quoniam melius erat ei natum non esse, quam ad eiusmodi miseriam natum esse. Ideo, domini & patres carissimi, vt status ecclesiæ conseruetur incolumis, oportet vnitati eius & libertati solicite prouideri.

Matth. 26.

Vtraque enim his diebus, hac tempestate, sicut nos miserabiliter experimur, multis vrgetur incommodis, multis iniuriis infestatur. Quia alteram scindere nititur schismaticorum ambitio: alteram quærit auferre violentia tyrannorum. Vtrumque tamen eis per Dei gratiam erit impossibile. Impossibile siquidem est, spirituale ecclesiasticæ vnitatis scindere sacramentum, quod inter Christum & ecclesiam, ipso Patre auctore, indissolubili fœdere connexum est & firmatum. Impossibile est suam ecclesiæ Dei tollere libertatem, quam dominici sanguinis consecrauit effusio. Licet enim paleæ de area Domini quandoque ventilabro leuitatis aut vanitatis auolent & abscedant; propter abscessum tamen earum non minuitur fructus areæ, sed purgatur. Item licet principes tenebrarum aduersus ecclesiam Dei vehementer insurgant, portæ tamen inferi

ANNO CHRISTI 1163. aduersus eam præualere non possunt. Ita, domini mei, salua nobis semper est vnitas, salua semper est libertas ecclesiæ: quia neque tunica inconsutilis scindi potest, neque Christi sanguis in irritum deuocari. Et licet exierint a nobis aliqui, qui nobiscum erant, sed de nobis non erant; non est scissa tamen veritas vnitatis propter eos quos separauit a nobis propriæ malitia prauitatis. Et licet ii, quos diximus, tyranni terrarum circa temporalia bona, & ipsa etiam corpora nostra desæuiant, vt edant carnes nostras, infirmantur & cadunt; & sic circa diripiendas inutiles sarcinas occupantur: ecclesia tamen Dei nihilo minus quæ disponenda sunt libera potestate disponit: imo etiam ipsos quasi seruos nequam spirituali potestate retrudit in carcerem; vbi eos nimirum quasi compedibus quibusdam, vinculo anathematis, & opprobrio perpetuæ maledictionis astringit. In quo etiam laudabile videtur operari virtus diuina miraculum, dum nobis in vnitate nostra & libertate degentibus, ipsi se solos ab vnitate catholica separant, & detestandæ subiiciunt seruituti. Nos tamen, carissimi * fratres & domini, non debemus malum pro malo reddere, neque vinci a malo, sed vincere in bono malum.

* patres

Et ideo ad reuocationem eorum qui foris sunt summa caritate debemus intendere, vt ipsi vnitati nostræ possint, Domino miserante, connecti: quatenus ii, qui quietem ecclesiasticæ libertatis impugnant, meliore ducti consilio resipiscant, & tam de reuocatione eorum, quam istorum pœnitentia crescat fecunditas vnitatis, & inconcussa seruetur desiderandæ tranquillitas libertatis. Ad hoc scilicet omnem nos conuenit diligentiam adhibere, omnem propter hoc sustinere vexationem, omne periculum experiri, hoc enim speciale debitum nostræ professionis. Episcopi sumus, ad hoc sacramentis ecclesiasticis sanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illustrari. Ex ea etiam causa hic primas obtinemus in Concilio cathedras, primos in cœnis recubitus, salutationes in foro. Ex eadem causa populorum nobis multitudines inclinantur, vt de manu nostra partem aliquam commissæ nobis benedictionis accipiant. Quærunt enim accipere de plenitudine nostra, quod nos accepimus de plenitudine Christi.

Psal.132. Hic ordo est: *Vnguentum præcedit in capite, a capite descendit in barbam, barbam quidem Aaron: a barba vsque in oram vestimenti defluxit.* A capite scilicet Christi in barbam, nempe prælatos ecclesiæ; a prælatis in populum, in subiectos. In capite autem omnis perfectionis est plenitudo, omnis perfectio plenitudinis. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, solide scilicet & perfecte: in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: in ipso totus Spiritus Patris. Nihil ibi perfectioni detractum est, nihil ibi plenitudini derogatum. Et de plenitudine ista nos omnes accepimus maiores & minores. De plenitudine quidem, sed non plenitudinem ipsam: sibi enim plenitudinem reseruauit: circa nos autem diuisiones gratiarum factæ sunt. Vnus autem Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in singulis: diuidit enim singulis prout vult; vbi enim vult spirat, & quantum vult inspirat. Nos autem in medio constituti inter Christum & populum, priuilegium gratiæ consecuti sumus, & prærogatiuam dignitatis adepti. Priuilegium gratiæ, quia prius & copiosius nobis infunditur, quod a nobis in alios transfundatur: prærogatiuam dignitatis, quoniam superiores & propinquiores sumus. Superiores, quoniam constituti sumus principes super omnem terram. *Constitues eos*, inquit, Psal. 44. *principes super omnem terram.* De apostolis dictum est vtique, & de nobis, qui loca apostolorum, minoribus reuera meritis, sed maioribus consolationibus, obtinemus.

Qualis autem est hic principatus noster? vtique sublimis & fortis: Psal. 138. *Nimis*, inquit Propheta, *honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Propinquiores sumus: amicos siquidem nos appellat, & ad argumentum propinquioris amicitiæ indultas nobis, non partem, sed copiam totius familiaritatis ostendit: Ioan. 15. *Iam non dicam*, inquit, *vos seruos, sed amicos meos, quia omnia quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis.* Verum est, Luc. 8. *nobis datum est nosse mysterium regni Dei: ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Nos habemus oculos intuendi, & aures audiendi. Multæ & magnæ sunt circa nos dignationes tuæ, bone Iesu, multa & inæstimabilia beneficia tua. Gratia tua vltro nos præuenit, & subsequitur: nihil, aut parum est, quod meritis nostris arrogare

ANNO CHRISTI 1163. possimus, cum tu gratiam per gratiam semper effusa munificentia largiaris. Quid ergo retribuemus tibi? *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Quæritne sibi restitui? quærit reuera: quoniam grauis etiam exactor est. Non conuertit debitorem suum in sortem tantum, sed etiam in vsuras: *Quare*, inquit, *non posuisti pecuniam meam ad mensam, vt cum redirem, vtique cum vsuris eam exegissem a te?* Quia ergo sibi retribui quærit, consulamus Prophetam, quid tantæ maiestati digne possit in causam retributionis offerri. Expedit nobis, vt qui nos de qualitate nostri principatus edocuit, nihilo minus de quantitate retributionis edoceat. *Psal. 115.* *Luc. 19.*

Oportet enim, vt quod nomine retributionis offertur, ad honorem cedat, accedat ad gratiam: alioquin non parit gratiam, sed offensam. Audiamus ergo quid dicat: *Constitues eos principes super omnem terram.* Ecce meritum eius circa nos. Quid autem sibi retribui quærat, consequenter adiungit: *Memores erunt nominis tui Domine.* Memoriam nominis sui tantum sibi quærit nomine retributionis offerri. Cuius nominis? nempe multa nomina habet. Habet quædam nomina de veteri instrumento significationis absconditæ: habet quædam ad nouum specialius pertinentia testamentum, suauitatem redolentia, exhibentia gratiam. Quæ quamuis constet originem traxisse de veteri, plus tamen celebritatis & frequentiæ de præsenti nouitate sumpserunt. Quæ sunt illa? Iesus Christus. Iesus interpretatur Saluator, Christus vnctus; vbi vnctio, ibi suauitas. Manifeste nomen illud, Christus, suauitatem redolet vnctionis, Iesus salutis gratiam repromittit. *Psal. 44.*

Credo tamen quod in hoc loco Propheta aliud nomen quærat intelligi, quoniam nomina illa, propter suauitatem & gratiam, deuotionem quidem & fiduciam præstant; hic vero alterius cuiusdam nominis memoriam quærit, cuius seueritas nobis cautelam diligentiæ & timorem reuerentiæ donet: quod est illud? Deus, Deus interpretatur timor. Ipse autem in hoc loco timentes esse nos exigit & prudentes. Commisit enim nobis hereditatem suam, quam nisi timentibus non committit: *Dedisti*, inquit, *hereditatem timentibus nomen tuum, Domine.* Hereditas autem eius illa est, quam ipse a Patre merito & postulatione passionis *Psal. 60.*

Psal. 2. accepit: *Postula*, inquit, *a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Hereditas autem hæc vniuersitas fidelium est, quæ nomine censetur ecclesiæ, quæ catholicam continet vnitatem. Hanc fidei nostræ credidit, hanc solicitudini commendauit. Ad curam igitur & custodiam eius cum omni timore omnem nos oportet diligentiam adhibere. Nulla nos absterrere debet comminatio, nulla persecutio retardare. Participes consolationum facti sumus? iustum est vt socii simus etiam tribulationum. Ex aduerso stare nos conuenit,& opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. Quod sane nobis non facile quidem, sed possibile tamen erit, si constanter in vnitate catholica consenserimus permanere. ANNO CHRISTI 1165.

Porro fratres sumus ex eodem patre Christo, & ex eadem matre ecclesia, per regenerationem aquæ & Spiritus, de filiis iræ translati in adoptionem gloriæ filiorum Dei. Bonum itaque est, quia vtile: iucundum, quia delectabile, nos hac spirituali fraternitate coniunctos in vnitate consistere, vt sit scilicet nobis, sicut in primitiua ecclesia, multitudini credentium cor vnum & anima vna, sit in nobis vnus spiritus, vna fides. Vnitas enim fidei concordiam parit: concordia mater est vnitatis. Vnitas vero fidei tribuit libertatem; ex fide siquidem vita nobis & victoria est: *Iustus*, inquit, *meus ex fide viuit. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Sed & sancti per fidem vicerunt regna:* regnum satanæ, regnum mundi, regnum cælorum. Et de regno quidem mundi, & regno satanæ manifestius: sed & regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: ita omnia regna vnitas fidei, & fides vnitatis expugnat.

Hebr. 10. 1. Ioan. 5.

Totis itaque studiis debemus insistere, & alter alterum cohortari, vt stemus simul. Quia si steterimus simul, alteri ab altero plus fiduciæ & virtutis accrescet. Si steterimus simul, aduersariis nostris non tantum resistere poterimus, sed & cum fiducia prouocare. Si steterimus simul, ecclesia Dei apparebit terribilis vt castrorum acies ordinata: *Stemus*, inquit ille propheta, *stemus simul. Quis est aduersarius meus? quis contradicit mihi? accedat ad me.* Quia aliquem sibi sensérat fideliter assistentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, domini & patres mei, habemus aliquos no-

Isa. 50.

ANNO CHRISTI 1163. bis fideliter assistentes. Habemus enim assistentem nobis gratiam ciuium supernorum : habemus assistentia nobis merita & orationes vestras: habemus assistentem nobis fidem & deuotionem catholicorum regum, qui vnitatem catholicam nobiscum & verbo profitentur, & operibus exequuntur: omnes fere, quicumque censentur nomine Christiano. Comparatione vero tantæ multitudinis modica est vnius exceptio, vnus siquidem excipitur, & ipse solus. *Væ autem soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem.* Eccl. 4.

Sed & ipse per misericordiam Dei conuertetur & viuet: quoniam ipse est inter principes terræ multa prudentia & virtute laudabilis, nisi gloriam suam diuinæ gloriæ præponere decreuisset. Vtinam humilietur sub potenti manu Dei,& principatum ecclesiæ suo præesse principatui recognoscat: vtinam intelligat, quia si Christum sponsum scilicet ecclesiæ Dominum confitetur, necesse habet & ecclesiam, quæ sponsa est, nihilo minus dominam confitetur. Præterea specialem causam habet, qua sanctam Romanam ecclesiam dominam recognoscere debet : alioquin manifestissime poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus historias, certum erit, prædecessores eius imperium non de alio iure, quam de sola sanctæ Romanæ ecclesiæ gratia percepisse. Nihil igitur plus iuris vendicare principes possunt, quam quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus assistentem nobis etiam Christum. Neque enim ecclesiam ea nobis conditione tradidit, vt relinqueret. Semper assistit: *Non relinquam*, inquit, *vos orphanos: vado, & venio ad vos*, vobiscum vsque ad consummationem sæculi permansurus, adiutor itaque & protector nobis est in salutem. Ioan. 14.

Cum adiutorio itaque tot assistentium nobis nulla nos debet absterrere comminatio, nulla persecutio reuocare: imo stare debemus ex aduerso, & opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere :* Imo etiam ad confidentiam victoriæ obtinendæ suo nos inuitat exemplo: *Confidite*, inquit, *ego vici mundum.* Si semel victus est, non erat inuincibilis mundus ; facilius nobis erit victoria vi- 2. Cor. 1. Ioan. 16.

ctum vincere, quam inuictum. Christus vincendum ag- ANNO CHRISTI 1165.
Thren. 1. greſſus eſt, & deuicit. Dicebatur aliquando: *Vide Domine, & conſidera, quoniam erectus eſt inimicus:* nunc autem dicitur, quoniam deiectus eſt inimicus. Fiducialiter aggredi poſſumus iacentem & victum: quia ſi deiectus eſt, non reſurget: ſi victus, non præſumet. Nulla ipſius ex hoc nunc reſurrectio vel præſumptio prævalebit. Timeo tamen ne aliquis forte ſubmurmuret, præſumptuoſum dicens æmulari tantæ perfectionis exemplum. Facile, inquit, erat Chriſto mundum vincere, qui creauerat mundum. Omnipotens enim nomen eius, cui idem eſt & velle & poſſe, mihi non ita, quoniam infirmus ſum, & conturbata ſunt omnia oſſa mea. Omne ſcilicet robur naturæ meæ peccati corruptione concuſſum, & ideo ſubſtantia mea tamquam nihilum coram ipſo.

Sed nequaquam, domini & patres mei, diffidendum, nequaquam deſperandum eſt: quia ſicut verba Chriſti nobis ad doctrinam, ita opera proponuntur ad formam. Et ſicut per doctrinam impoſſibile nobis eſt ſcientiæ illius plenitudinem obtinere, ita per exempla ad æqualitatem virtutum eius non poterimus peruenire. Sed licet attingere non valeamus eminentiam maieſtatis; proficere tamen poterimus ad aliquam ſaltem ſimilitudinem ſanctitatis. Proderit imitari, etſi nemo valeat adæquari, citra perfectionem eius ſubſiſtit noſtra perfectio: proſequi debemus, etſi conſequi non poſſimus. Non eiſdem paſſibus, ſed eodem tramite, eiſdem eſt veſtigiis inſiſtendum. Quod ſi aliqua etiam de hominibus exempla quærantur, multos homines victores mundi poterimus inuenire. Videamus Apoſtolum, hominem ſcilicet peccatorem, ſicut
1. Cor. 15. & nos, non quantum nos, qui dicit ſe minimum apoſtolorum, & indignum vocari apoſtolum, quoniam perſecu-
2. Tim. 4. tus eſt eccleſiam Dei: *Bonum*, inquit, *certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: de cetero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Certauit Apoſtolus, de certamine victoriam, de victoria conſecutus eſt coronam. Cucurrit, & conſummauit curſum, ideoque brauium aſſecutus eſt: idem brauium quod corona. Tu autem quis es, qui quæris coronam ſine victoria, vel ſine concertatione victoriam? Impoſſibile eſt de facto ſine concertatione viciſſe, improbabile

ANNO CHRISTI 1163. bile est de iure coronam sine victoria postulare. Neque enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit, lex autem certaminis perseuerantia est. *Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, idem profecto salus, quod brauium & corona. Matth. 10.

Amplius, si maior vobis de hominibus placeat pluralitas exemplorum, infinita fere martyrum millia nobis occurrent, qui ad certamen istud toto desiderio occurrerunt, & demum victoriam cruentam quidem, sed tamen cum lætitia & gloria, perceperunt. Numquidnon ibant apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati? Numquidnon Stephanus inter lapides ipsos pro lapidantibus supplicat & exorat? Numquidnon Petrus & Andreas de cruce prædicant veritatem? Numquidnon Laurentius de craticula tyranno lætabundus insultat? Numquidnon carnifices ipsos ad equuleum præuenire inuincibilis Vincentii fortitudo festinat? Sed & si de infirmiore sexu quæratur exemplum, Agatha lætissime & gratulanter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata, agonem suum Domino precibus commendabat. Prius me deficiet dies, imo totum longioris anni spatium expirabit, quam sanctorum victoriæ plane valeant enarrari. Hi reuera fuere viri fortes, & ad bella doctissimi, qui humilitate superbiam, tyrannidem patientia deuicerunt. Ceterum benignius agit cum infirmitate nostra misericors & miserator Dominus. Ipse enim conscius est infirmitatis nostræ, vtpote qui nouit figmentum nostrum. Tolerabilem itaque facit patientiam nostram. Reuera, sicut dictum est, facit cum labore prouentum. Nulla ergo aduersum nos veteris sæuitiæ commenta procedunt, imo etiam sustinemur in equis & curribus ambulare, in magnis quandoque & mirabilibus super nos epulari splendide, preciosis indui honoribus, & diuitiis abundare. Paupertatem Christi verbo prædicamus, sed minus exhibemus exemplo: nisi quia fortasse paupertatem eius in nobis spiritualiter diuitiarum contemptus & humilitas sancta restaurat. Neque enim requiritur a nobis diuitiarum indigentia, sed contemptus. *Diuitiæ*, inquit, *si affluant, nolite cor apponere*, non dixit, Ne affluant, sed ne cor apponatur. Porro cor prohibuit appone- Actor. 5. Psal. 61.

re, sed non manum. Profecto Propheta in omni affluentia diuitiarum pauperem se prædicat & egenum. Possumus itaque licite diuitias possidere, si tamen earum nos non reputauerimus dominos, sed ministros. Si intellexerimus patrimonium pauperum esse patrimonium Christi, si prouentibus ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin fures & latrones nos ratio manifesta conuincet, si res alienas inuitis dominis nostro præsumpserimus arbitrio contrectare. Anno Carnot. 163.

Quia igitur distribuendæ sunt, non retinendæ diuitiæ, nusquam iustius, nusquam possunt liberalius erogari, quam in eos, qui exulantem ecclesiam prosequuntur, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt. Causa communis est, sed in eos omne detrimentum, omnis est conuersa vexatio. Nos enim intra domesticos parietes nostros tribunalia nostra sublimiter insidemus: ipsi de sedibus suis contumeliose & violenter eiecti peragrant regiones. Nobis omne solatium cum affluentia diuina pietas administrat: ipsi de manibus alienis subsidia vitæ cum silentio patienter expectant. Nobis necessariorum nostrorum & familiarium ordo longus assistit: ipsi inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis consolationem emendicata suffragia præstiterunt, indignum est ab eis beneficia quærere, quibus tu consueueris exhibere. Aperiamus itaque eis viscera pietatis, & in eos omnem compassionis & venerationis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia & gratia complectamur: quia tunc adimplebimus legem Christi, si alter alterius inuicem onera comportemus. Viri prudentes sunt & multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit tamquam aurum in fornace probandos, vt per eos impendio personarum & rerum ecclesiæ victoria consummetur. Felices sunt, quibus datum est pro æternis transitoria commutare. Feliciores sunt, qui mortem vel corporales iniurias sunt experti, & impreciabilem sanguinem Christi suo indigno & corruptibili sanguine compensarunt. Quid enim? Numquid sanguinem Christi in causam nostræ redemptionis expendimus, vt ipsum ei in tempore, retributionis scilicet, cum ipse requisierit, solueremus? Mutuatus est peccator, & non soluet:

ANNO CHRISTI 1163. nos autem, Domino miserante, soluemus, qui confitemur nos non artificio ciuili, sed re ipsa interueniente naturaliter obligatos. Vtinam, bone Iesu, detur & mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare! Vtinam sanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat in solutum! Vel quia crediti & debiti sanguinis, scilicet tui & mei, inuicem æstimatio non concurrit, saltem benignissima acceptilatione liberatus absoluar, qua scilicet consueuisti iustitiam accepto ferre sine operibus, & præmia sine meritis, pro gratia scilicet bonæ actionis gratiam retributionis inferre.

TITVLI CANONVM CONCILII TVRONENSIS.

I. *Vt præbendæ qualibet non recipiant sectiones.*
II. *Clericis vsuræ prohibentur.*
III. *Vt laici ecclesiastica non vsurpent.*
IV. *Vt cuncti Albigensium hæreticorum consortium fugiant.*
V. *Vt sacerdotes annuo precio ad regendas ecclesias non conducantur.*
VI. *Vt clerici auaritiam fugiant.*
VII. *Vt decani vel archipresbyteri ad causas ecclesiasticas terminandas ab episcopis non constituantur.*
VIII. *Vt religiosi sæcularia studia vitent.*
IX. *Inualidas esse hæreticorum ordinationes.*

PRÆFATIO.

ANNO igitur incarnationis dominicæ MCLXIII. indictione vndecima, anno quarto sui pontificatus, quarto Kalendas Iunii, sæpe dictus Alexander papa in ecclesia sancti * Mauritii Turonis Concilium celebrauit, in quo interfuerunt secum cardinales numero 17. episcopi 124. abbates 414. & aliorum, tam clericorum, quam laicorum maxima multitudo. In quo nimirum apostolica constituta sunt roborata, & hæc noua promulgata capitula.

* Martini

CANONES.

I.

Maioribus ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis * videtur, vt * mi-

* esse videtur,
* iuniores

nores clericorum præbendæ recipiant sectiones. Idcirco vt in magnis, ita quoque in minimis suis membris * firmam habeant ecclesiæ vnitatem : diuisionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus. Anno Christi 1163. * deest in Vaticano codice.

II.

Plures clericorum (quod mœrentes dicimus) eorum quoque qui prius * secundum professione, votis & habitu reliquerunt, dum communes vsuras quasi manifestius damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus, possessionem eorum in pignus * accipiunt, vltra sortem. Idcirco generalis Concilii decernit auctoritas, vt nullus amodo constitutus in clero, vel hoc vel aliud vsuræ genus exercere præsumat. Et si quis hactenus possessionem alicuius data pecunia sub hac spe in pignus acceperit, si sortem suam, deductis expensis de fructibus iam recepit, absolute * restituat debitori. Sin autem aliquod * munus habet, eo recepto, possessio libera ad dominum reuertatur. Quod si post huiusmodi constituta in clero quisquam extiterit, qui detestandis vsurarum lucris insistat, ecclesiastici officii periculum patiatur, nisi forte beneficium ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica videatur. * facculi * & progenitum fructus * reddat fœnus * munus

III.

Quamuis graue nimis & diuini dignum animaduersione iudicii habeatur, quod laici quidam quod sacerdotum est vsurpant in ecclesiasticis rebus, maiorem id formidinem incutit ac dolorem, quod fomitem sui erroris, * qui ipso Deo auctore, * in ipsa clero de

ANNO CHRISTI 1165. cunctura-liquoties inuenire: dum

vacare asserunt, alant: dum quidam fratrum, & coepiscoporum nostrorum, aliorumque prælatorum ecclesiæ decimas eis, & ecclesiarum dispensationes indulgent, & in deuia eos mortis impellunt, qui prædicatione ipsorum ad vitæ viam fuerant reuocandi. De quibus dicit Dominus per prophetam: *Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem prouocant animas eorum.* Vnde statuimus, vt si quis alicui laico in sæculo remanenti ecclesiam decimamque concesserit, a suo statu tamquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec se emendet, lapsum suum deflens, *subiaceat dolore prostratus. Osee 4.

*ruinæ suæ

IV.

In partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum emersit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca se diffundens, per Guasconiam & alias prouincias quamplurimos iam infecit. Quæ dum in modum serpentis intra suas euolutiones absconditur, quanto serpit occultius, tanto grauius periculum in simplicibus commolitur. Vnde *contra eos, episcopos & dominos sacerdotes omnes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, & sub interminatione anathematis prohibere, vt vbi cogniti fuerint illius hæresis sectatores, ne receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertire præsumat. Sed nec in venditione, aut emptione aliqua cum eis omnino * commercium habeatur; vt solatio saltem humanitatis amisso, ab errore viæ suæ resipiscere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentauerit, tamquam * princeps iniqui-

*deest in Vaticano.

*communio

*particeps

tatis eorum, anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per catholicos principes custodiæ mancipati omnium bonorum amissione mulctentur. Et quoniam de diuersis partibus in vnum latibulum crebro * conuenerunt, & præter consensum erroris nullam cohabitandi causam habentes, in vno domicilio commorantur: talia conuenticula & inuestigentur attentius, & si * vera fuerint, canonica seueritate vitentur. Anno Christi 165. * conuenerunt. * idem

V.

Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum patrum constitutiones inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituantur: id ne fiat modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

VI.

Non * satis vtiliter in populo auaritia redarguitur, si ab his qui in clero constituti videntur, & præcipue qui, contempto sæculo, religiosum nomen profitentur, regula quam susceperunt non obseruatur. Prohibemus igitur, ne ab omnibus, qui ad religionem transire voluerint, alia pecunia requiratur: & ne prioratus, aut capellaniæ quælibet monachorum, aut clericorum, decimæ detractione vendantur: neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione exigatur. Hoc autem simoniacum esse, sanctorum patrum auctoritas manifeste declarat. Vnde quisquis de cetero * Infra Vienn.

ANNO CHRISTI 1163. hoc attentare præsumpserit, tam qui dederit, quam qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quoque, chrismatis, & olei sacri perceptione, nulla cuiusquam precii exactio intercedat: neque sub obtentu alicuius consuetudinis reatum suum quisquam tueatur: quia diuturnitas non minuit peccatum, sed auget.

VII.

Quia in quibusdam episcopatibus decani quidam, vel archipresbyteri, ad agendas * ipsorum vices seu archidiaconorum, ad terminandas causas ecclesiasticas constituuntur sub annuo precio, quod ad sacerdotis grauamen, vel subuersionem iudiciorum non est dubium redundare: id vlterius fieri districtius prohibemus. Quod si facere præsumpserit quisquam, remoueatur a clero. Episcopus quoque, qui hæc in sua diœcesi sustinuerit, & ecclesiastica iudicia patitur dissimulatione peruerti, canonica districtione plectatur.

* vices episcoporum seu

VIII.

Non solum maximopere antiqui hostis inuidia infirma membra ecclesiæ præcipitare laborat, sed manum mittit ad desiderabilia eius, & electos quoque nititur supplantare, dicente scriptura: *Esca eius electæ*. Est enim * genus hominum, qui quidem sine causa operari se putant, vbi precioſius aliquod membrum ecclesiæ fuerit, aliqua calliditate subtrahunt. Inde nimirum est, quod se in angelum lucis more solito transfigurans, sub obtentu languentium fratrum considerandis corporibus, ad eccle-

Iob 40. infra 70.

* deest in Vaticano.

siastica negotia fideliter pertractanda, regulares quosdam ad legendas leges, & confectiones physicas ponderandas, de castris suis educit. Vnde hac sub scientia spirituales viri mundanis rursum actionibus circumdantur,& in interioribus eo ipso deficiunt, ex quo se alios putant in exterioribus proficere. De præsenti assensu huic malo obuiantes, statuimus, vt nullus omnino post votum religionis, post factam in aliquo religioso loco professionem, ad physicam, legesve mundanas legendas permittatur exire. Si vero exierit, ac ad claustrum suum infra duorum mensium spatium non redierit: ab omnibus euitetur, & in nulla causa,si patrocinium præstare præsumpserit, aut tentauerit, audiatur. Reuersus autem ad claustrum, in choro, capitulo,& mensa vltimus fratrum semper existat: & nisi ex permissione forsan sedis apostolicæ, totius spem promotionis amittat. Anno Christi 165.

IX.

Ad hæc, ordinationes factas ab Octauiano, & aliis schismaticis, & hæreticis, euacuamus, & irritas omnes esse dicimus, & decernimus.

Deest decimus Canon, qui descriptus habetur Extrau. de pœnis capite quarto. Hactenus eiusdem Turonensis Concilii Canones. Leguntur iidem fere omnes apud Vvilielmum Neubrigensem, sed inuerso ordine. Neubrig. lib.2.c 15.

NOTA.

Schismatici excommunicantur.

[a] *Concilium.*] De hac Synodo Sigeberti continuator: *In octauis pentecostes*, ait, *Alexander papa, tenuit Concilium Turonis, in quo excommunicauit Octauianum cum aliis schismaticis & complicibus suis.* Ioannes Tyrius in chronico de regibus Francorum, anno 1164. qui est 27. Ludouici iunioris, ait: *Concilium Turonense sub Alexandro papa habitum est, quo acta Papiensis Concilii, in quo Victor & Fridericus præfuerant, damnata fuerunt.* Octo illi Canones qui in appendice œcumenici Concilii Lateranensis XI. infra collocata, sub titulo

ANNO CHRISTI 1163. titulo Concilii Turonensis continentur, auctore Vvilielmo Neubrigensi libro 2. cap. 5. hac Synodo editi & constituti putantur. Matthæus Paris in historia Anglicana, *Alexander*, inquit, *Turonis Concilium congregauit in ecclesia sancti Mauricii duodecimo Kalendas Iunii, ad cuius vocationem permissione regis Angliæ venerunt archiepiscopi, episcopi, & alii Angliæ prælati, Thomas Cantuariensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, & ad dexteram papæ in Concilio sedit: & archiepiscopus Eboracensis Rogerus ad sinistram cum solo episcopo Dunelmensi.* Hæc de Concilio Turonensi Matthæus Paris. Acta vitæ Alexandri papæ de eadem Synodo ista: *Et quoniam tempus Concilii celebrandi imminebat, quod in octauis pentecostes Turonum conuocauerat: exiuit de Parisiis, & transiens per Carnotum, ad Turonis ciuitatem celeriter remeauit. Anno igitur dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexagesimotertio, indictione vndecima, anno quarto sui pontificatus, *al. quarto *quartodecimo Kalẽdas Iunii, supradictus Alexander papa in ecclesia sancti *al. Martini Mauricii Turone Concilium celebrauit, in quo secum interfuerunt cardinales numero decem & septem, & episcopi centum, & viginti quatuor, . . centum & quatuordecim, & aliorum tam clericorum quam laicorum maxima multitudo. Atque inter alios insignes ecclesiæ præsules interfuit sanctus Thomas archiepiscopus Cantuariensis, anno superiori (vt vidimus) ad eam regendam cathedram ex munere cancellariæ assumptus, quem præter morem Alexander papa eiusmodi excepit honorificentia. Fecit enim, vt omnes cardinales occurrerent ei extra vrbem illam, præter duos tantum, qui soliti essent ei semper assistere: idemque obtinuit quæcumque ab ipso pontifice petiisset, nempe suæ ecclesiæ priuilegiorum confirmationem.* Hæc in vita ipsius, a quatuor dictis auctoribus scripta. Ne quid autem pereat de fragmentis actorum Concilii huius, quod integrum in omnibus actis simul reperire non licuit; hic describendam putamus orationem, quam in eodem Turonensi Concilio habuit iubente papa Arnulphus episcopus Lexouiensis: quæ extat inter eius epistolas haud pridem cusas.

Dum ista in Turonensi Concilio cœpta essent actitari, post alios, qui illuc conuenissent catholicæ communionis episcopi, conuolauit & Conradus archiepiscopus Moguntinus electus, de quo ista Romualdus archiepiscopus Salernitanus, huius temporis scriptor fidelis: *Tempore Concilii huius Conradus nobilis clericus Alemanniæ, & imperatoris consanguineus, qui in Moguntina ecclesia erat electus, nolens Octauiano & imperatori schismatico consentire, ecclesiam suam deserens, ignorante imperatore, ad Alexandrum papam in Franciam festinus aduenit. Quem papa satis benigne recipiens, postmodum secum Romam vsque adduxit: dehinc in cardinalem episcopum Sabinensem promouit; postremo in Moguntinum archiepiscopum sublimauit. Quo audito imperator ira commotus, Christianum nomine cancellarium suum in Moguntina ecclesia eligi fecit, & a suis suffraganeis consecrari.* Hæc ipse, sed de eo sæpe inferius.

Quæ autem in eodem Concilio Turonensi sint transacta, ita legitur in vitæ actis Alexandri papæ: *In eo nimirum apostolica con-*

tuta sunt probata, & hæc capitula roborata denuo, & promulgata. Sed, vt Robertus asserit, qui præsens aderat, in primis illud actitatum, quod Alexander papa reddita plenissima ratione de sui legitima ad pontificatum promotione, ingesserit de intrusione & inuasione Octauiani querelam: quo factum est vt in ipsum atque complices eius omnes fuerit iteratum anathema. Quibus serio valde peractis, pronuntiante eodem Alexandro pontifice, aliquot in eodem Concilio constituti sunt Canones, qui descripti reperiuntur in eiusdem Alexandri vitæ actis, nec non in codice antiquorum Canonum in Vaticana bibliotheca, vbi ista præmissa leguntur. Anno Christi 1163.

CONCILIABVLVM CLARENDONENSE, QVO DECEM & sex capitula consuetudinum, vt vocabant, Anglicanarum, æquitati & ecclesiasticæ immunitati repugnantia, confirmata sunt anno Domini MCLXIV. tempore Alexandri papæ III. Anno Christi 1164.

NOTA.

Causa & acta Concilii.

[a] *Concilium.*] Qua occasione hæc conuentio apud Clarendonam in Anglia indicta, & quæ capitula ab episcopis ibidem confirmata, & iuramento approbata fuerint, refert Matthæus Paris in historia Anglicana subsequentibus verbis: *Anno Domini* MCLXIV. *in presentia regis Henrici apud Clarendonam, octauo Kalendas Februarii, presidente Ioanne de Oxonia, de mandato ipsius regis, præsentibus etiam archiepiscopis, episcopis, abbatibus prioribus, comitibus, baronibus & proceribus regni, facta est recognitio siue recordatio cuiusdam partis consuetudinum & libertatum antecessorum suorum, regis videlicet Henrici aui sui, & aliorum quæ obseruari debebant in regno, & ab omnibus teneri, propter dissensiones & discordias sæpe emergentes inter clerum & iustitiarios domini regis, & magnatum regni. Harum vero consuetudinum recognitarum quædam pars in sexdecim capitulis subsequentibus continetur. De aduocatione, & præsentatione ecclesiarum si controuersia emerserit inter laicos & clericos, vel inter clericos, in curia domini regis tractetur & terminetur. Ecclesiæ de feudo domini regis non possunt in perpetuum dari absque concessione ipsius. Clerici accusati de quacumque re, summoniti a iudiciario regis, veniant in curiam ipsis responsuri ibidem de hoc, vnde videbitur curiæ regis, quod ibi sit respondendum, & in curia ecclesiastica vnde videbitur quod ibi sit respondendum, ita quod regis iustitiarius mittet in curiam sanctæ ecclesiæ, ad videndum quomodo res ibi tractabitur. Et si clericus conuictus vel confessus fuerit, non debet eum de cetero ecclesia tueri. Archiepiscopis, episcopis, & personis regni non licet exire regnum absque licentia domini regis, & si exierint, si*

ANNO CHRISTI 1164.

regi placuerit, securum eum faciant, quod nec in eundo, nec in redeundo, vel moram faciendo, perquirent malum siue damnum domino regi vel regno. Excommunicati non debent dare vadium ad remanentiam, nec præstare iuramentum, sed tantum vadium & plegium standi iudicio ecclesiæ, vbi absoluuntur. Laici non debent accusari, nisi per certos & legitimos accusatores & testes in præsentia episcopi, ita quod archidiaconus non perdat ius suum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et si tales fuerint qui culpantur, quod non velit, vel non audeat aliquis accusare, eos vicecomes requisitus ab episcopo faciat iurare duodecim legales de Insuero, siue de villa, coram episcopo, quod veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt. Nullus qui de rege tenet in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum eius excommunicetur, nec alicuius eorum terræ sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex, si in regno fuerit, conueniatur, vel iustitiarius eius, si fuerit extra regimen, vt rectum de eo faciat: & ita, vt quod pertinebat ad regis curiam, ibi terminetur, & de eo quod spectat ad curiam ecclesiasticam, ad eamdem mittatur, vt ibidem terminetur. De appellationibus, si emerserint, ab archidiacono debebit procedi ad episcopum, ab episcopo ad archiepiscopum: & si archiepiscopus defuerit in iustitia exhibenda, ad dominum regem perueniendum est postremo, vt præcepto ipsius in curia archiepiscopi controuersia terminetur; ita quod non debeat vltra procedi absque assensu domini regis. Si calumnia emerserit inter clericum & laicum, vel e conuerso, de vllo tenemento quod clericus velit ad eleemosynam trahere, vel laicus ad laicum feudum, per recognitionem duodecim legalium hominum, iuxta capitalis iustitiarii regis considerationem terminabitur, vtrum tenementum sit pertinens ad eleemosynam, siue ad laicum feudum, coram iustitiario regis. Et si recognitum fuerit ad eleemosynam pertinere, placitum erit in curia ecclesiastica: si vero ad laicum feudum, nisi ambo tenementum de episcopo eodem vel barone, aduocauerint de feudo illo eumdem episcopum vel baronem, erit placitum in curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius fuerat saisitus de ciuitate vel castello vel burgo, vel dominico manerio regis. Si ab archidiacono vel episcopo super aliquo delicto citatus fuerit, vnde debeat eis respondere, & ad citationes eorum noluerit satisfacere, bene licet eis sub interdicto ponere eum, sed non debent ipsum excommunicare, priusquam capitalis minister regis villæ illius conueniatur, vt iustitiet eum ad satisfactionem venire. Et si minister regis inde defecerit, erit in misericordia regis, & exinde poterit episcopum ipsum accusatum ecclesiastica iustitia coercere. Archiepiscopi, episcopi, & vniuersæ personæ regni, qui de rege tenent in capite, habeant possessiones suas de rege sicut baroniam, & inde respondeant iustitiariis & ministris regis, & sequantur, & faciant omnes consuetudines regias: & sicut ceteri barones debent interesse iudiciis curiæ regis cum baronibus, quousque perueniatur ad diminutionem membrorum, vel ad mortem. Cum vacauerit archiepiscopatus, vel episcopatus, vel abbatia, vel prioratus in dominio regis, esse debet in manu ipsius, & inde percipiet omnes reditus & exitus, sicut dominicos reditus suos. Et cum ventum fuerit ad consulen-

dum ecclesiam, debet dominus rex mandare potiores personas ecclesiæ, & in capella ipsius regis debet fieri electio assensu ipsius regis, & Concilio personarum regni, quas ad hæc faciendum aduocauerit: & ibidem faciet electus homagium & fidelitatem regi, sicut ligio domino suo, de vita sua & de membris, & de honore terreno, saluo ordine suo, priusquam consecretur. Si quisquam de proceribus regni disfortiauerit archiepiscopo, vel episcopo, vel archidiacono de se suisve iustitiam exhibere, dominus rex debet eos iustitiare. Et si forte aliquis disforciaret domino regi rectitudinem suam, archiepiscopi, episcopi & archidiaconi, debent eum iustitiare vt regi satisfaciat. Catella eorum, qui sunt in forisfacto regis non detineat ecclesia vel cœmeterium, contra iustitiarios regis, quia ipsius regis sunt, siue in ecclesiis, siue extra fuerint inuenta. Placita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei, sint in iustitia regis. Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini, de cuius terra nati dignoscuntur. Hanc recognitionem siue recordationem de consuetudinibus & libertatibus iniquis, & dignitatibus Deo detestabilibus, archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, clerus, cum comitibus & baronibus ac proceribus cunctis, iurauerunt, & firmiter in verbo veritatis promiserunt viua voce tenendas & obseruandas domino regi & heredibus suis, bona fide & absque malo ingenio in perpetuum.

His itaque gestis potestas laica in res & personas ecclesiasticas, omnia pro libitu, ecclesiastico iure contempto, tacentibus aut vix murmurantibus episcopis, potius quam resistentibus, vsurpabat. Thomas igitur Cantuariensis archiepiscopus in se reuersus, cum leges iniquas & omnibus Christi fidelibus detestandas concessisset, & eas obseruare iuramento firmasset, rem temere perpetratam diligenter examinans, seipsum grauiter afflixit alimentis austerioribus, & indumentis corpus humiliauit, suspendens se ab altaris officio, donec per confessionem & condignos pœnitentiæ fructus, a summo pontifice meruit deuotus absolui. Nam illico nuntios ad Romanam dirigens curiam, dum causam ecclesiæ & suam ad summi pontificis in schedula conscriptam transmisisset cognitionem, ab obligatione, quam inconsulte inierat, absolutionem petiit.

De eodem ex actis Thomæ Cantuariensis, quæ habentur in Vaticana bibliotheca cum collectione epistolarum ad hæc negotia spectantium: *Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimoquarto, papatus Alexandri anno quinto, illustrissimi regis Anglorum Henrici secundi anno decimo.* De die autem ista habentur in fine: *Facta sunt hæc quarta die ante purificationem sanctæ Mariæ perpetuæ virginis*, nempe trigesima Ianuarii. Qui autem huic interfuere Conuentui numerantur omnes episcopi Anglicani, & comites, barones, magistratus, & nobiles. Quæ autem acta sint, sic accipe a Vvilielmo in quadripartita: *Rex igitur (vt videbatur) regni & sacerdotii zelans pacem, sed sibi & archipræsuli suo minus prouidens, apud Clarendunam regnum conuocat vniuersum. Quo cum præsules & proceres conuenissent, exegit rex instantius, vt promissa sibi solue-*

ANNO CHRISTI 1164. rentur. Verum archiepiscopus, licet regi assentire promisisset, suspectam tamen habens regis promissionem, quam scilicet exigeret, & quia frequenter principes ad indebita manus extendant, modum ignorantes, elegit potius apud regem, quam in legem Dei periclitari, æneumque serpentem conterere prius, quam prauitas in populo Dei pullularet. Iam quamuis exilium & carcerem metueret, Deum tamen pluris existimans, ex aduerso ascendit. Ille minatur; iste refragatur: ille delirat; iste tacita prece suspirat. Interea temporis Saresberiensis & Noruicensis episcopi, quos ab antiquo odio pœna manebat, timentes sibi ex impacati temporis occasione, verbis lacrymalibus archiepiscopum exorabant, quod sui misereretur cleri, quod animi pertinaciam relaxaret, ne ipse carcerem, clerus exterminium, ipsi capitis damnationem incurrerent. Sed & comites duo potentissimi in regno ipsum aggressi dicebant, quod nisi ille voluntati regis acquiesceret, ex regis iussione ipsi ad violentiam cogendi erant, quæ regi sibique perpetuam irrogaret infamiam.

Vir ergo inuictæ constantiæ, & in petra Christi fundatus, nec blanditiis emollitus, nec terroribus concussus, tandem a gremio veritatis, & sinu matris auellitur, cuius libertati adhærebat. Et ne victor in lite per superbiam intumesceret in mente, inde deficiens, vnde proficere deberet, derelinquitur ad horam, scilicet vt cadat, & post casum resurgat: cadens humanam fragilitatem agnoscat, resurgens, circa se diuinam miserationem intelligat. Sic, ne quis de sua virtute confidat, princeps apostolorum Petrus & Dauid sanctus ceciderunt: sic beatus Thomas tentationi relinquitur ad horam, vt postmodum fragilitatis propriæ memor fortior resurgat ad pugnam. Igitur cum tertio per Richardum magni nominis virum, qui templo Hierosolymitano tunc præerat, sibi cauere moneretur, & cleri misereri, non tulit eorum supplicationes, non geniculationes. Nam cum tamquam in ipsius verticem vibratos gladios viderent, plangere cernebantur, & tamquam funus præsens futurum facinus lugebant. Vnde potius super clerum, quam super se motus miseratione, annuit de consilio eorum regiæ voluntati parere. Primus igitur ante omnes archipræsul in prætaxata forma se obligat, quod videlicet regias consuetudines foret obseruaturus bona fide, verbo illo suppresso, scilicet, Saluo ordine. Atque iuratoriam adiiciens cautionem, hæc se facturum in verbo veritatis spopondit, peccatum peccato adiungens: & idipsum in eadem forma sigillatim vniuersi pontifices iurauerunt.

Et incontinenti facta obligatione in hac forma, per quosdam regni proceres, qui has nosse debuerant, facta est regiarum consuetudinum recognitio, vt sicut publice, ita & expresse censerentur. Verum cum & pleraque iam fuissent expressa, & multo plures, vt videbatur, forent exprimendæ adhuc, archipræsul interlocutus est, dicens se nec esse de antiquioribus regni, vt pristinas regni consuetudines sciret, nec in archipræsulatu diu fuisse. Vnde dicebat se nescire de his, & propterea quod inclinata ea esset dies, tantum negotium esse differendum in crastinum. Placuit sermo, & in sua se receperunt hospitia. Et in crastinum reuertentes in idipsum, quæ pridie intermissæ fuerant consuetudines regiæ, recognitæ sunt & expressæ, & in scriptum chirographi more confectum red-

acta, & regiarum consuetudinum nomine censa: quarum tamen multa ANNO CHRISTI 1164.
(vt perhibebatur) nequaquam regiæ, sed odio archipræsulis ad ancillandam ecclesiam euomitum æmulationis & inuidiæ virus, ipso etiam rege ignorante, quod homines inter ipsum & archipræsulem hac astutia dissensionis Zizania disseminare intenderent. Nec enim rex, qui adhuc erat iuuenis, sicut nec archipræsul nouus pristinas regni consuetudines nisi ex illorum relatu cognoscebat. Quales vero hæ regiæ consuetudines fuerint, si quis scire desiderat, eas in fine huius historiæ descriptas inueniet. Quas paulo inferius & nos hic descripturi sumus: pergit vero ad institutam orationem:

Scriptis igitur consuetudinibus, & in formam chirographi redactis, postulat rex ab archiepiscopo & episcopis, vt ad cautionem & maiorem firmitatem sigilla sua appendant. Verum archipræsul, etsi vehementer contristatus, dissimulat tamen, regem contristare tunc nolens, & caute quidem de plano non negabat; sed differendum adhuc dicebat. Et si parati essent ad faciendum, dicebat tamen, propter negotii magnitudinem, decere dilationem vel modicam, cum iuxta Sapientem, absque consilio nihil faciendum graue: & exinde post deliberationem aliquantulam, ipsum & episcopos super hoc ipsum decentius requirendos. Scriptum tamen dictas consuetudines continens recepit pro mediate quidem, & proinde, vt causam videlicet suam secum haberet. Alteram vero scripti partem suscepit Eboracensis archipræsul. Rex vero ipse tertiam in regum archiuis recondendam accepit scilicet. & sic ea die dimisso facta est.

Præter Quadripartitam, quam diximus, de his historiam, accedit ad calcem magis exacta narratio de omnibus quæ contigerunt a fine eiusmodi Conciliabuli execrandi habiti Clarendunæ vsque ad profectionem Alexandri pontificis ex Galliis: ex quibus nos conteximus recitandam historiam, quæ sic se habet; a pœnitentia sancti Thomæ sumentes exordium istis verbis: *Eoque recedente a regis curia, obiter inter familiares ipsius orta est murmuratio, ius (vt assolet) asserentibus sic fieri oportere, propter temporis angustiam: illis indignantibus ecclesiasticæ libertatis auctoritatem ad vnius hominis libitum deperire. inter quos acrius vnus institit, dicens: Publica, inquit, potestas perturbat omnia, in ipsum Christum delirat iniquitas, synagoga satanæ profanat sanctuarium Dei: sederunt principes, conuenerunt in vnum aduersus Christum Dominum. Nemo tutus qui diligit æquitatem: mundo iudice, soli sapiunt & venerantur hodie qui principi obsequuntur ad libitum. Concussit hæc tempestas & columnas ecclesiæ: dum pastor disparuit, oues dispersæ latitant sub lupo. De cetero quis erit locus innocentiæ, quis stabit ex aduerso, vel quis triumphabit in prælio, principe deuicto? Hæc quidem is murmurabat qui crucem ferebat ante dominum Cantuariensem: ceteri obmutuere præ angustia. Et adiecit audacius, assumens parabolam in hunc modum: Quid, inquit, virtutis sibi retinuit qui constantiam perdidit & famam? Quorsum hæc, fili? (ait dominus Cantuariensis. Teipsum, inquit, id respicit, quod hodie omnino perdidisti & conscientiam & famam, Deo odibili & honestati contrario exemplo in posterum relicto, cum manus tuas Deo sacratas ad*

ANNO CHRISTI 1164.

execrandas consuetudines obseruandas extenderes, & in confusionem libertatis ecclesiasticæ cum nefarii satanæ ministris conniueres. Fuit plane iste gallus ille cuius clamore excitatus Petrus fleuit amare: nam pergit: *Ingemuit igitur dominus Cantuariensis, & suspirans adiecit: Pœnitet me, inquit, & grauiter, & meum exhorrescens excessum, meipsum iudico indignum de cetero ad eum accedere in sacerdotio, de cuius ecclesia contraxi tam vile commercium. Silebo itaque sedens in mœrore, donec me visitarit Dominus ex alto, vt per ipsum Dominum & dominum papam merear absolui; statimque inde destinauit nuntium ad sedem apostolicam.*

Didicerat ista Alexander papa antea aliorum relationibus, magnaque commiseratione commotus, has ad eumdem sanctum Thomam literas dedit, quibus mœrentem est consolatus, atque absoluit a iuramento. literæ autem sic se habent:

Libro 1. epist. 26. Alexander absoluit Thomam a culpa.

AD aures nostras fraternitas tua nouerit fuisse perlatum, & quorumdam nobis relatione suggestum, quod occasione cuiusdam excessus a Missarum proposueris celebratione cessare, & a consecratione sanguinis & corporis Domini abstinere. Quod vtique quam graue sit, præcipue in tanta persona, & quantum possit exinde scandalum prouenire, solicita meditatione consideres, & hoc ipsum vigilantia tuæ discretionis attendat. Debet autem diligentia tua prudenter aduertere, quod plurimum interest, quando ex deliberatione & propria voluntate, & quando ex ignorantia vel necessitate aliqua committuntur. Aliter enim in his quæ spontanea voluntate, & aliter quæ ignorantia (sicut dictum est) vel necessitate cogente fiunt, noscitur procedendum. Et aliter illa, aliter ista tractanda sunt, & viris discretis & prudentibus metienda, velut sacræ scripturæ testimoniis edocemur, intentio tua operi tuo nomen imponit. Nam, sicut & alibi legitur, vsque adeo voluntarium est peccatum, vt, nisi fuerit voluntarium, non sit peccatum. Et omnipotens Dominus non factum agentis attendit, sed considerat potius intentionem, & diiudicat voluntatem. Si igitur aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere; quidquid sit, sacerdoti, qui discretus & prouidus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri. Quo facto, & misericors Dominus, qui multo amplius ad cor respicit, quam ad actus, tibi consuetæ pietatis suæ miseratione dimittet. Et nos de beatorum Petri & Pauli apostolorum

eius meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absoluimus; & idipsum fraternitati tuæ auctoritate apostolica relaxamus, consulentes vtique ac mandantes, vt postea a Missarum celebrationibus propter hoc non debeatis abstinere. Datum Senonis Kalendis Aprilis. ANNO CHRISTI 1164.

Hæc Alexander. Porro Ioannes Saresberiensis in epistola ad Petrum scriptorem (puto Blesensem) quæ in codice epistolarum sæpe citato omissa, postea in fine voluminis posita legitur, affirmat, peccatum sancti Thomæ non excusandum, sed ostendendum per pœnitentiam esse purgatum, ait enim: *Pollicitationem Clarendunæ, ad quam de consilio episcoporum impulsus est, purgare non possum, quia non fuerat vtique facienda; sed offensam confessio diluit, accepta solenniter pœnitentia a summo pontifice, qui peruersas illas consuetudines, multis audientibus, auctoritate apostolica condemnauit.* Hæc Ioannes. pergunt vero acta citata superius: *Innotuit interim idipsum principi, quod dominus Cantuariensis ab illa compromissione vellet resilire, in eo præcipue, dum palam restitit, ne scriptum illarum consuetudinum, sicut conditum fuerat, suo sigillo corroboraret. Et exinde princeps exasperatus, grauioribus & exquisitis cœpit dominum Cantuariensem vexare exactionibus, ita vt palam fieret intelligentibus, sanguinem ipsius archiepiscopi & vitam requiri.*

Inserere studuimus, inquiunt, *funestum illud & famosum decreti chirographum, consuetudines illas regias videlicet apud Clarendunam promulgatas, quarum hæc prima:*

Constitutiones regiæ in Clarenduna propositæ.

I.

De aduocatione, & præsentatione ecclesiarum, si controuersia emerserit inter laicos, vel inter clericos & laicos, vel inter clericos & clericos, in curia domini regis tractetur & terminetur. *Primum hoc damnauit sancta Romana ecclesia sub Alexandro papa III.*

II.

Ecclesiæ de feudo domini regis non possunt in perpetuum dari absque assensu & concessione ipsius. *Hoc tolerauit.*

Ita notatæ habentur in fine vniuscuiusq; capituli in codice Vaticano in fine quadripartitæ historiæ sancti Thomæ.

III.

Clerici citati & accusati de quacumque re, moniti a iustitia regis, venient in curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, vnde videbitur curiæ regis, quod sit ibi respondendum. Ita quod iustitia regis mittet in curiam sanctæ ecclesiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur; & si clericus conuictus vel confessus fuerit, non debet de cetero eum ecclesia tueri. *Hoc damnauit.*

IV. Ar-

ANNO CHRISTI 1164.

IV.

Archiepiscopis, episcopis & personis regni non licet exire de regno absque licentia domini regis. Et si exire voluerint, si domino regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo, perquirent malum vel damnum domino regi vel regno. *Hoc damnauit.*

V.

Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare iuramentum, sed tantum vadium & plegium standi iudicio ecclesiæ, vt absoluantur. *Hoc damnauit.*

VI.

Laici non debent accusari nisi per certos & legales accusatores & testes in præsentia episcopi, ita quod archidiaconus non perdat ius suum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et si tales fuerint qui culpantur, quod non velit nec audeat aliquis accusare eos, vicecomes requisitus ab episcopo faciet iurare duodecim legales homines de visneto, seu de villa coram episcopo, quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt. *Hoc tolerauit.*

VII.

Nullus qui de rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum eius excommunicetur, nec terræ alicuius eorum sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex, si in terra fuerit, conueniatur, vel iustitia eius, si fuerit extra regnum, vt rectum de ipso faciat, & ita vt quod pertineat ad curiam regiam, ibidem terminetur, & de eo quod spectabat ad ecclesiasticam curiam, ad eumdem mittatur, vt terminetur. *Hoc damnauit.*

VIII.

De appellationibus, si emerserint, ab archidiacono debent procedere ad episcopum, & ab episcopo ad archiepiscopum: & si archiepiscopus defuerit in iustitia exhibenda, ad dominum regem perueniendum est postremo, vt præcepto ipsius in curia archiepiscopi controuersia terminetur, ita quod non debeat vlterius procedere absque assensu regis. *Hoc damnauit.*

IX.

Si calumnia emerſerit inter clericum & laicum, vel e conuerſo de vllo tenemento, quod clericus velit ad eleemoſynam attrahere, laicus vero ad laicum feudum; recognitione duodecim legalium hominum per capitalis iuſtitiæ regis conſiderationem terminabitur, vtrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſiue ad feudum laicum, coram ipſa iuſtitia regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in curia eccleſiaſtica: ſi vero ad laicum feudum, niſi ambo tenementum de eodem epiſcopo vel barone aduocauerint, erit placitum in curia regia. Si vterque aduocauerit de feudo illo eumdem epiſcopum vel baronem, erit placitum in curia ipſius, ita quod propter factam recognitionem ſaiſinam non amittat qui prius ſaiſitus fuerat. *Hoc damnauit.* ANNO CHRISTI 1164.

X.

Qui de ciuitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio regis fuerit, ſi ab archidiacono vel epiſcopo de aliquo delicto citatus fuerit, vnde debeat eidem reſpondere, & ad citationes eorum ſatisfacere noluerit, bene licet eum ſub interdicto ponere, ſed non debet excommunicari, priuſquam capitalis miniſter regis villæ illius conueniatur, vt iuſtitiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi miniſter regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia regis, & exinde poterit epiſcopus ipſum accuſatum eccleſiaſtica iuſtitia coercere. *Hoc damnauit.*

XI.

Archiepiſcopi, epiſcopi, & vniuerſæ perſonæ regni, qui de rege tenent in capite, & habent poſſeſſiones ſuas de dominio regis, ſicut baroniam, & inde reſpondent iuſtitiis & miniſtris regis, & ſequuntur & faciunt omnes conſuetudines regias & rectitudines, & ſicut ceteri barones, debent intereſſe iudiciis curiæ domini regis cum baronibus, vſque perueniatur in iudicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem. *Hoc tolerauit.*

XII.

Cum vacauerit archiepiſcopatus, vel epiſcopatus, vel abbatia, vel prioratus de dominio regis, debet eſſe in manu eius, & inde percipiet omnes reditus & exitus, ſicut

ANNO CHRISTI 1164. dominicos. Et cum ventum fuerit ad consulendum ecclesiæ, debet dominus rex mandare potiores personas ecclesiæ, & in capella ipsius debet electio fieri assensu regis, & consilio personarum regis, quas ad hoc faciendum vocauerit. Et ibidem faciet electus homagium & fidelitatem domino regi, sicut ligio domino, de vita & membris, & de honore suo terreno, saluo ordine suo, priusquam sit consecratus. *Hoc damnauit.*

XIII.

Si quisquam de proceribus regni diffortiauerit archiepiscopo, vel episcopo, vel archidiacono, de se vel de suis iustitiam exhibere; rex debet iustitiare: & si forte aliquis diffortiauerit domino regi rectitudinem suam, archiepiscopi, vel episcopi, & archidiaconi, debent eum iustitiare vt domino regi satisfaciat. *Hoc tolerauit.*

XIV.

Catalla eorum, qui sunt in regis forisfacto, non detineat ecclesia vel cœmeterium, contra iustitiam regis, quia ipsius regis sunt, siue in ecclesiis siue extra fuerint inuenta. *Hoc tolerauit.*

XV.

Placita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei, sint in curia regis. *Hoc damnauit.*

XVI.

Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini, de cuius terra nati dignoscuntur. *Hoc tolerauit.*

[a] CONCILIABVLVM NORTHAMTONIENSE IN ANGLIA

celebratum, quo Thomas archiepiscopus Cantuariensis de periurio per regem accusatus, eo quod Anglicanas consuetudines, quas iurauerat, non obseruasset, condemnatus fuit anno MCLXIV. sub Alexandro papa III.

NOTA.

[a] *Conciliabulum.*] De rebus in hoc Conciliabulo gestis, post Rogerum in annalibus, acta vitæ sancti Thomæ, quæ sunt apud Baronium, ista referunt: *Facta quoque coitione apud Northamtonam, dominus*

noſter trahitur in cauſam. Seorſum ita in conclaui ſedentibus domino Cantuarienſi cum ſuis epiſcopis, ex edicto regis ſeris obiectis, ne pateret exitus; propoſitum eſt ex parte regis aduerſus dominum Cantuarienſem, quod cum cancellarius eſſet, & haberet vacantes epiſcopatus & abbatias, & multos reditus per annos plurimos in manu ſua, nullam ſuper his reddiderit rationem, quam modo ipſe rex requireret exhiberi. Super his (inquit Cantuarienſis) prudentiores volumus conſulere, & de conſulto reſpondere. Anno Christi 164.

Dum igitur medium ſilentium tenuerunt adinuicem, domino Cantuarienſi id requirente, Gilbertus Londonienſis epiſcopus, decanus vtique Cantuarienſis eccleſiæ, & idcirco in conſilio poſt archiepiſcopum primus: Si pater, inquit, recolis, vnde te dominus rex ſuſtulerit, quid tibi contulerit, conſiderata temporum malitia, quantam ruinam catholicæ eccleſiæ & nobis paraueris, ſi in his regi reſiſtere volueris, non ſolum archiepiſcopatui Cantuarienſi, ſed in decuplo, ſi tanti fuerit, cedere deberes. Et forſitan ſi hanc in te viderit humilitatem, te rex in vniuerſum reſtituet. Satis (inquit Cantuarienſis) innotuit, quod conſulto reſponderis.

Deinde Henricus Vvintonienſis epiſcopus ſubintulit: Hæc forma conſilii catholicæ eccleſiæ penitus pernicioſa nos omnes obligat & confundit: quia ſi archiepiſcopus noſter & totius Angliæ primas nobis id relinqueret exemplum, vt ad nutum & comminationem principis auctoritati & curæ animarum ſibi commiſſæ quiſque epiſcopus debeat cedere, quis erit de cetero ſtatus eccleſiæ, niſi vt nulla agantur de iure, & omnia confundantur pro libitu; & ſic erit ſacerdos ſicut & populus?

Hilarius poſt hæc Ciceſtrenſis epiſcopus, & ipſe glorioſus in verbis, ſubiunxit: Niſi, inquit, temporis inſtantia, & catholicæ eccleſiæ perturbatio aliud exigeret, ſtandum vtique eſſet veſtræ ſententiæ. Verum vbi nutat Canonum auctoritas, plurimum ſubtrahendum ſeueritati, vt in eo proficiat diſpenſatio, quod poſſit deſtruere ſeuera correctio. Cenſeo igitur cedendum regiæ voluntati, ſed ad tempus, ne præpropere procedamus id ſtatuere, vnde ſequatur durior retractio, nec ſine rubore.

Epiſcopus deinde Lincolnienſis, ſimplex quidem homo & minus diſcretus: Patet, inquit, vitam hominis iſtius & ſanguinem quæri: & neceſſarium alterum eorum erit, aut archiepiſcopatui, aut vitæ cedendum. Quis ſibi fructus de archiepiſcopatu proueniet, ſi proinde vitæ ceſſerit; nec id video.

Exonienſis autem epiſcopus Bartholomæus, Palam eſt, ait, quod dies mali ſunt; & ſi poſſemus ſub diſſimulationis vmbra huius tempeſtatis impetum tranſilire illæſi; id præcipue procurandum, nec ad id de facili perueniendum, niſi ſubtrahatur plurimum ſeueritati. Temporis inſtantia id requirit, maxime cum non ſit generalis, ſed particularis hæc perſecutio. Satius eſt igitur vnum caput in parte periclitari, quam totam Anglicanam eccleſiam ineuitabili diſcrimini exponere.

Vvigornienſis epiſcopus Rogerius requiſitus & ipſe quid inde ſentiret, ita temperauit reſponſum, vt etiam negando palam faceret quid animi haberet: Nullum, ait, in hac parte dabo conſilium: quia ſi dixero

ANNO CHRISTI 1164. *a Deo susceptam animarum curam ad regiam comminationem & voluntatem oportere relinquere, contra conscientiam meam & capitis mei condemnationem loqueretur os meum; si censeam regi resistendum, ecce qui sui sunt audiunt, per quos idipsum innotescet regi; statimque eiiciar extra synagogam, & erit sors mea de cetero cum publicis hostibus & condemnatis. Idcirco nec hoc dico, nec illud consulo.*

His ita gestis, sederunt aliquamdiu sub silentio, nec erat qui amplius his adiceret. & arte quæsita, vt pateret eis exitus (incluſi enim erant) Volo (inquit dominus Cantuariensis) loqui cum duobus comitibus, qui cum rege sunt, quos & nominauit. Vocati illi, aperto ostio introierunt properanter, cupientes aliquid audire, quod regiam satiaret voluntatem. Astantibus iis, ait dominus Cantuariensis: Super his, de quibus nos dominus rex conuenit, consulimus. Et quia non habemus ad præsens eos, quibus res ipsa magis innotuit: ideo vsque in crastinum petimus inducias; tunc responsuri sicut Dominus nobis inspirauerit. Ad hæc regi referenda missi sunt Londoniensis & Roffensis episcopi. Londoniensis autem sub vulpe latens iniunctum sibi peruertit negotium, dicens regi dominum Cantuariensem apud eum postulare inducias ad præparanda instrumenta, statuto die rationem redditurus super obiectis: vt sic magis obligaretur dominus Cantuariensis ad executionem regiæ voluntatis. Directi sunt igitur comites ad archiepiscopum, postulatas inducias ex parte regis deferentes, si tamen ratum haberet, quod ex parte sua per episcopos regi fuerat suggestum. Quo audito, Cantuariensis ait, se id in mandatis non dedisse, nec id quod regi suggestum est se ratum habere, sed die sequenti se, Deo auctore, venturum, & sicut datum fuerit desuper responsurum. Erubuit ergo Gilbertus Londoniensis, dum videret se incidisse in laqueum, quem contexuit ad patrem suum decipiendum.

Soluto itaque consilio, ea die discesserunt ab inuicem. Multitudo virorum militum & aliorum, qui cum domino Cantuariensi illuc conuenerant, regio metu perterriti, secessit in partem, & amplius cum eo non stetit. Quo sanctus Thomas comperto, iussit circuiri sepes & vicos, & ad se vocari pauperes, claudos, ac debiles, dicens per talem militiam celeriorem posse prouenire victoriam, quam per eos qui tempore tentationis turpiter recesserunt. Impleta est domus eius discumbentium pauperum, & peracta est dies illa in Domino cum lætitia, nulla mentione palam habita posthinc perturbationis.

Sequenti die, summo diluculo percussus est dominus noster passione iliaca, nam & ea multoties vexabatur eatenus, vt non potuerit se de lecto erigere. Vnde longiore mora interposita, vt crederetur ab inuidis ad curiam regis nolle descendere: missi sunt qui eum citarent acrius ad respondendum. Qui, dum, inquit, quieuerit ista passio, crastino die, Deo auctore, apparebo. Transeunte vero die illa, & nocturnis vigiliis cum summa deuotione demum peractis, mane consurgens ad Missarum solemnia, sacris pro more indutus vestibus, & per beati martyris Stephani merita diuinum sibi inuocans auxilium, initium Missæ iussit inchoari: Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: *totumque* Psal. 118.

officium cum ad id pertinentibus compleuit deuotius, miniſtralibus regis, qui ibi aderant, id tacite conſiderantibus, quibus viſum eſt idipſum aliquid portendere. Expleto itaque miniſterio, amoto ab humeris pallio cum infula, ceteris indutus veſtibus ſacris, cappa clericali ſuperiniecta. ANNO CHRISTI 1164.

In quadripartita autem hiſtoria aſſeritur, conſilio cuiuſdam ſancti viri monachi a ſancto Thoma celebratam tunc fuiſſe Miſſam ſancti Stephani protomartyris; non autem, vt tunc eius eſſet natalitius dies; ſed & præter morem eam celebraſſe cum pallio. Et quod clam ſecum detulit more maiorum euchariſtiam, palam vero geſtandam ſumpſerit Crucem: ita ſe ſanctus ad martyrium parans, quod ea ſe die obiturum putabat. Pergunt vero citata ſuperius acta: *Intraturus cameram regis, vbi rex præſtolabatur, ad oſtium ipſum Crucem baiulat propria manu, ſequentibus epiſcopis, id aliter quam decuit interpretantibus. Occurrit Robertus Hereſordenſis epiſcopus: Pater, inquiens, ſuſtine, & ego vice capellani Crucem deferam ante præſentiam veſtram; ſic enim condecet. Iuſtius eſt (ait Cantuarienſis) me ipſam deferre, ſub cuius protectione tutus maneo: & eius viſo vexillo, non eſt dubitandum, ſub quo principe milito. Londonienſis ad hæc: Si viderit rex te armatum intrare, gladium ſuum fortiorem exeret in caput tuum, & tunc videbis quid proderunt arma tua tibi. Hæc (inquit Cantuarienſis) Deo committimus. Et Londonienſis: Stultus hactenus fuiſti, & ab hac ſtultitia (vt video) de cetero non recedes. Et proceſſum eſt. Audiens autem rex epiſcopum armatum venire, oblito vel depoſito illo gladio, quem dixerat Londonienſis, citius ſecedit in conclauem vlteriorem, ſedente hac ſeorſum Cantuarienſi ſolo cum ſuis, & paucis, epiſcopis ex aduerſo & loco & animo adunatis. Denique vocati ſunt epiſcopi ad regis Concilium, Cantuarienſi ſub iugulo relicto. Protrahitur tempus, dum quæritur innocentis damnatio. Cantuarienſis firma facie induit conſtantiam. Exiens Rogerus Eboracenſis archiepiſcopus ait clericis ſuis, quos ibi inuenit: (erant enim ibi magiſter Robertus, Grandis cognomine, & Oſbernus a Rondel) Recedamus hinc. Non oportet nos videre quæ hic habent fieri cito de Cantuarienſi. Magiſter Robertus ad hæc, Non, inquit, hinc recedam, donec videro quid Dei voluntas ſuper his iudicauerit. Si pro Deo & eius iuſtitia dimicauerit vſque ad ſanguinem, pulcrius & melius vitam finire non poterit. Recedente itaque Eboracenſi archiepiſcopo a camera regis, veniens Bartholomæus Exonienſis, epiſcopus, procidens ad pedes domini Cantuarienſis, ait: Pater mi, miſerere tui: miſerere & noſtri; omnes enim hodie perimus odio capitis tui. Exiit namque edictum a rege, vt qui amplius cum Cantuarienſi ſtaret, publicus hoſtis iudicaretur, in capite puniendus. Dictum eſt etiam, quod Iocelinus Sareſberienſis epiſcopus, & Vvilielmus Norvvicenſis epiſcopus, quia adhuc reſtiterant, traherentur ſtatim ad ſupplicium, in membris mutilandi; qui & ipſi pro ſalute ſua Cantuarienſem rogabant.*

Inſpiciens igitur Cantuarienſis in Exonienſem epiſcopum, Fuge hinc, ait, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt. Exierunt denique a Concilio omnes ſimul epiſcopi cum tumultu ad Cantuarienſem, quorum vnus

ANNO CHRISTI 1164. eloquens Hilarius Ciceſtrenſis epiſcopus prorumpens in vocem: Aliquando, ait, noſter fuiſti archiepiſcopus, & tenebamur tibi obedire; ſed quia domino regi fidelitatem iuraſti, hoc eſt, vitam, membra, & terrenam dignitatem ſibi per te fore ſaluam, & conſuetudines, quas ipſe repetit, conſeruandas, & tu eas niteris deſtruere, præcipue cum ſpectent ad terrenam ſuam dignitatem & honorem; idcirco te reum periurii dicimus, & periuro archiepiſcopo de cetero non habemus obedire. Nos itaque & noſtra ſub domini papæ protectione ponentes, te ad eius præſentiam appellamus ſuper his reſponſurum: & diem ſtatuit. Audio, inquit Cantuarienſis.

Subtrahentes ſe epiſcopi, ſeorſum ſedere ex aduerſo diutius in ſummo ſilentio. Tandem a rege proceſſerunt comites & barones & plurima turba ad dominum Cantuarienſem. Quorum primus Robertus Leiceſtrenſis ait: Mandat tibi rex, vt venias redditurus rationem ſuper obiectis, ſicut fieri promiſiſti te facturum: alioquin audi iudicium tuum. Iudicium, inquit, Cantuarienſis, imo, fili comes, & tu prius audi. Non te latet, fili, quam familiaris, & quam fidelis ſecundum ſtatum huius mundi domino regi fuerim. Eius rei gratia placuit ei vt promouerer in archiepiſcopum eccleſiæ Cantuarienſis; Deus ſcit, me id non volente. Nota enim mihi fuit infirmitas mea: & magis pro ſuo, quam pro Dei amore acquieui: id ſatis hodie palam eſt, dum Deus & ſe mihi ſubtrahit & regem. Verumtamen in mea promotione, dum electio fieret, præſente Henrico rege filio & herede, cui & hoc ipſum mandatum fuit, quæſitum eſt qualem me redderent Cantuarienſi eccleſiæ: & reſponſum eſt, liberum & abſolutum ab omni nexu curiali. Si igitur liber & abſolutus, ſuper his a quibus ſum liberatus, nec teneor, nec volo de cetero reſpondere. Et hoc aliter ſe habet (inquit comes) quam Londonienſis regi ſuggeſſerat. Adiecit Cantuarienſis: Ad hæc, fili comes, id attende: Quanto dignior eſt anima quam corpus, tanto magis Deo & mihi teneris obedire quam terreno regi. Nec lex, nec ratio permittit, vt filii patrem iudicent, vel condemnent. Vnde regis, tuum, & aliorum declino iudicium, ſub Deo ſolo a domino papa iudicandus, cuius coram omnibus vobis præſentiam appello, eccleſia Cantuarienſi; ordine & dignitate mea, cum ad eam pertinentibus, ſub Dei & ſua protectione poſitis. Nihilo minus vos, fratres & coepiſcopi mei, quia magis homini quam Deo obeditis, ad domini papæ audientiam & iudicium voco, & ſic catholicæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedis auctoritate munitus hinc recedo.

Abeuntem illum ſequuntur curiales & inuidi, contumeliis & iniuriis traditorem illum acclamantes. Ei autem venienti ad vlteriorem portam, clauſa eſt ianua, nec potuit exire, nullo ibi inuento cuſtode. Et dum res ageretur in metu & dubio, nutu Dei contigit, claues plurimas in faſciculo a muro pendere: quas arripiens quidam familiaris domini Cantuarienſis, vnam poſt alteram pertentauit, donec aperiret ianuam. Exeuntibus illis occurrit multitudo morbo regio laborantium, pauperum & infirmorum, ac clamantium & dicentium: Benedictus Dominus, qui eripuit & ſaluum fecit ſeruum ſuum a facie inimicorum ſuorum. credebatur enim iam fuiſſe extinctus. Præcedente igitur & ſubſequente

turba languidorum, cum clero & populo in gaudio & latitia perducitur ad hospitium. Videns autem exultationem plebis, dixit sequentibus se: Quam gloriosa nos processio conducit a facie tribulantis? Sinite pauperes Christi & nostræ tribulationis participes omnes intrare nobiscum, vt epulemur in Domino ad inuicem: & impleta sunt domus & atria circumquaque discumbentium. Additur ex Quadripartita, tunc contigisse legi in mensa ex historia Tripartita persecutionem Liberii, cum restitit videlicet Constantino imperatori hæretico, a quo & est passus exilium: & ex lectione euangelii itidem legi soliti illud euangelistæ: *Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Quæ audita a sancto Thoma, tamquam ipsi annuntiata, ab eodem quamcitius sunt adimpleta, cum Deo iuuante in Belgium transfretauit, & apud monasterium sancti Bertini permansit. Alexander autem papa ista audiens, primum omnium non teneri sanctum Thomam damnatione sua in Conciliabulo facta ita declarat:

Anno Christi 1164.

Anno Christi 1168.

Matth. 5.

Alexander papa Thomæ Cantuariensi archiepiscopo.

QVOD minor maiorem iudicare non possit, & eum præsertim cui iure noscitur prælationis subesse, & obedientiæ vinculo tenetur astrictus, tam diuinæ quam humanæ leges demonstrant; & præcipue sanctorum patrum statutis id manifestius declaratur. Hæc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, & ea quæ incorrecta pernicioſum posteris exemplum reliquerunt, emendare solicita consideratione pensantes, & quod ex delicto personæ non debet ecclesia iacturam aliquam vel incommodum sustinere, sententiam ab episcopis & baronibus Angliæ, quoniam ad primam regis citationem tui copiam non feciſti, aduersum te præsumptuose prolatam, in qua tibi iam dicti episcopi & barones omnia mobilia, tam contra iuris formam, quam contra ecclesiasticam consuetudinem abiudicarunt, præsertim cum nulla mobilia præterquam de bonis ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitus esse censemus, & eam apostolica auctoritate cassamus; statuentes vt nullas in posterum vires obtineat, aut tibi vel successoribus tuis, seu ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod in posterum præiudicium valeat vel læsionem afferre.

Hæc Alexander papa, qui & aliis datis literis restituenda mandauit quæ sublata fuissent ipsi archiepiscopo, siue aliis, occasione ipsius Thomæ.

CON-

ANNO CHRISTI 1168.

[a] CONCILIVM LATERANENSE QVO FRIDERICVS IMPERATOR excommunicatur, & per sententiam imperio priuatur anno Christi MCLXVIII. sub Alexandro papa III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Fridericum imperatorem ab Alexandro pontifice propter intrusum in sedem apostolicam Victorem tertium pseudopapam hac Synodo excommunicatum & imperiali dignitate priuatum esse, constat ex Ioannis Saresberiensis epistola 60. ad Ioannem Pictauensem scripta, his verbis: *Fridericus ille schismaticus insignis, dum in ecclesiam malitiosius & crudelius sæuit, factus est exauguſtus, & eo perductus est, vt iam optauerit Italiam perdidisse, quam retinere non potest.* At cur exauguſtus? alia declarat epistola, ad Cantiæ subpriorem: *Resloresçit status, auctore Domino, vniuersalis ecclesiæ, & schismaticorum impetus frustratus est, & superbia Moab in dies infirmatur. Nec de nocte vastatus est nunc, vt ab initio, sed in meridie suffossa est ara, & muri eius deiecti sunt funditus, vt exaltatio Moab ex necessitate Petro cedens de cetero conquiescat. Vnde spes est in Domino, vt vociferantibus tubis sacerdotalibus, in proximo corruat Iericho, & regnum proprio sanguine acquisitum obtineat triumphator Iesus, & in pace possideat quod sui iuris est sponsus & iustus ecclesia Christus. Cum enim Romanus pontifex per patientiam Teutonicum tyrannum diutius expectasset, vt vel sic prouocaretur ad pœnitentiam, & schismaticus abutens patientia eius peccata peccatis adderet iugiter, vt error in amentiam verteretur: vicarius Petri a Domino constitutus super gentes & superregna, Italos, & omnes qui ei ex causa imperii religione iurisiurandi tenebantur astricti, a fidelitate eius absoluit, & Italiam fere totam a facie furentis & præsentis tanta felicitate & celeritate excussit, vt in ea nihil habere videatur, nisi tortores, quos euitat, interdum & angustiarum, quas euitare non potest, iuge supplicium.*

Abstulit ei etiam regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnauit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires vllas amodo in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorii septimi decessoris sui, qui nostra ætate Henricum imperatorem ecclesiæ priuilegia conuellentem deponens, in Concilio Romano simili sententia condemnauit. Et quidem illa sententia effectum sortita est, & hanc de priuilegio Petri latam videtur ipse Dominus confirmasse. Hoc enim Itali audito, ab eo discedentes reædificauerunt Mediolanum, schismaticos expulerunt, catholicos reduxerunt episcopos, & apostolicæ sedi vnanimiter

adhæserunt. Sed quid nota recenseo? Hoc vbique locorum fama, quasi præconis voce concelebrat, nec aliquibus dubium puto, ne forte lateat illos, qui soli tempestate hac exulant domo sua. Quia ergo ab oriente iam radius serenitatis illuxit per Christum, & incolumitas ecclesiæ in capite reparatur: superest spes fidei certissima, quod vnguentum a capite in apostolicam barbam exuberans, descendat in caput & oram Anglicanæ ecclesiæ, &c. ANNO CHRISTI 1163.

Ex eodem quoque Lateranensi Concilio credita est legatio Galdino archiepiscopo Mediolanensi, vt catholicos ab ecclesiis suis pulsos restituat episcopos, & schismaticos intrusos sedibus pellat. Qui quomodo id sit operatus in ecclesia Laudensi addicta schismaticis, his verbis in Laudensi tunc scripto chronico per Ottonem Morenam describitur: *Interea dominus Galdinus de la Scola, Mediolanensis ciuis & clericus, qui quidem cancellarius domini Ribaldi & domini Huberti de Pirouano Mediolanensium archiepiscoporum per annos multos fuerat, & in locum iam dicti Huberti ad archiepiscopatum Mediolani fuerat sublimatus a domino Alexandro papa, in Lombardia ipsius papæ tunc legatus constitutus, suos nuntios, scilicet abbatem sancti Ambrosii, & abbatem sancti Vincentii de Mediolano, misit domino Alberto de Cazano, maioris ecclesiæ Laudensis tunc præposito, ceterisque præpositis, abbatibus, presbyteris, & clericis, & etiam consulibus de Laude, dicendo atque monendo, quod ipsi partem papæ Paschalis & domini Friderici imperatoris omnino relinquerent, & prædicto papæ Alexandro fauerent, & ipsi papæ de iniuria sibi facta satisfacerent, atque episcopum catholicum eligerent: & nisi hoc facerent, ab officio & beneficio ecclesiastico abstinerent. Dictus vero præpositus, ceterique clerici hoc audientes, mœsti valde fuere, tum quia magna pars eorum mandato imperatoris iurauerat; se papam Paschalem pro papa in perpetuum tenere: tum etiam, quia omnes fere fidelitatem iurauerant domino Alberto de Merlino, tunc temporis, vt eis videbatur, Laudensi episcopo catholico, nec adhuc canonico iure deposito, hoc facere timebant valde, & sibi in maximum dedecus reputabant. Inter se etiam conferentes, quod si dicti papa Paschalis & imperator victores adhuc existerent, ipsi in perpetuum se damnarent, & qualibet eorum dignitate & gratia priuarent: formidabant nimis mandatis domini Galdini obedire. Hoc etiam recusare, quod eis mandauerat* decus supradicti domini Galdini, stupebant plures, tum propter papam Alexandrum, & supradictum dominum Galdinum archiepiscopum, qui quasi in illis partibus victores existerent; tum propter ciuitates Lombardiæ fere omnes insimul coniurantes: quia sciebant, quod si de Laude expellerentur, in Lombardia habitaculum, aut locum, in quo se possent reducere, non haberent.*

Tandem dubiis angustiis hincinde satis diu reuolutis, cum nullam misericordiam a dicto archiepiscopo inuenire possent, nisi quod eis mandauerat adimplerent, eligentes potius viuere quam mori, magisque etiam stare in sua patria, quam in aliena vagari; in papam Alexandrum credere, eiusque parti fauere, & episcopum nouum secundum voluntatem archiepiscopi eligere disposuerunt. Igitur de Iouis sancto, quæ fuit

ANNO CHRISTI 1168. *tunc quarto Kalendas Aprilis, indictione prima,* MCLXVIII. *anno, prædictus dominus Albertus Laudensis ecclesiæ maioris præpositus, communicato insimul consilio tam Laudensis ciuitatis, abbatum, præpositorum, presbyterorum, aliorumque clericorum, quam etiam illorum qui extra ciuitatem in episcopatu Laudensi fuerant, ad honorem Dei & beatissimæ virginis Mariæ, atque beati precioſi confessoris Bassiani, dominum Albertum presbyterum, & tunc temporis ecclesiæ de Ripalta præpositum, virum honestum & religiosum elegit in Laudensem episcopum & pastorem. Proximo vero die Mercurii post pascha Laudenses abbates, præpositi, presbyteri, aliique clerici multi, consules etiam Laudenses, multique iudices & sapientes de Laude Bergomum, vbi tunc dictus electus erat, iuerunt, & ipsum in sequenti die Iouis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt: qui ibi honorifice nimis ab omnibus tam clericis quam laicis est susceptus.* Hucusque historia seu chronicon Laudensium rerum per Ottonem patrem & filium Acerbum Morenam conscriptum.

ANNO CHRISTI 1171. [a]

CONCILIVM CASSELANVM IN HIBERNIA DE REFORMANDIS istius ecclesiæ moribus celebratum anno Domini MCLXXI. sub Alexandro papa III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Rogerus in annalibus, cum quatuor archiepiscoporum & viginti episcoporum qui erant in Hibernia nomina expressisset, de rebus in hoc Concilio gestis, editisque constitutionibus ista subiungit: *Hi omnes* (inquit Rogerus) *tam archiepiscopi quam episcopi receperunt sibi Henricum regem Angliæ & heredes suos in reges & dominos in perpetuum: quod & chartis suis confirmauerunt. Quo facto rex Angliæ misit Nicolaum capellanum, & Radulphum archidiaconum de Landaff, clericos suos, vna cum archiepiscopis & episcopis Hiberniæ vsque ad Casselensem ciuitatem, ad celebrandum Concilium de statutis ecclesiæ. In Concilio autem illo statutum est, vt pueri deferrentur ad ecclesiam, & ibi baptizarentur in aqua munda sub trina mersione, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: & hoc a sacerdotibus fiat, nisi metu mortis impediente ab alio & alias oportuerit fieri: & tunc a quolibet fiat sine exceptione sexus & ordinis. Et vt decimæ dentur ecclesiis de omnibus quæ possidentur. Et vt omnes laici, qui vxores habere velint, eas secundum ius ecclesiasticum habeant.*

Rex vero Angliæ misit transcriptum chartarum vniuersorum archiepiscoporum & episcoporum Hiberniæ ad Alexandrum papam. Et ipse auctoritate apostolica confirmauit illi & heredibus suis regnum Hiberniæ secundum formam chartarum archiepiscoporum & episcoporum Hiberniæ. Hæc de his Rogerus.

[a] CONCILIVM ABRINCATENSE, QVO HENRICVS II. REX ANGLIÆ

ANNO CHRISTI 1172.

a sacrilega nece sancti Thomæ Cantuariensis, antea per legatos absolutus, secundo absoluitur, & iurato promittit iterum quæ iam ante promiserat: item decreta quædam per legatos apostolicos constituta, quæ mores ecclesiæ concernunt, promulgantur anno MCLXXII. sub Alexandro papa III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] De rebus in hac Synodo gestis, & constitutionibus pontificiis in eadem promulgatis, Rogerus in annalibus ista scribit: *Henricus rex Angliæ pater, & Henricus rex filius eius, & Rotrodus Rothomagensis archiepiscopus, & omnes episcopi & abbates Northmanniæ, conuenerunt apud Abrincam ciuitatem, in præsentia Theodini & Alberti cardinalium. In quorum audientia rex Angliæ pater, quinto Kalendarum Octobris, feria quarta, festo sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum, in ecclesia sancti Andreæ apostoli purgauit innocentiam suam coram prædictis cardinalibus & omni clero & populo, præstito sacramento super sanctorum reliquias, & super sacrosancta euangelia, quod ipse nec præcepit, nec voluit, quod archiepiscopus Cantuariensis occideretur: & quando audiuit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam Cantuariensem archiepiscopum occiderunt, habere non poterat, & quia timebat ipsos illud profanum opus impetrasse causa animi motus & turbationis quam in eo viderant, de satisfactione tale præstitit sacramentum. Iurauit itaque in primis, quod ab Alexandro summo pontifice, & catholicis successoribus eius non recederet, quamdiu ipsum sicut regem catholicum habuerint. Iurauit etiam, quod neque appellationes impediret, neque impedire permitteret, quin libere fierent in regno suo ad Romanum pontificem, in ecclesiasticis causis: ita tamen vt si ei suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant quod malum suum vel regni sui non quærant. Iurauit etiam, quod ab instante natiuitatis Domini vsque in triennium Crucem accipiet, in proxima sequenti æstate in propria persona Hierosolymam iturus, nisi remanserit per Alexandrum summum pontificem, vel per catholicos successores eius. Sed si interim pro vrgente necessitate in Hispaniam super Saracenos profectus fuisset, quantum temporis in illo itinere consummaret, tantumdem Hierosolymitanæ spatium profectionis posset prolongare. Præterea iurauit, quod interim tantum pecuniæ dabit Templariis, quantum ad arbitrium fratrum Templi possit sufficere ad retinendum ducentos milites, ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per spatium vnius anni. Præterea perdonauit iram & maleuolentiam suam omnibus tam clericis quam laicis, qui pro sancto Thoma*

ANNO CHRISTI 1172.

erant in exilio, & conceſsit eis libere & in pace ad propria redire. Iurauit etiam, quod poſſeſsiones Cantuarienſis eccleſiæ, ſi quæ ablatæ ſunt, in integrum reſtituet, ſicut habuit vno anno antequam ex Anglia egrederetur beatus Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus. Iurauit etiam quod conſuetudines, quæ inductæ ſunt contra eccleſias terræ ſuæ in tempore ſuo, penitus dimittet. Et hæc omnia iurauit ſe fore obſeruaturum bona fide & ſine malo ingenio. Fecit etiam Henricum regem filium ſuum hæc omnia capitula iurare tenenda; præter illa quæ propriam eius perſonam contingebant. Et vt hæc in memoria Romanæ eccleſiæ haberentur, rex pater fecit apponi ſigillum ſuum ſcripto illi in quo ſupradicta capitula continebantur, vna cum ſigillis prædictorum cardinalium. In hanc formam:

CHARTA ABSOLVTIONIS DOMINI REGIS.

Henrico Dei gratia illuſtri regi Anglorum Albertus tituli ſancti Laurentii in Lucina, & Theodinus tituli ſancti Vitalis preſbyteri cardinales, apoſtolicæ ſedis legati, ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus.

Acta publica ſcriptis tradita.

NE in dubium veniant quæ geruntur, & vſus habet, & communis conſideratio vtilitatis expoſcit, vt ſcripturæ ſerie debeant annotari. Inde quidem eſt quod nos mandatum illud in ſcriptum duximus redigendum, quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui ſanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuarienſem archiepiſcopum occiderunt, occaſione motus & turbationis quam viderunt in vobis, ad illud facinus proceſſiſſe timetis. Super quo tamen facto purgationem in præſentia noſtra de voluntate propria præſtitiſtis, quod videlicet nec præcepiſtis, nec voluiſtis vt occideretur: & quando peruenit ad vos, plurimum condoluiſtis.

Ab inſtanti feſto pentecoſtes, vſque ad annum, tantam dabitis pecuniam, vnde ad arbitrium fratrum Templi ducenti milites valeant ad defenſionem terræ Hieroſolymitanæ per ſpatium vnius anni teneri. Vos autem a ſequenti natali Domini, vſque ad triennium, accipietis Crucem; proxima tunc æſtate illuc in propria perſona, ducente Domino, profecturi; niſi remanſeritis per dominum papam, vel catholicos ſucceſſores eius.

Sane ſi contra Saracenos pro vrgente neceſſitate in Hiſpaniam profecti fueritis, quantum temporis fuerit ex quo arripueritis iter, tantumdem ſupradictum ſpatium

Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin libere fiant in ecclesiasticis causis ad Romanum pontificem bona fide, & absque fraude & malo ingenio; vt per Romanum pontificem causæ tractentur, & consequantur effectum suum; sic tamen, vt si vobis suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant, quod malum vestrum, vel regni vestri, non quærent. Consuetudines, quæ inductæ sunt contra ecclesias terræ vestræ, in tempore vestro penitus dimittetis, possessiones Cantuarienſis ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, in plenum restituetis, sicut habuit vno anno antequam archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & laicis vtriusque sexus pacem, vestram gratiam, & possessiones suas restituetis, qui occasione prænominati archiepiscopi destituti fuerunt. Hæc autem vobis, auctoritate domini papæ, in remissionem peccatorum vestrorum iniungimus, & præcipimus obseruare absque fraude & malo ingenio. Hoc sane coram multitudine personarum iurauistis vos pro diuinæ reuerentia maiestatis. Iurauit & filius vester, excepto eo quod personam vestram specialiter contingebat. Et iurastis ambo, quod a papa domino Alexandro, & catholicis successoribus eius, quamdiu vos, sicut antecessores vestros, & catholicos reges habuerint, minime recedetis. Atque vt in memoria Romanæ ecclesiæ firmiter habeatur, sigillum vestrum præcepistis apponi. Anno Christi 1172.

Post hæc autem idem Rogerus his subiicit legatorum epistolam, tunc temporis datam ad Rauennatem episcopum, qua res tunc gestas scripsere. Sic se habet:

Venerabili in Christo & dilecto fratri Giliberto, Dei gratia Rauennensi archiepiscopo, Albertus dignatione diuina tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodinus tituli sancti Vitalis, presbyteri cardinales, apostolicæ sedis legati, quod promisit Deus diligentibus se.

Legatorum epistola ad archiepiscopum Rauennensem.

QVONIAM desiderare vos credimus, vt de statu nostro, & de iuncti nobis promotione negotii aliquid audiatis, idcirco qualiter nobiscum, & per ministerium mediocritatis nostræ Deus egerit his diebus, fraternitati vestræ præsenti scripto duximus indicandum. Noueritis

ANNO CHRISTI 1172. itaque, quod postquam illustris rex Angliæ venisse nos in regnum suum in veritate cognouerit, totius amoto tarditatis obstaculo, de Hibernia in Angliam, incumbentibus sibi negotiis prætermissis, de Anglia vero ad Northmanniæ partes accessit, atque incontinenti plures ad nos nuntios & honorabiles destinauit, inquirens a nobis, in quo loco potius conuenire cum eo & loqui vellemus. Placuit tandem ad Sauinium monasterium pro colloquio habendo concurrere, vbi religiosorum virorum possemus orationibus adiuuari. Conuenimus illuc, conuenerunt & multæ personæ vtriusque ordinis de regno suo, & tractauimus diligentia qua potuimus quod ad salutem ipsius & iniunctam nobis obedientiam pertinebat. Cum autem non possemus in omnibus conuenire, recessit a nobis velut in Angliam profecturus, & nos expectauimus, sequenti die ad Abrincam ciuitatem ituri. Postera autem die venerunt ad nos Lexouiensis episcopus, & duo archidiaconi, & concesso quod petebamus, ad prædictam processimus ciuitatem. Ad quam dominica, qua cantatur, Vocem incunditatis, conuenimus cum personis plurimis, & ipsi nobiscum. Et cum tanta humilitate quod fuerat conditum expleuit, vt illius extitisse opus sine dubitatione credatur, qui respicit terram, & facit eam tremere. Sane, quam timoratum Deo, quam obedientem ecclesiæ se curauerit exhibere, non est opus præsenti abbreuiatione referre. Satis enim opera illius manifestant, & manifestabunt adhuc plenius, sicut & nobis spes data est in futurum.

Primum itaque super morte sanctæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis archiepiscopi, non de nostra exactione, sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis euangeliis, suam conscientiam expurgauit; iurans scilicet, quod nec præcepit, nec voluit quod idem archiepiscopus occideretur; & quando audiuit, vehementer doluit. Quia vero quod factum fuerat, ex sua occasione factum esse timebat: de satisfactione paranda tale præstitit iuramentum. Primo quippe iurauit, quod a domino papa nostro Alexandro, & eius catholicis successoribus non recedet, quamdiu sicut catholicum regem habuerint eum, & Christianum. Et hoc ipsum iurare fecit filium suum maiorem

in charta absolutionis pro morte beati Thomæ. Iurauit etiam & alia, clero & populo valde necessaria, quæ omnia diligenter, & per ordinem, sicut ea iurauerat, in absolutionis eius charta pernotauimus. Promisit etiam & alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet scripturæ serie denotare. Hæc autem scripsimus, vt cognoscatis ipsum obedientem Deo, atque ad diuinum obsequium multo amplius quam adhuc fuerit animatum. Noueritis ad hoc filium suum de prædictis consuetudinibus pariter cum eo iurasse. Sane, quod ibi factum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in maiori frequentia personarum publice statuit se acturum. Relaxauit præterea episcopos de promissione, quam ei fecerant de consuetudinibus conseruandis; & promisit quod non exiget in futurum. ANNO CHRISTI 1172.

Hucusque legatorum epistola. pergit auctor: *In crastino autem prædicti cardinales ibidem celebrauerunt magnum Concilium cum archiepiscopo, & episcopis, & clero Northmanniæ; & ibi hæc decreta subscripta statuerunt, & vniuersis firmiter & inuiolabiliter obseruanda iniunxerunt.*

Decreta per Theodinum & Albertum cardinales apud Abrincas promulgata.

I.

Pueri ad regimen illarum ecclesiarum, & ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minime admittantur,

II.

Item filii sacerdotum non ponantur in ecclesiis patrum suorum.

III.

Item laici partem oblationum in ecclesia non percipiant.

IV.

Item ecclesiæ vicariis annuis non committantur.

V.

ANNO CHRISTI 1172.

V.

Item sacerdotes maiorum ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se presbyterum cogantur habere.

VI.

Item sacerdotes non ordinentur sine certo titulo.

VII.

Item ecclesiæ ad firmam annuam non tradantur.

VIII.

Item de tertia parte decimarum nihil presbytero, qui seruit ecclesiæ, auferatur.

IX.

Item his, qui decimas hereditario iure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo clerico dare, eo quidem tenore, vt post eam ad ecclesiam, cui de iure competunt, reuertantur.

X.

Vir ad religionem non transeat, vxore in sæculo remanente, vel conuerso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

XI.

Item in aduentu Domini, omnibus qui poterunt, maxime autem clericis & militibus, ieiunium & abstinentia carnium indicatur.

XII.

Item clerici iudices non ponantur ad iurisdictiones sæcularium potestatum administrandas. Qui autem hoc præsumpserint, a beneficiis ecclesiasticis arceantur.

XIII.

Item de nouis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt ſacerdotes, & benedictionibus ſponſarum, & baptiſmo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro abſolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum eſt, quia epiſcopi Northmanniæ illud decretum recipere noluerunt.

Pergit Rogerus: *In eodem vero Concilio archiepiſcopus Turonenſis calumniatus eſt archiepiſcopatum Doli debere adiacere archiepiſcopatui ſuo, affirmans ſedem archiepiſcopalem ibi eſſe non debere. Sed clerici de Dolo conſtanter contradicebant.*

[a] CONCILIVM LONDONIENSE, QVO XVIII. CANONIBVS CONSTITVTIS, iudicata eſt cauſa Richardi Cantuarienſis & Eboracenſis archiepiſcoporum, anno MCLXXV. ſub Alexandro papa III.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Rogerus acta Concilii, Canoneſque in eo conſtitutos deſcribens, iſta refert: *Et venientes Londonias inuenerunt Richardum Cantuarienſem archiepiſcopum apud Veſtmonaſterium celebraturum Concilium, die dominica ante aſcenſionem Domini. Ad quod Concilium venerunt fere omnes epiſcopi & abbates Cantuarienſis diœceſis. Et coram prænominatis regibus & epiſcopis & abbatibus, Richardus Cantuarienſis archiepiſcopus in eminentiori loco conſtitutus hæc decreta ſubſcripta promulgauit.*

CANONES CONCILII LONDONIENSIS.

I.

Ideo in eccleſia Dei ſecundum antiquam patrum conſuetudinem Concilia congregantur, vt hi, qui conſtituti ſunt in eminentiori cura paſtorali, vitam ſubditorum de communi conſilio regularibus inſtitutis informent, & enormitates, quæ pullulant inceſſanter, conſultiore cenſura compeſcant.

ANNO CHRISTI 1175. Nos itaque potius inhærentes orthodoxorum patrum regulis, quam aliquid de nouo ſtatuentes, quædam certa capitula dignum duximus in medium promulganda; quæ vniuerſis prouincialibus noſtris firmiter & inuiolabiliter obſeruanda iniungimus. Omnes enim ſacrorum cenſemus Canonum tranſgreſſores, qui ſtatutis huius ſacroſanctæ Synodi præſumpſerint contraire.

II.

Si quis ſacerdos vel clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, eccleſiam vel eccleſiaſticum beneficium habens, publice fornicariam habeat, & ſemel, ſecundo, & tertio commonitus fornicariam ſuam non dimiſerit, & a ſe prorſus non expulerit, ſed potius in immunditia ſua duxerit perſiſtendum, omni officio & beneficio eccleſiaſtico ſpolietur. Si qui vero infra ſubdiaconatum conſtituti matrimonia contraxerint, ab vxoribus ſuis niſi de communi conſenſu ad religionem tranſire voluerint, & ibi in Dei ſeruitio iugiter permanere, nullatenus ſeparentur, ſed cum vxoribus viuentes eccleſiaſtica beneficia nullo modo percipiant. Qui autem in ſubdiaconatu vel ſupra ad matrimonia conuolauerint, mulieres etiam inuitas & renitentes relinquant. Decreuimus etiam eiuſdem epiſtolæ auctoritate, ne filii ſacerdotum in paternis eccleſiis amodo perſonæ inſtituantur, nec eas qualibet occaſione media non intercedente perſona obtineant.

Ex decretali epiſtola Alexandri papæ III. ad Rogerum Vvigornienſem epiſcopum.

III.

Clerici in ſacris ordinibus conſtituti edendi vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, nec pu-

Ex Concilio Carthaginenſi.

blicis potationibus interſint, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Si quis vero tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur. ANNO CHRISTI 1175.

IV.

Ex Concilio Toletano. His qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt iudicium ſanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus ne aut per ſe membrorum truncationes faciant, aut inferendas indicent. Quod ſi quis tale fecerit, conceſſi ordinis priuetur officio & loco. Inhibemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis ſacerdos habeat vicecomitatum, aut propoſiti ſæcularis officium.

V.

Ex Concilio Agathenſi. Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam inuiti tondeantur. Veſtimentis etiam vel calceamentis, niſi quæ honeſtatem & religionem deceant, eos vti non liceat. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat.

VI.

Ex diuerſis decretis Vrbani, Innocentii, & Concilii Calchedonenſis & Carthaginenſis. Quia quidam clerici deſperantes ab epiſcopis ſuis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel natiuitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra prouinciam ſuam, interdum etiam a tranſmarinis epiſcopis ordinantur, vel ordinatos ſe mentiuntur, ignota ſigilla epiſcopis ſuis deferentes; ſtatuimus talium ordinationem irritam eſſe habendam: ſub interminatione anathematis inhibentes, ne a quoquam ad officii ſui executionem ſuſcipiantur. Epiſcopum quoque noſtræ iuriſdictionis, qui talem ſciens & prudens ordinauerit vel ſuſceperit, ab illius ordinis collatione,

ANNO CHRISTI 1175. ad quem eum ordinauit vel ſuſcepit, vſque ad condignam ſatisfactionem ſe nouerit eſſe ſuſpenſum. Item: Cum eccleſia Dei, ſecundum euangelicam veritatem, domus orationis eſſe debeat, & non ſpelunca latronum, & ſanguinis forum; ſæculares cauſas, in quibus de ſanguinis effuſione vel de pœna corporali agitur in eccleſiis vel in cœmeteriis agitari, ſub interminatione anathematis. Abſurdum enim eſt & crudele ibi ſanguinis iudicium exerceri, vbi & reis conſtituta eſt tutela refugii.

VII.

Dictum eſt ſolere in quibuſdam locis pro perceptione chriſmatis nummos dari: ſimiliter pro baptiſmo & communione. Hæc ſimoniacæ hæreſis eſſe deteſtata eſt ſancta Synodus, & anathematizauit. Statuimus ergo, vt de cetero nec pro ordinatione, nec pro chriſmate, nec pro baptiſmo, nec pro extrema vnctione, nec pro ſepultura, nec pro communione, nec pro dedicatione, quidquam exigatur: ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſatione donentur. Si quis contra hoc facere præſumpſerit, anathema ſit. Ex Concilio Tribuienſi.

VIII.

Nullus prælatus, in recipiendo monacho, vel canonico, vel ſanctimoniali precium ſumere, vel exigere ab his, qui ad conuerſationem veniunt, aliqua pacti occaſione præſumat. Si quis autem hoc fecerit, anathema ſit. Ex decreto Vrbani papæ.

IX.

Nulli liceat eccleſiam nomine dotalicii ad aliquem transferre, vel pro præſentatione alicuius per- Decretum nouum.

ſonæ pecuniam, vel aliquod emolumentum pacto interueniente accipere. Quod ſi quis fecerit, & inde in iure vel confeſſus vel conuictus fuerit, ipſum, tam regia quam noſtra freti auctoritate patrocinio eiuſdem eccleſiæ in perpetuum priuari ſtatuimus. ANNO CHRISTI 1175.

X.

Ex decretis patrum. Secundum inſtituta patrum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici cauſa lucri negotientur: & ne monachi a clericis vel laicis firmas teneant, neque laici eccleſiaſtica beneficia ad firmas ſuſcipiant.

XI.

Ex Concilio Meldenſi. Quicumque ex clero videntur eſſe, arma non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus ex religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tamquam ſacrorum Canonum contemptores, & eccleſiaſticæ auctoritatis profanatores, proprii gradus amiſſione mulctentur: quia non poſſunt ſimul Deo & ſæculo militare.

XII.

Ex decreto Alexandri papæ III. epiſcopi Norvvicenſis. Illud etiam de vicariis, qui perſonis fide & ſacramento obligati ſunt, duximus ſtatuendum, quod ſi fide vel ſacramenti religione contempta perſonatum ſibi falſo aſſumentes contra perſonas ſe erexerunt, ſuper hoc in iure vel confeſſi vel conuicti fuerint, de cetero in eodem epiſcopatu ad officii ſui executionem non admittantur.

XIII.

Ex Concilio Rothomagenſi. Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de

ANNO CHRISTI 1175. fructibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Sed quia multi modo inueniuntur decimas dare nolentes, statuimus, vt iuxta domini papæ præcepta admoneantur semel, secundo, & tertio, vt de grano, de vino, de fructibus arborum, de fetibus animalium, de lana, de agnis, de butyro, & caseo, de lino, & canabe, & de reliquis quæ annuatim renouantur, decimas integre persoluant: quod si commoniti non emendauerint, anathemati se nouerint subiacere.

XIV.

Item, calumniam & audaciam temere litigantium condemnando, in expensas & alio multiplici remedio imperialis sanctio compescat. Quoniam igitur hoc sacris institutis consonare dignoscitur, præcipimus vt de cetero in causis pecuniariis, quæ inter clericos agitabuntur, victus victori condemnetur in expensis. Qui autem soluendo non fuerit, eum in arbitrio episcopi sui puniendum relinquo.

XV.

Inuenimus tantum decem præfationes in sacro catalogo recipiendas: vnam in albis paschalibus: Et te quidem omni tempore. Secundum in die ascensionis: Qui post resurrectionem. Tertiam in pentecoste: Qui ascendens super omnes cælos. Quartam de natali: Quia per incarnati Verbi mysterium. Quintam de apparitione Domini: Quia cum Vnigenitus tuus. Sextam de apostolis: Et te Domine suppliciter exorare. Septimam de sancta Trinitate: Qui cum Vnigenito tuo. Octauam de

Ex decreto Pelagii papæ.

cruce: Qui ſalutem humani generis. Nonam de ieiunio quadrageſimali tantummodo dicendam: Qui corporali ieiunio. Decimam de beata Virgine: Et te in veneratione beatæ Mariæ. Huius igitur decreti & domini papæ Alexandri auctoritate diſtricte præcipimus, ne quis præfatis præfationibus aliquam omnino præſumat adiicere. ANNO CHRISTI 1175.

XVI.

Ex decreto Iulii papæ. Inhibemus ne quis quaſi pro complemento communionis intinctam alicui euchariſtiam tradat. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantum diſcipulo, quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderit, non quæ ſacramenti huius inſtitutionem ſignaret.

XVII.

Ex Concilio Rhemenſi. Præcipimus ne conſecraretur euchariſtia, niſi in calice aureo vel argenteo, & ne ſtanneum calicem aliquis epiſcopus amodo benedicat interdicimus.

XVIII.

Ex decreto Hormiſdæ papæ. Nullus fidelis cuiuſcumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta a ſacerdote publice nubat in Domino. Si quis ergo ſacerdos aliquos occulte coniunxiſſe inuentus fuerit, triennio ab officio ſuſpendatur.

XIX.

Ex decreto Nicolai papæ. Vbi non eſt conſenſus vtriuſque, non eſt coniugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, nihil faciunt, niſi vterque puerorum, poſtquam venerint ad tempus diſcretionis, conſentiat. Huius

ergo

ANNO CHRISTI 1175. ergo decreti auctoritate inhibemus, ne de cetero aliqui, quorum vterque vel alter, ad ætatem legibus constitutam, & Canonibus determinatam non peruenit, coniungantur: nisi forte aliquando, vrgente necessitate interueniente, pro bono pacis coniunctio talis toleretur.

In quo etiam Concilio clerici Rogeri Eboracensis archiepiscopi calumniati fuerunt ius Eboracensis ecclesiæ de Cruce portanda in diœcesi Cantuariensis ecclesiæ. Præterea calumniati sunt ibidem ex parte Eboracensis archiepiscopi, episcopatum Lincolniensem, & episcopatum Cestrensem, & episcopatum Vvigorniensem, & episcopatum Herefordensem, de iure pertinere debere ad metropolitanam Eboracensium ecclesiam. Et super hoc prædictum Cantuariensem archiepiscopum appellauerunt ad Romani pontificis præsentiam. Præterea appellauerunt ipsum Cantuariensem archiepiscopum ad Romanum pontificem super iniuria & anathematis sententia, quam intulit clericis Eboracensis archiepiscopi, qui per eum ministrauerunt in ecclesia sancti Osvvaldi de Gloucestria, pro eo quod ad illum venire nolebant ad ipsius summonitionem sicut clerici diœcesis suæ fecerunt. In ipso autem Concilio clerici ecclesiæ sancti Asaf petierunt a Cantuariensi archiepiscopo, vt in vi obedientiæ præciperet Godefrido episcopo ecclesiæ sancti Asaf ad sedem ecclesiæ suæ redire, cui præfuit pontificali dignitate: vel, vt prædictus archiepiscopus alium episcopum loco ipsius institueret. Ipse enim Godefridus episcopatum suum deseruit, paupertate & Vvalensium infestatione compulsus. Veniensque in Angliam a Christianissimo rege Henrico benigne & honorifice susceptus est: cui & tradidit abbatiam Abbendoniæ vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum. Itaque præfatus Cantuariensis archiepiscopus in ipso Concilio ad instantiam prænominatorum clericorum, & admonitione Alexandri summi pontificis, nec non & consilio venerabilium coepiscoporum suorum conuenit iam dictum Godefridum, vt in vi obedientiæ ad sedem propriam rediret, vel curam pastoralem, quæ sibi fuerat commissa, in manu ipsius libere & absolute resignaret. Ipse vero Godefridus, sperans quod abbatia de Abbendonia, quæ tradita fuerat ei in custodia, posset sibi remanere, episcopatum suum nullo cogente resignauit in manu Cantuariensis archiepiscopi: libere & absolute tradens illi annulum & baculum pastoralem.

CONCILIVM GALLICANVM QVO ALBIGENSES HÆRETICI in Gallia vocati, conuicti, & condemnati sunt, anno Domini MCLXXVI. tempore Alexandri papæ III.

Anno Christi 1176.

Acta Concilii e Rogero in annalibus.

EODEM anno (scilicet millesimo centesimo septuagesimo sexto) damnata est * Ariana hæresis, quæ fere totam prouinciam Tolosanam fœdauerat, coram archiepiscopis, & episcopis, & aliis religiosis viris & honestis subscriptis. Erant itaque in prouincia Tolosana quidam hæretici, qui se appellari faciebant Bonos homines, qui manutenebant milites de Lumbertio, proponentes, & docentes populum contra fidem Christianam: dicentes etiam, quod non recipiebant legem Moysi, neque prophetas, neque psalmos, neque vetus testamentum, neque doctores noui testamenti, nisi solummodo euangelia & epistolas Pauli, & septem canonicas epistolas, & Actus apostolorum, & Apocalypsim. Et interrogati de fide sua, & de baptismo paruulorum, & si saluabantur per baptismum, & de corpore & sanguine Domini vbi consecrabatur, vel per quos, & qui sumebant, & si magis vel melius consecrabatur per bonum quam per malum, & de matrimonio si poterant saluari, si carnaliter iungebantur vir & mulier; responderunt, quod de fide sua, & de baptismo paruulorum non dicerent, neque dicere cogebantur. De corpore & sanguine Domini dicebant, quod qui digne sumebat, saluabatur, & qui indigne, acquirebat sibi damnationem. De matrimonio autem dicebant, quod vir & mulier iungebantur propter luxuriam & fornicationem vitandam, sicut dicit Paulus. Dixerunt etiam multa non interrogati, quod non debebant iurare omnino per aliquod iuramentum, sicut dicebat beatus Matthæus in euangelio, & Iacobus in epistola sua. Dixerunt etiam, quod Paulus * prædicebat, quod essent ordinandi in ecclesia episcopi & presbyteri: & si tales non ordinabantur, quales præcipiebat, non essent episcopi, nec presbyteri, sed lupi rapaces,

* Manichæi

1. Cor. 7.

Matth. 5. Iacob. 5. 1. Tim. 3. & Tit. 1.

* al. præcipiebat

ANNO CHRISTI 1176. hypocritæ, & seductores, amantes salutationes in foro, primas cathedras, & primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi, contra præceptum Christi, ferentes albas & candidas vestes, gestantes in digitis aureos annulos & gemmatos, quod non præcipit Magister eorum. Et idcirco, quia tales episcopi & presbyteri erant, quales fuerunt presbyteri qui tradiderunt Iesum, non debebant illis obedire, quia mali erant. Auditis itaque vtrimque allegationibus coram Girardo Albiensi episcopo, electis etiam & statutis iudicibus ab vtraque parte, & consentientibus & assidentibus præfato episcopo Girardo Albiensi, & Rogero Castrensi abbate, & Petro abbate Ardurellensi, & abbate de Candilio, & Arnaldo Narbone, in præsentia bonorum virorum tam prælatorum, & clericorum, quam laicorum, videlicet domini Petri Narbonensis archiepiscopi, atque aliorum episcoporum & abbatum, archidiaconorum, nec non & comitum, & virorum potentum numero viginti, illius prouinciæ, & fere totius populi Albiæ, & Lumberci. Contra quæ prædicti hæretici proponebant, & inductæ sunt noui testamenti multæ auctoritates a domino Petro Narbonensi archiepiscopo, & a Neumacensi episcopo, & a Petro Seudracensi abbate, & abbate de Fonte frigido. Præfati enim hæretici nolebant recipere iudicium, nisi per nouum testamentum.

Talem ergo definitiuam sententiam ex nouo testamento protulit Lugdunensis episcopus coram omnibus prædictis, facto a cunctis silentio. Ego Gilebertus Lugdunensis episcopus ex mandato Albiensis episcopi, & assessorum eius iudico istos esse hæreticos, & damno sententiam Oliuerii, & sociorum eius, vbicumque sunt, & hoc iudicamus per nouum testamentum.

In primo capitulo damnamus, & iudicamus hæreticos esse, qui non recipiunt vetus testamentum. Lex enim recipienda est per euangelium, & qui legem non recipit, Dominum Iesum Christum non credit; ipse enim in euangelio dicit: *Si crederetis Moysi*, &c. Et iterum: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* & iterum: *Oportet impleri quæ scripta sunt in lege, & prophetis, & psalmis de me*, &c. *Et incipiens a Moyse interpretabatur illis scripturas*, &c. Quare autem interpretabatur scripturas, & quare dabat doctrinam de lege & Ioan. 5. Matth 5. Luc. 24.

prophetis, nisi quia volebat vt legem & prophetas reciperent, & vt confirmarentur in fide per legem & prophetas? Multa etiam Dominus Iesus inducebat de lege, & prophetis, & psalmis: quod quidem bonus Magister non fecisset, nisi lex, & prophetæ, & psalmi recipiendi essent. Ostendit etiam factis legem esse bonam, quia circumcisus est, & in templo præsentatus, & hostia pro eo oblata secundum legem Moysi. Et ipse, vt scriptum est, ascendit ad diem festum, in transfiguratione, qua Moyses & Elias prophetæ apparuerunt, perhibentes ei testimonium. Conuincimus etiam eos per epistolas, ait enim Paulus: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, &c. & iterum: *Omnis scriptura diuinitus inspirata*, &c. & iterum: *Nihil extra dico, quam ea quæ locuti sunt prophetæ futura esse.* & Petrus: *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, &c. Quod etiam doctores recipiendi sunt, testatur Paulus: *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia doctores*, &c. Paulus etiam inducit legis exemplum, dicens: *Maledictus omnis qui non permanet in omni verbo legis.* Et tam ipse quam ceteri apostoli multa inducunt testimonia de lege, & prophetis, & psalmis. Quod quidem non fecissent, si eorum dicta recipienda non essent. Confessi sunt etiam isti hæretici se recipere Moysen, & prophetas, & psalmos, in his tantum testimoniis quæ inducuntur a Iesu & apostolis, & non aliis. Non enim diximus, quod si instrumentum, vel scriptum testimonium in aliqua parte sui creditur, debet totum credi, vel in nulla parte sui recipi.

Matth. 17. Rom. 5. 2. Tim. 3. Act. 26. 2. Petr. 1. 1. Cor. 12. Galat. 3.

In secundo capitulo conuincimus istos, & iudicamus hæreticos esse, auctoritatibus noui testamenti. Dicimus enim quod fidem catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel fides periclitatur. Vnde Dominus in Actibus apostolorum ad Ananiam de Paulo dicit: *Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum*, &c. Item Dominus de centurione: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Cum fuisset etiam apostolis denuntiatum, ne loquerentur in nomine Iesu Christi, confidenter dicit Petrus: *Oportet nos obedire Deo magis quam hominibus*, &c. Interrogatus quis de fide Iesu Christi, respondere debet, sicut fecit Petrus. Interrogatus enim a Domino: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Respondit: *Tu es Filius Dei vi-*

Act. 9. Matth. 8. Act. 5. Matth. 16.

ANNO CHRISTI 1176.

ui. Interrogatus quoque cæcus illuminatus a Domino, si credat in Filium Dei. Respondit: *Credo Domine.* Interrogata autem a Domino Martha: *Credis hoc:* ait illi: *Vtique Domine ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Item Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Item Petrus in fine epistolæ suæ ait: Melius enim traduntur memoriæ quæ in fine sermonum dicuntur, *Dominum Iesum Christum sanctificate in cordibus vestris*, &c. Isti etiam hæretici iactabant se non mentiri: nos autem dicimus quia plane mentiuntur. Est enim fraus in tacendo, & in dicendo. Vnde Paulus confidenter in faciem restitit Petro, quia circumcidebat. Visum enim fuerat Paulo, quod veritatem euangelii non annuntiaret; quia aliud præcipiebat quam credebat. Veritas enim constat in tribus, in corde, & ore, & opere. Veraciter enim dicit qui voluntatem suam sono vocis enuntiat, & quæ corde tenet ore fatetur, & operibus exequitur. Ioan. 9. Ioan. 11. Rom. 10. 1. Pet. 3.

In tertio autem capitulo conuincimus istos, & iudicamus hæreticos esse, noui Testamenti auctoritatibus. Dicimus enim quod Deus vult omnem hominem saluum fieri, &c. Nec Christus pro omnibus esset crucifixus, si tantum saluarentur maiores, qui originali peccato actualia peccata addiderunt: & si infantes non saluarentur, quos Deus creauerat, & formauerat ad imaginem & similitudinem suam, qui nullum forte peccatum fecerant, sed tamen originale contraxerunt. Baptisma enim omnibus generaliter est traditum, tam maioribus, quam minoribus, sicut ait Dominus discipulis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* & iterum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. Et iterum Dominus: *Sinite paruulos venire ad me.* Quod quidem duplici dicit ex causa; scilicet, vt qui saluari volunt, malitia & dolo paruuli sint, & iidem simplices, sicut ipse ait: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste*, &c. Et idem dicit, ne apostoli eorumque sequaces super paruulis baptizandis vnquam dubitarent. Baptisma enim successit in locum circumcisionis, quæ quidem præcepta erat in maioribus, & in infantibus. Et baptisma est generalius & plenius, quia masculi & feminæ baptizantur, & 1. Tim. 2. Matth. 28. Ioan. 3. Matth. 19. Matth. 18.

gratiæ ibi præſtantur. Si autem cum fide, ſaluantur infantes, cum ipſi fidem non habeant, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; dicimus quia fide eccleſiæ, vel fide patrinorum, ſicut paralyticus eſt curatus fide offerentium, & per tegulas ſubmittentium eum. Et filius Reguli, & filia Chananææ, ſaluati ſunt eadem hora, qua Regulus & Chananæa crediderunt. Dicimus enim quod baptiſma debet celebrari in eccleſia, & per miniſtros eccleſiæ, niſi aliter
Matth. 15. neceſſitas vrgeat. Vnde dicit Paulus: *Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.*

In quarto capitulo conuincimus & iudicamus iſtos hæreticos eſſe noui teſtamenti auctoritatibus. Quia dominicum corpus non conſecratur niſi per ſacerdotem, ſiue bonus ſit, ſiue malus. Per verba enim ſacra, quæ dixit Sal-
Matth. 26. uator in cœna, ſcilicet, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*, conſecratur & conficitur dominicum corpus. Sicut enim imperatoris, vel regis Franciæ, vel alicuius potentis nuntius non corrumpit, nec vilificat ſui abiectione, vel pannoſitate, quod dicit: ſic verba Domini non variantur, nec maculantur. Et ſicut ſolis radius tranſiens per cloacas maculam non contrahit nec fœtorem: vel ſicut aqua pura & nitida tranſit ad areolas per canales luteos, aut ſordidos vel limoſos: ſic verba dominica non ſordidantur, nec melius, nec nitidius per bonum, quam per malum proferuntur. Quoniam apud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quod autem dominicum corpus conſecrari non debeat niſi in eccleſia,
1. Cor. 11. Paulus ait. *Aut eccleſiam Dei contemnitis? Numquid domos non habetis ad manducandum?* Item Paulus ad Titum:
1. Tim. 3. *Oportet te conuerſari in domo Dei, quæ eſt eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Omnes etiam fideles debent doctrinam ſuam in eccleſia accipere. Vnde Paulus:
1. Tim. 2. *Mulieribus loqui in eccleſia non permitto*, &c. Hic eſt enim panis angelorum, quem manducat homo, qui de cælo deſcendit, & ſicut manna, quod pluerat de cælo, & virga Aaron, quæ fronduerat, ſeruabantur in Arca, & tabulæ teſtamenti, quæ erant ſcriptæ digito Dei: ſic corpus dominicum non conſecratur, nec cuſtoditur niſi in eccleſia, ſicut cariſſimum ſanctuarium Domini. Et ſicut Arca deferebatur in humeris a ſolis Leuitis, & cuſtodiebatur, &

ANNO CHRISTI 1176. soli Leuitæ miniſtrabant in tabernaculo Domini: ſic ſolis ſacerdotibus & illorum miniſtris commiſſa eſt eccleſiæ cura & tradita. De hac Arca dicitur in Apocalypſi: *Apertum eſt cælum, & viſa eſt Arca Teſtamenti in templo eius.* Apoc. 11.

Solis etiam ſacerdotibus tradita eſt poteſtas ligandi atque abſoluendi. Vnde Dominus ait Petro: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*, &c. Et Paulus ad Timotheum: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt corrigas mala, & quæ Dei ſunt cuſtodias, & vt preſbyteros conſtituas per ſingulas ciuitates.* Item de ordinibus: *Preſbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni habeantur.* Item: *Aduerſus preſbyterum accuſationem noli accipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus*, &c. Item: *Oportet diaconos pudicos eſſe:* & item: *Omnibus qui ſunt Philippi epiſcopis & diaconis, gratia ſit vobis & pax.* Ecce quibus committit verba Dei, prædicationis & correptionis. Item Paulus: *Argue, obſecra, increpa*, &c. Et item Dominus ad diſcipulos: *Docete eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Iſtis ergo presbyteris, epiſcopis, diaconis, clerici & laici obedire debent propter Deum, ſiue boni, ſiue mali ſunt. Vnde Dominus: *Super cathedram Moyſi ſedebunt Scribæ & Phariſæi. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite: dicunt enim, & non faciunt.* Et Petrus de poteſtatibus: *Subditi eſtote dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*, &c. Item Paulus: *Sit paſtor potens in doctrina ſua*, &c. Et Item: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim propter vos vigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri, vt cum gaudio hæc faciant, & non gementes.* Et item: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Quia qui altari deſeruit, de altare participet. Et ſi vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum, ſi veſtra carnalia metamus?* &c. Item ad Timotheum: *Tu autem permane in his quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: quia ab infantia ſacras literas didiciſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem.* Matth. 16. Tit. 1. 1. Tim. 5. Ibid. Ibid. 3. Philip. 1. 2. Tim. 4. Matth. 28. Ibid. 23. 1. Pet. 2. Tit. 1. Hebr. 13. Hebr. 13. 1. Cor. 9. 2. Tim. 3.

In quinto capitulo conuincimus & iudicamus hæreticos eſſe iſtos, noui teſtamenti auctoritatibus. Nolunt enim confiteri quod vir & mulier poſſint ſaluari, ſi carnaliter miſceantur. Qui quidem palam prædicare ſoliti ſunt, quod vir & mulier ſaluari non poterant, ſi carnali-

ter conuenirent. Laudant enim & approbant pecudum fecunditatem, & improbant hominum fecunditatem. Anno Christi 1176.

Luc. 23. Amant sterilitatem mulierum, sicut dicit scriptura: *Beatæ steriles quæ non genuerunt*, &c. Et hæc prædicant, vt innumerabilis substantiæ rarus inueniatur dominus, & quæ facta est creatura ad vsum & seruitium hominum careat possessore, habitatore, rectore; volentes omnes esse sicut

1. Cor. 7. ipsi sunt, iuxta quod ait Paulus: *Volo omnes esse sicut ego sum.* Et sic virginitatem videntur prædicare, vt sint omnes virgines, sicut fuit Christus, & Maria virgo, quamuis ipse di-

Gen. 1. xerit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Videntur enim nuptiis detrahere, & eas damnare; quas quidem Do-

Ioan. 2. minus Iesus Christus, & Mariæ matris suæ, & discipulorum præsentia dedicauit, & sua, & aquæ in vinum versæ

Matth. 19. miraculo illustrauit. Dicitur enim in euangelio: *Quod Deus coniunxit homo non separet, nec nisi causa fornicationis liceat viro*

1. Cor. 7. *vxorem dimittere.* Item Paulus: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* & item: *Si nubat virgo, non peccat.* item: *Mulier alligata est legi quanto tempore viuit vir eius: nec potestatem habet corporis sui, sed vir: similiter & de viro.* item: *Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu, vt vacetis orationi, postea autem reuertimini in idipsum, nec tentet vos satanas.* item: *Volo iu-*

1. Tim. 2. *uenes nubere, filios procreare, patresfamilias esse.* item: *Non ego dico, sed Dominus, saluabitur mulier per filiorum generationem.* Si esset peccatum filios procreare, quare diceret Dominus, quare diceret Apostolus, bonum esse? & cur diceret, *Reuertimini*, & : *Volo?* numquid vult Deus, numquid vult Apostolus, vt fiat peccatum? credimus itaque quod vir & mulier saluantur, licet carnaliter misceantur.

In sexto capitulo conuincimus & iudicamus istos hæreticos esse, & ab vnitate ecclesiæ præcisos, noui testamenti auctoritatibus. Dicimus enim, quia ministerium & potestatem ligandi atque soluendi Dominus tradidit Petro,

Matth. 16. dicens: *Quodcumque ligaueris super terram*, &c. & Iacobus:
Iacob. 5.
Matth. 23. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros ecclesiæ*, &c. item: *Ecce ego mitto ad vos & sapientes, & scribas.* Sed, sicut ait

Matth. 19. Dominus, *Non omnes capiunt verbum istud.* Præterea dicimus, quod stantes deberent de euangelio respondere, & disputare, cum omnes Christiani stent quando euangelium recitatur: & si tunc statur cum legitur, multo fortius

cum

ANNO CHRISTI 1176.

cum legitur simul & exponitur. Nec debuissent tenere locum sedendi, postquam elegerant locum stándi. Multas etiam habemus auctoritates, quibus colligitur manifeste, quod stare debeat quis, cum euangelium annuntiatur. Vt est illud: *Stetit Iesus in loco campestri*, &c. Et item: *Stetit Jesus, & clamabat, dicens*, &c. Et iterum: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Et iterum post resurrectionem apostolos confirmans, & prædicans stetit, vt dicitur: *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis.* Ipsi autem non obtinent locum iudicantis, sed respondentis: Dominus enim sedere debuit, cui a Patre omne iudicium datum est. Isti autem non iudicant, sed iudicantur: nec eis est in ecclesiis mysterium prædicandi concessum. Isti autem hæretici tales sunt, quales futuros esse prænuntiat Paulus, dicens: *Mali homines, & seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed a veritate auditum auertent: ad fabulas autem conuertentur.* Item: *Quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, nec intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Istorum autem inobedientiam punire deberent ecclesiæ prælati, atque corrigere coram omnibus. Vnde Apostolus: *Peccantes coram omnibus arguantur, vt ceteri corrigantur.* Item Paulus ad prælatos: *Habentes in promptu vlcisci omnem inobedientiam, & eos qui contradicunt potentes arguere.* item: *Argue, obsecra, increpa in omni imperio.* item: *Tradidi huiusmodi satanæ, vt in die iudicii*, &c. item: *Absens iudicaui eum qui huiusmodi est.* item: *Qui aliud vobis annuntiauerit, anathema sit.*

Luc. 6. Ioan. 7. Ioan. 1. Ioan. 20. 2. Tim. 3. 1. Tim. 1. 1. Tim. 5. 2. Cor. 10. Tit. 1. 2. Tim. 4. 1. Cor. 5.

Septimo loco interrogauit eos prædictus episcopus de pœnitentia si in fine fieret ad salutem, vel si milites, qui vulnerabantur lethaliter, saluarentur, si pœniterent in fine: vel si deberet vnusquisque confiteri peccata sua sacerdotibus & ministris ecclesiæ, vel cuilibet laico, vel illis, de quibus dixit Iacobus: *Confitemini ad alterutrum peccata vestra.* Qui respondentes dixerunt, infirmis sufficere, si confiterentur cui vellent. De militibus vero dicere noluerunt, quia non dicit Iacobus nisi de infirmantibus. Quæsiuit etiam ab eis, si sufficiebat sola cordis contritio, & oris confessio; vel si erat necesse vt facerent satisfactionem post datam pœnitentiam, ieiuniis, eleemosynis, afflictioni-

Iacob. 5.

bus, peccata ſua lugentes, ſi ſuppeteret eis facultas. Re- ANNO CHRISTI 1176.
Iac. 5. ſponderunt, dicentes quia Iacobus dicebat: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, vt ſaluemini:* & per hoc ſciebant quod Apoſtolus aliud non præcipiebat, niſi vt confiterentur, & ſic ſaluarentur: nec volebant meliores eſſe Apoſtolo, vt aliquid de ſuo adiungerent, ſicut epiſcopi faciunt. Subiunxerunt etiam hæretici illi, quod epiſcopus, qui ſententiam dederat, hæreticus erat, & non ipſi, & quod inimicus eorum erat, & quod lupus rapax erat, & hypocrita, & inimicus Dei, & quod non bene iudicauerat: nec de fide ſua reſpondere voluerunt, quia cauebant ſe ab eo, ſic-
Matth. 7. ut eis præceperat Dominus in euangelio: *Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces:* & quod ipſe erat perſecutor eorum fraudulentus, & parati erant oſtendere per euangelia & epiſtolas, quod non erat bonus paſtor nec ipſe, nec ceteri epiſcopi, vel presbyteri, ſed potius mercenarii. Reſpondit epiſcopus, dicens quod ſententia in eos de iure erat dictata, & hoc paratus erat probare in curia domini Alexandri papæ catholici, vel in curia Ludouici regis Franciæ, vel in curia Raimundi comitis Toloſani, vel vxoris eius quæ erat præſens, vel in curia præſentis Trenkevvelli, quod recte fuerat iudicatum, & quod ipſi manifeſte eſſent hæretici, & quod hæreſi notati. Et promiſit ſe eos accuſare & publicare de hæreſi in omni curia catholica, & ſe ſubiturum iudicium diſcriminis.

Videntes autem hæretici ſe eſſe conuictos atque confuſos, conuerterunt ſe ad omnem plebem, dicentes: Audite, o boni viri, fidem noſtram quam confitemur. Nunc confitemur autem propter amorem & gratiam veſtram. Reſpondit epiſcopus prædictus: Vos dicitis quod non propter Deum dicatis, ſed propter gratiam populi. Et illi inquiunt: Nos credimus vnum Deum trinum, & vnum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & Filium Dei carnem noſtram ſuſcepiſſe, baptizatum eſſe in Iordane, ieiunaſſe in deſerto, prædicaſſe ſalutem noſtram, paſſum, mortuum, atque ſepultum, ad inferos deſcendiſſe, reſurrexiſſe tertia die, ad cælos aſcendiſſe, Spiritum Paracletum in die pentecoſtes miſiſſe, venturum in die iudicii ad iudicandum viuos & mortuos, & omnes reſurrecturos. Cognoſcimus

ANNO CHRISTI 1176. etiam, quia quod corde credimus, ore debemus confiteri. Credimus quia non saluatur qui non manducat corpus Christi, & quod corpus Christi non consecratur, nisi in ecclesia, & non nisi a sacerdote, siue bono siue malo, nec melius fieri per bonum quam per malum. Credimus etiam quod non saluatur quis, nisi qui baptizatur, & paruulos saluari per baptisma. Credimus etiam, quod vir & mulier saluantur, licet carnaliter misceantur, & pœnitentiam debeat vnusquisque accipere ore & corde, & a sacerdote, & in ecclesiis baptizari; & si quid amplius posset eis ostendi per euangelia, vel per epistolas, illi crederent, & confiterentur.

Interrogauit etiam eos prædictus episcopus, si iurarent se tenere fidem istam, & credere, & si quid amplius deberent confiteri, quia male senserant, & prædicauerant ante. Respondentes dixerunt, quod nullo modo iurarent, quia contra euangelium & epistolas facerent. Contra eos igitur a prædictis catholicis personis introductæ sunt noui testamenti auctoritates. Auditis itaque vtrimque auctoritatibus, surgens prædictus episcopus iudicauit sic: Ego Gozelinus Lodouuensis episcopus, iussu & mandato Alberici episcopi, & assessorum eius, iudico, & in præsentia dico, quod male sentiunt hæretici isti de iureiurando, & debent iurare, si resipiscere volunt, præstandumque est iusiurandum vbi fides periclitatur. Et quia infames sunt, & de hæresi notati, debent purgare suam innocentiam, & redeuntes ad vnitatem ecclesiæ, fidem suam debent iureiurando astruere, sicut tenet & credit ecclesia catholica, ne infirmi, qui in ecclesia sunt, corrumpantur, & ne oues morbidæ vniuersum gregem contaminent. Nec contra euangelium est, vel epistolas Pauli. Quod enim dicitur in euangelio: *Sit sermo vester, Est, Est, Non, Non, neque iurabis per cælum, neque per terram*, &c. tamen non prohibetur iurare per Deum, sed per creaturas. Gentes enim colebant creaturas: & si licitum fuisset per creaturas iurare, reuerentia, & honor, qui Deo soli debetur, creaturis exhiberetur: & sic idola & creaturæ sicut Deus adorarentur. Legitur enim in Apocalypsi, quod angelus leuauit manum suam in cælum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum: Et Paulus ad Hebræos inquit: *Quoniam Deus nemi-*

Matth. 6.

Apoc. 10.

Hebr. 6.

nem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit itaque per semetipſum. Homines enim per maiorem ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum. In quibus abundantius volens oſtendere Deus pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit iuſiurandum. Iurauit enim Deus, dicens: *Iurauit per memetipſum.* & item: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Apoſtolus etiam frequenter per Deum iurauit ſic: *Teſtis eſt mihi Deus.* Item: *Teſtor Deum.* Si itaque iurauit Dominus, iurauit angelus, iurauit Apoſtolus, cur non recte iuratur, vbi maxime fides periclitatur? Vel illud quod dicitur in euangelio, & epiſtola Iacobi, conſilium eſt, & non præceptum, quia ſi non iuraretur, non deieraretur, & quod amplius eſt, a malo eſt, id eſt a peccato vel diabolo, qui ſuadet iurare per creaturas. Videntes itaque, quod ſuper hoc erant conuicti, dixerunt quod epiſcopus Albericus fecerat eis pactum, quod non cogeret eos iurare: quod & Albienſis epiſcopus negauit.

Anno Christi 1176.

Gen. 22. *Pſal.*109. *Rom.* 1. 1. *Tim.* 5.

Surgens itaque Albienſis epiſcopus dixit: Sententiam, quam protulit Gozelinus Lodouuenſis epiſcopus ego confirmo, & iuſſu meo data eſt. Et commoneo milites de Lombertio, vt non manuteneant eos per finitionem quam fecerunt in manu mea. Ego Candelienſis abbas electus iudex hanc ſententiam laudo, & aſſenſu meo ſic data eſt. Ego Arduleſenſis abbas electus iudex hanc ſententiam laudo, & aſſenſu meo ſic data eſt. Ego Arnaldus de Be electus iudex hanc ſententiam laudo, & meo aſſenſu ſic data eſt. Ego Petrus Narbonenſis epiſcopus, & ego A. Nemauſenſis epiſcopus, & ego Gozelinus Toloſanus epiſcopus, & ego V. Agathenſis epiſcopus, & ego R. abbas ſancti Pontii, & ego R. abbas ſancti Vvilielmi, & ego N. abbas Galliacenſis, & ego abbas Fontis frigidi, & ego M. Toloſanus præpoſitus, & ego G. Albienſis præpoſitus, & ego N. Narbonenſis præpoſitus, & ego R. Agathenſis archidiaconus, & ego G. prior de ſancta Maria, & ego P. Seudracenſis abbas, & ego magiſter Blancus, & ego Bego de Veireiras, & ego Trenkevvellus vicecomes, & ego Conſtantia ſoror regis Franciæ, vxor Raimundi comitis Toloſani, & ego Sicardus vicecomes Lantrocenſis, hanc ſententiam ratam habemus, &

ANNO CHRISTI 1176. istos hæreticos esse scimus, & eorum sententiam improbamus.

Hactenus acta. Quomodo autem auctoritate apostolicæ sedis iterum sunt ad iudicium vocati, conuicti, atque rursum damnati, dicetur inferius in Concilio Lateranensi.

ANNO CHRISTI 1177.

*CONCILIVM VENETVM, QVO ALEXANDER PAPA ET Fridericus imperator reconciliantur, & antipapa cum suis, quos ordinauerat, deponitur, anno Domini MCLXXVII. tempore Alexandri papæ III.

NOTÆ.

* *Concilium.*] Acta & epistolæ quædam Alexandri papæ, quæ in Vaticano asseruantur, & apud Baronium describuntur, causam habiti Concilii prolixe referunt, his verbis: *Porro Alexander papa, vt indubitanter ad colloquium imperatoris posset accedere, ordinato in Vrbe vicario, versus mare Hadriaticum iter cum fratribus suis cardinalibus arripuit. Et veniens Beneuentum, inde Troiam, atque Sipontum, & montem Garganum transiuit, & deuenit in ciuitatem Licianam in maris litore sitam. Ibi enim deuotus beati Petri filius rex Siciliæ ad eius obsequium præparauerat septem galeas, victualibus & armis, prout tempus postulabat, munitas. Duos quoque de magnatibus terræ suæ, videlicet Romualdum Salernitanum archiepiscopum, & Rogerium Hadriensem maximum comitem, vt honorificentius cum eis incederet, illuc ad eiusdem patris & domini præsentiam destinauit. Vt autem imperatorem & Longobardos de suo pontifex aduentu redderet certiores, sex de fratribus suis cardinalibus Siponto vsque Bononiam cum suis & aliorum fratrum equitaturis præmiserat.*

Alexander profectorus Venetias disponit res Vrbanas.

Et post enarratas res gestas inter imperatorem Constantinopolitanum & Soldanum, de quibus nos, ne adeo diuersa misceantur, postea dicturi sumus, hæc subiicit: *Interea Viterbiensis ille ridiculus antipapa de malo semper in peius deficiens, vbi pacem & concordiam inter Alexandrum papam & imperatorem sine se familiariter tractari percepit, vbi & securitatem firmam cunctis viatoribus datam indubitanter cognouit, cum proceribus suis ita vehementer indoluit, ac si cor eius medium crepuisset.*

Quid antipapa ex pace passus in animo.

Hæc de statu tunc temporis antipapæ Viterbii degentis seipsum mœrore vorantis: subdit de præmissa legatione ab Alexandro, antequam e Campania ad Hadriaticum mare perrexit, quam omiserat, dicens: *Antequam Anagnia pontifex Alexander exiret, Hubaldum Ostiensem episcopum, & Rainerum diaconum cardinalem sancti Georgii, ad imperatoris præsentiam ea occasione præmisit, vt securita-*

Legatio a pontifice ad imperatorem.

tem, quam Magdeburgenſis archiepiſcopus cum ſociis ſuis promiſerat, ab eodem imperatore per exhibitionem iuramenti manifeſte reciperent. Cuncti autem per partes Tuſciæ in Lombardorum intrauerunt terram, & circa Mutinam eumdem imperatorem ſatis pacificum inuenerunt, qui eos hilari vultu & reuerentia ſuſcepit, & honorificentia plurima honorauit. Præſentibus itaque multis epiſcopis & principibus, coram ipſis legatis Fridericus imperator C. filium marchionis Montisferrati ſuper ſancta euangelia iurare fecit in anima ſua, eamdem ſecuritatem, quam legati apud Anagniam indubitanter præſtiterant, conſeruare. Inſuper ad maiorem bonæ voluntatis, quam gerebat de pace oſtenſionem, omnes principes Alemannos, qui ſecum aderant, eamdem ſecuritatem fecit nihilo minus per iuſiurandum corroborare. In diebus illis Cremona reſpiciens retro, abſque grauamine de iurando, a confœderatione aliarum ciuitatum impudenter receſſit, & ad imperatorem, non ſine magna ignominia, ſe conuertit. Vnde indignationem eccleſiæ, & aliorum Lombardorum odium & inimicitiam iuſte incurrit. Terdona quoque non poſt multum temporis idem reprehenſibiliter fecit, & eadem ſe infamia contumelioſa inuoluit.

Anno Christi 1177.

Audiens autem iſta apud Vaſtum, in mari Hadriatico vadum, vbi tempus opportunum nauigationi expectabat ſummus pontifex, valde eſt miratus, ſed de aliarum ciuitatum ſtabilitate dubitare non potuit. Ceterum cum valida maris tempeſtas ipſum iam per triginta dies contra propoſitum ſuum ibi detinuiſſet inuitum, ecce inſuper Auſter diu deſideratus aduenit, & ſtatim nautæ ob transfretandum eumdem pontificem alacriter inuitarunt. Qui conſurgens circa medium noctis inſtantis quadrageſimæ, valde mane poſt Miſſam, & receptos cineres, pelagi vaſtitatem lætus intrauit cum vndecim galeis, & aliis duabus oneratis victualium copiis, & albis caballis, abſque aliis nauigiis: ita rex Siciliæ auxit numerum galearum ad decorem pontificis. Erat autem delectabile ad videndum naualem exercitum ſulcantem dorſum pelagi velis protenſis & proſpero vento. Sed circa meridiem, ſuperueniente hora ſexta, eſt prorſus extinctus Auſter, & illico facta eſt in mari turbatio maxima. Timuerunt igitur omnes, pontifex autem non fuit omnino ſecurus. Tunc decem galeæ cum ipſo pontifice & fratribus ſuis cardinalibus verſus anteriores inſulas in remigando non ſegniter laborauerunt. Tandem ſuffragantibus beatorum Petri & Pauli meritis, eadem die circa nonam, ad inſulam, quæ dicitur Polacroſa, proſpero, Deo gratias, curſu applicuerunt. Pontifex autem fatigatus ex nimia procelloſi maris turbatione in terram libenter deſcendit, & appoſita copioſa menſa hilariter conuiuauit.

Nauigatio papæ Venetias aucta claſſe a rege Siciliæ.

Poſt modicum vero temporis, cum iam quieſcerent omnia, ex inſperato deſideratus nautis Auſter arriſit, & eos ad iter agendum non mediocriter animauit. Exultantibus igitur cunctis, cum gaudio vela vniuerſa in altum citiſſime ſunt elata, & vnuſquiſque ad exercendum commiſſum ſibi negotium in ipſa noctis obſcuritate vigilans permanſit. Præcedente itaque cum magno luminari galea ſummi pontificis, aliæ ipſam ſequentes, per totam noctem omnes alacriter nauigarunt. Et altera die

ANNO CHRISTI 1177. circa meridiem in insulam, quæ vocatur Alexa, venerunt. Et post celebratam ibidem Missam, cum magno gaudio & lætitia ad mare conuenerunt. Et exinde ceteras Dalmatiæ insulas transcendentes, in proxima dominica, priusquam sol illucesceret, ad ciuitatem Iaderæ, quæ sita est in capite Hungariæ regni, eumdem pontificem cum suis fratribus, Manfredo videlicet Prænestino episcopo, Joanne tituli sanctæ Anastasiæ, Bosone tituli sanctæ Pudentianæ, presbyteris cardinalibus, Cinthio tituli sancti Hadriani, & Hugone sancti Eustachii, diaconis cardinalibus, Romualdo quoque Salernitano archiepiscopo, & Rogerio illustri comite, per merita beatorum apostolorum sanum & alacrem portauerunt. Et quoniam nondum quisquam Romanus pontifex ciuitatem ipsam intrauerat, de nouo ipsius papæ aduentu facta est in clero & populo illius loci communis lætitia, & ineffabilis exultatio collaudantium & benedicentium Dominum, qui modernis temporibus per famulum suum Alexandrum successorem beati Petri Iadertinam ciuitatem dignatus est visitare. Itaque præparato sibi de Romano more albo caballo processionaliter duxerunt eum per mediam ciuitatem ad beatæ Anastasiæ maiorem ecclesiam, in qua ipsa virgo & martyr honorifice tumulata quiescit, immensis laudibus & canticis altissime resonantibus in eorum Sclauica lingua. Post quartum vero diem exiuit Iadera, & per Sclauorum insulas, & maritimas Istriæ ciuitates felici cursu transitum faciens, ad monasterium sancti Nicolai situm in faucibus Riuialti alacriter, Domino auxiliante, peruenit. Alexander appulsus Iaderam.

dxi. Anno igitur sui pontificatus decimo octauo, X. Kalendas Aprilis, indictione decima, beatus pontifex Alexander cum ingenti honorificentia Venetias primum intrauit, occurrente sibi duce cum patriarcha & episcopis & nobilibus, cum clero in nauium copiosa multitudine. Eo autem in palatium patriarchæ super Riuoalto deducto, prædictus Magdeburgensis episcopus, cum electo Vormatiensi protonotario, accesserunt ad eum, dicentes: Dominus noster imperator cuncta, quæ inter vos & eum de pace, nobis mediantibus tractata sunt & conscripta, paratus est adimplere. Sed in ciuitate Bononiensi, quam eius principes nimis habent suspectam, conuenire nullatenus potest. Vnde clementiam ipsam vestram suppliciter exoramus, quatenus alium locum ipsi & vobis congruum, Rauennam videlicet, vel Venetias, eligere satagatis. Quibus beatus pontifex constanter sine mora respondit: Diu est, quod mediantibus fratribus nostris Humbaldo Ostiensi episcopo, & Rainerio diacono cardinali, cum Lombardis imperator conuenit, vt ipse in Imola, & nos in Bononia debeamus pariter conuenire. Ideo nos absque Lombardis & consilio fratrum nostrorum, qui circa partes Bononiæ nostrum præstolantur aduentum, locum ipsum mutare non possumus, nec debemus. Si ergo minime displicet quod prius sibi sponte consensit, sibi debet non nobis talem conditionem sæpe positam imputare. Verumtamen, vt inceptum bonum pacis ad desideratam consummationem celerius valeat, operante Domino, peruenire, nos vsque Ferrariam sine mora venire studebimus, quatenus ibi cum fratribus nostris & rectoribus Lombardiæ deliberare, & eligere plenarie possimus, quod pro vtraque parte Alexander papa appulsus Venetias.

congruentius fuerit faciendum. Quod verbum, quia legatis bene complacuit, per literas apostolicas vniuersis episcopis & rectoribus ciuitatum Lombardiæ mandauit, vt in dominica die passionis ad eius præsentiam in ipsa ciuitate, Deo fauente, conueniant. Anno Christi 1177.

Interim vero cum turbæ multæ irruerent in eum, & ex ciuitatibus circumpositis multitudo nobilium properaret ad eius præsentiam, vt viderent illum, & audirent tanquam angelum a Deo missum, dignum duxit in proxima dominica, Lætare Ierusalem, ad ecclesiam beati Marci solennia Missarum celebraturus accedere. Indutus ergo sacris vestibus, & de consuetudine auream ferens rosam, cum episcopis & cardinalibus ad altare maius processit. Post euangelicam lectionem populo Dei ex diuersis partibus congregato pastoraliter prædicauit. Et completis Missarum officiis, rosam, quam detulerat, duci Venetiarum in signum gratiæ sedis apostolicæ contulit.

Alexander papa procedit cum rosa aurea.

In eadem quoque septimana cum glorioso galearum exercitu (quod erat delectabile visu) exiuit Venetiis, & per fauces Padi ascendens, cum gloria & honore venit in suam ciuitatem Ferrariam. In sequenti vero die principales personæ, quæ inferius annotantur, ab vtraque parte ad præsentiam pontificis conuenerunt. Ex parte Lombardorum Aquileiensis patriarcha, Rauennatensis & Mediolanensis archiepiscopi, & eorum comprouinciales episcopi, rectores ciuitatum cum marchionibus & comitibus, Salernitanus quoque archiepiscopus cum Rogerio Hadriensi comite: sed ex imperatoris parte Moguntinus, Colonensis, Treuirensis, Bisuntinus, cum aliquibus suffraganeis, episcopis, electoque Vormatiensi & protonotario. Quibus adinuicem congregatis, de loco vbi papa secure posset cum imperatore præsentialiter conuenire, cum non modica inter partes altercatio existeret, Lombardis petentibus Bononiam, vel Placentiam, aut Ferrariam, siue Paduam; imperatoris autem principibus Papiam, aut Rauennam, aut Venetias eligentibus: pontifex cum nuntiis regis Siciliæ Venetias in hunc modum elegit. Vt si dux cum populo Veneto iuratoriam cautionem præstaret, quod antequam pax firmiter confirmata esset, sine consensu papæ imperatorem intrare Venetias nullatenus permitterent, & venientes illuc siue redeuntes nullo modo impedirent: tunc pars vtraque ad locum ipsum accederet, quod ad verbum pontificis factum est.

Alexander papa venit Ferrariam.

Exiuit ergo Alexander papa Ferraria cum episcopis & cardinalibus septimo Idus Maii, & sine mora Venetias remeauit, cuius vestigia partes vtraque celeriter sunt subsecutæ. Constitutis itaque principibus & Lombardis in conspectu principis, de reconciliatione pacis inter alterutros tractare cœperunt. Sed quia de feudis maxima inter eos controuersia vertebatur, & pax ecclesiæ absque illorum pace, quia cum ecclesia contra imperium firmiter fieri non debebat, tractatus ipse, multis interuenientibus induciis, vsque ad apostolorum Petri & Pauli octauas processit.

Venetiæ ad congressum electæ.

Ea igitur die pax ecclesiæ in ea forma, quæ de consensu * patrum ordinata fuerat, & scripto firmata, de consensu principum, qui præsentes aderant, imperatoris assensu est roborata. Pax quoque Siciliæ regi proximis Kalen-

De vniuersali pace tractatur.

ANNO CHRISTI 1177. *Kalendis Augusti vsque ad quindecim annos eodem modo approbata est. Super quibus chartæ hinc inde concorditer factæ, & a singulis partibus in bona voluntate receptæ sunt. Quibus ita peractis ad instantiam principum imperatori licentiam dedit pontifex veniendi vsque Chiogiam, quatenus in loco ipso a pontifice parum distante, constitutis in eius præsentia cardinalibus illis & principibus, qui cursum pacis & treguarum fere iam consummauerant, cum ipsa imperiali auctoritate, Domino cooperante, plenum sortiretur effectum & immutabile firmamentum. Venit ergo illuc imperator, & ad eius præsentiam cardinales & principes pariter conuenerunt, omnia, quæ de pacis bono eius consensu fuerant ibi concorditer transacta, ostendentes. Auditis itaque omnibus quæ gesta fuerant, & plenarie intellectis, licet ab his, qui pacem oderant, valde turbatus fuerit & commotus, quatenus principes in facie ipsi restiterint; omnia tandem, sicut in præsentia pontificis gesta fuerant & conscripta, rata habuit, & ea confirmare sponte promisit. Tunc factum est quod & in audientia eorumdem cardinalium & principum, Diedoni comiti filio C. marchionis præcepit, vt in anima sua coram diuino papa, nuntiis regis Siciliæ, & Lombardis publice iuraret in hunc qui sequitur modum:*

Ego comes Diedo iuro, quod dominus imperator mandauit mihi, vt in anima sua iurarem iuramentum, quod nunc facturus sum; & postquam mandauit, non reuocauit mandatum. Et ego ex eodem imperatoris mandato iuro in anima sua, quod ex quo venerit Venetias, omni quæstione & contradictione semota, faciet iurare in anima sua, quod pacem ecclesiæ, sicut disposita est per mediatores ex scripto, & pacem regis Siciliæ vsque ad quindecim annos, sicut scriptum est, & treguam Lombardorum, sicuti est per mediatores vtriusque partis dispositum inscripto, quod & apud eosdem mediatores continetur, bona fide seruabit, & principes suos hoc ipsum iurare faciet. Simili modo præcepit Sigilboth camerario suo in hunc modum iurare:

Ego Sigilboth iuro, quod ex quo dominus imperator venerit Venetias, iuramentum ipsum pacis ecclesiæ, & regis Siciliæ, & treguæ Lombardorum faciet præstari in anima sua, & principes suos fideliter iurare faciet. Hæc acta.

His ita hoc modo completis, pontifex ducem & populum Venetum a iuramento, quo tenebantur, absoluit, & vt dominum imperatorem honorifice Venetias ducerent, eis præcepit. Quod dux desideranter implere festinans, in præparatis sex galeis eumdem imperatorem vsque ad monasterium sancti Nicolai, quod est situm in capite Riuialti, cum gloria & honore conducere fecit.

Altera die, in vigilia sancti Iacobi, summo mane pontifex misit ad imperatoris præsentiam Humbaldum Ostiensem, & VVillelmum Portuensem episcopos, & Ioannem tituli S. Anastasiæ, & Theodinum tituli sancti Vitalis, & Petrum tituli sanctæ Susannæ, presbyteros cardinales, & Hyacinthum diaconum cardinalem sanctæ Mariæ in Cosmedin. Qui ad eum venientes, postquam imperator renuntiauit, schisma Octauiani, Guidonis Cremensis, & Ioannis de Struma, post promis-

sam quoque obedientiam venerabili patri domino Alexandro tamquam catholico pontifici, eiusque successoribus canonice intrantibus: ipsum a sententia excommunicationis pariter absoluerunt, & catholicæ vnitati aggregarunt. Idemque factum est de maioribus ipsius principibus, qui eodem vinculo tenebantur, iuxta priscum ecclesiæ morem. ANNO CHRISTI 1177.

Exinde imperator tamquam catholicus princeps accessit ad præsentiam ipsius pontificis, qui ante fores ecclesiæ sancti Marci cum fratribus suis cardinalibus residebat, in communi vnionem pacis expectantibus: & deposita chlamyde, prostrauit se in terram, & deosculatis pontificis, tamquam principis apostolorum, pedibus, veræ pacis osculum ipsi deuotissime dedit. Tunc repleti sunt omnes gaudio magno, & præ nimia lætitia vox clamantium, Te Deum laudamus, *insonuit vsque ad sidera; statimque Augustus apprehensa pontificis dextera, cum canticis & laudibus vsque ad chorum ecclesiæ ipsum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipsius reuerenter suscepit.*

In sequenti vero die, qua celebratur festum sancti Iacobi apostoli, idem Alexander papa redit, & celebraturus solennia Missarum, cum festiua processione patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, cardinalium, & aliorum ministrorum, iuxta sacrum ordinem processit. Imperatore igitur in choro stante, clerus Teutonicus Missæ introitum altisonis vocibus psallere cœpit, & totum decantando officium cum omni iubilatione peregit. Post euangelium autem & sermonem factum ad populum, imperator denuo ad vestigia eiusdem pontificis cum principibus suis deuotissime processit, & apertis thesauris suis aurum post pedum oscula obtulit. Decantata itaque Missa, idem dexteram pontificis apprehendit, & extra ecclesiam vsque ad album caballum conduxit ipsum, & streguam, stapham scilicet, fortiter tenuit. Cum autem frenum acciperet, & stratoris officium vellet adimplere, pontifex, quia iter ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit quod affectuose voluit adimplere.

Oblatio imperatoris in Missa, & obsequia.

Dum in his esset idem Alexander papa, fidelem amicum Petrum Cassinensem abbatem, & archiepiscopum Capuanum, de his quæ hactenus gesta essent cum imperatore reddidit his literis certiores:

Alexander episcopus seruus seruorum, &c. *dilectis in Christo filiis Petro Cassinensi abbati, & Capuano archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.*

EXIGVNT gratissimæ deuotionis obsequia, quæ nobis & ecclesiæ tam deuote, quam fideliter exhibuisse noscimini, vt felices successus ipsius ecclesiæ, vobis scilicet deuotis & * spiritualibus filiis spiritualibus literis describamus; cum dignum sit, conueniens & honestum, vt quos ita habuimus in nostra deuotione firmos & stabiles, de prosperitate nostra, & ipsius ecclesiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiscum gratias omnipotēti

* al. specialibus

ANNO CHRISTI 1177. Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de supernis, de cuius munere venit, vt nauicula Petri diu & grauiter procellosis fluctibus & validissima tempestate quassata, nunc tandem portum salutis attigerit, & pacatis sæuientis maris procellis, debita & desiderata pace lætetur. Sane duodecimo Kalendas instantis mensis Augusti de mandato huiusmodi filii nostri in Christo illustris Romanorum imperatoris, filius marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, & camerarius ipsius imperatoris, præsentibus principibus ecclesiasticis & sæcularibus Teutonici regni publice in anima eius in præsentia nostra coram innumerosa hominum multitudine præstiterunt tactis sacrosanctis euangeliis iuramentum, quod postquam idem imperator veniret Venetias, omni contentione & contradictione * seposita pacem ecclesiæ, sicut per fratres nostros & principes suos disposita est & tractata, & pacem huiusmodi filii nostri in Christo Vvillelmi illustris Siciliæ regis, vsque ad decimumquintum annum : & treguam Lombardorũ vsque ad septem annos in anima sua & a principibus suis faceret, sicut in scripto pacis & treguæ continetur, iuramento firmari. Nono vero Kalendas Augusti, præfatus imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit ad ecclesiam B. Nicolai, quæ per vnum milliare a Venetiis distat,& tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni abrenuntiantes schismati, per fratres nostros episcopos & cardinales de mandato nostro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium meruerunt,& deinde venerunt Venetias,& ibi ante ecclesiam beati Marci prædictus imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præsente, & alta voce reddente laudes & gratias Altissimo, nobis summo pontifici obedientiam & reuerentiam humiliter & reuerenter exhibuit, & recepto a nobis pacis osculo, dextrauit nos deuote, & cum reuerentia qua decuit & deuotione vsque ad altare in ecclesiam introduxit.

* al. sopita

Sequenti vero die, in festo beati Iacobi ab eodem imperatore rogati, ad prædictam ecclesiam S. Marci solennia celebraturi Missarum accessimus, & nobis illuc venientibus præfatus imperator extra ecclesiã obuiam venit, & dextero latere nostro deuote susceptо, nos in ecclesiam introdu-

xit, & peractis Missarum solenniis, nos vsque ad ipsius ecclesiæ portam dextrauit. Et cum ascenderemus palafredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, & honorem omnimodum & reuerentiam nobis exhibuit, quam prædecessores eius nostris consueuerunt prædecessoribus exhibere. Erit itaque solicitudinis vestræ, nobis & ecclesiæ in prosperis congaudere & effectum pacis aliis deuotis ecclesiæ filiis aperire, vt ii quos zelus domus Domini tangit, de pacis nomine diuinitus dato in Domino gaudeant & exultent. Datum Venetiis in Riuoalto sexto Kalendas Augusti.

Hactenus Alexander papa. Quam quidem epistolam repertam vna cum aliis in paruo codice basilicæ Vaticanæ hic tibi describendam curauimus, vt intelligas, vel ex his veritatem actorum vitæ Alexandri, cum quibus eadem Alexandri epistola miram habeat continuationem atque consensionem, vt non dubites eamdem esse germanam. His quidem similes, eiusdemque argumenti itidem tunc Venetiis ab eodem Alexandro papa datas literas in Angliam recitat Rogerus in annalibus istis verbis:

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, Richardo Cantuariensi episcopo, & suffraganeis eius, & dilectis filiis abbatibus specialiter ad Romanam ecclesiam pertinentibus in archiepiscopatu Cantuariensi constitutis salutem & apostolicam benedictionem.

IMMENSAS laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licet nauem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari, nunc tandem imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt pacatis maris sæuientis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta sit & salutis. Sane carissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, proximo præterito die, dominica ante festum beati Iacobi, cum principibus, ecclesiasticis & sæcularibus Teutonici regni cum multa deuotione venit Venetiam ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in festo beati Iacobi nobis ad preces eius beati Marci ecclesiam adeuntibus pro celebrandis Missarum solenniis obuiam venit; & finita Missa, quam

ANNO CHRISTI 1177. a nobis licet indignis reuerenter audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædeceſſores eius noſtris conſueuerunt anteceſſoribus exhibere. In Kalendis vero inſtantis menſis Auguſti præfatus imperator, vbi erat numeroſa hominum multitudo, in anima ſua iurare fecit. Et principes ſui, quos præſentes habebat, tam eccleſiaſtici quam ſæculares, præſtito iuramento firmauerunt, quod pacem eccleſiæ perpetuo, & pacem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvillelmi illuſtris Siciliæ regis vſque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum a prædictis Kalendis vſque * ſeptem ad *ſex annos, ſicut pax & tregua ipſa diſpoſita eſt, & tractata, & in ſcriptis redacta, illæſam debeat & illibatam ſeruare. Sicut autem imperator nos in catholicum papam, & ſpiritualem patrem recepit, ita nos eum in catholicum imperatorem, & vxorem eius in catholicam imperatricem, & filium ipſorum in catholicum regem recepimus. Agite itaque gratias creatori noſtro, qui ſponſam ſuam ſacroſanctam eccleſiam ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones, quibus grauiter preſſa eſt & attrita, per ſuam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Riuoalto octauo Idus Auguſti.

Ac has, quæ ſequuntur, dedit ad Eboracenſem archiepiſcopum & Dunelmenſem epiſcopum, conformes illis, quas datas vidimus ad abbatem Caſſinenſem.

Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Rogerio Eboracenſi archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato, & Hugoni Dunelmenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EXIGVNT gratiſſimæ deuotionis obſequia, quæ nobis & eccleſiæ tam deuote, quam laudabiliter exhibuiſſe noſcimini, vt felices ſucceſſus eccleſiæ vobis, ſicut ſpecialibus & deuotis eccleſiæ filiis ſpiritualibus, deſcribamus; cum dignum ſit & conueniens, & honeſtum, vt quos ita habuimus in noſtra deuotione firmos & ſtabiles, de proſperitate noſtra, & ipſius eccleſiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiſcum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altiſſimis, & humilia reſpicit de ſupernis, de cuius munere venit, vt ſponſa ſua ſacroſancta eccleſia diu & grauiter procelloſis fluctibus, & validiſſi-

ma tempestate quassata, nunc tandem portum salutis attigerit; & pacatis sæuientibus procellis, debita & desiderata tranquillitate lætetur. Sane duodecimo Kalendas instantis mensis Augusti, de mandato carissimi in Christo filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris, filius marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, & camerarius ipsius imperatoris, præsentibus principibus ecclesiasticis, & etiam sæcularibus Teutonici regni, publice in anima eius in præsentia nostra coram innumerosa hominum multitudine præstiterunt tactis sacrosanctis euangeliis, iuramentum, quod postquam imperator veniret Venetias, omni quæstione, & contradictione sopita, pacem ecclesiæ, sicut per fratres nostros & principes suos disposita est & tractata, & pacem carissimi in Christo filii nostri Vvillelmi illustris Siciliæ regis, vsque ad quindecim annos: & treguam Longobardorum vsque ad sex annos in anima sua, & etiam a principibus suis faceret, sicut in scripto pacis & treguæ continetur, iuramento firmari, & principes Teutonici regni, scilicet venerabiles fratres nostri Magdeburgensis, Colonensis, & Christianus dictus Moguntinus, archiepiscopi, & quidam alii in anima sua pro se iurare fecerunt. Nono vero Kalendas Augusti, præfatus imperator, sicut tractatum fuerat, & dispositum, venit ad ecclesiam beati Nicolai, quæ per vnum milliare distat a Venetiis; & ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni abrenuntiantes schismati, per fratres nostros episcopos & cardinales de mandato nostro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante ecclesiam beati Marci prædictus imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præsente, alta voce reddente gratias & laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici obedientiam & reuerentiam humiliter & reuerenter exhibuit; & recepto a nobis pacis osculo, nos deuote dextrauit, & cum reuerentia qua decuit & deuotione vsque ad altare in ecclesiam introduxit. Sequenti vero die, in festo beati Iacobi, ab eodem imperatore rogati, ad prædictam ecclesiam sancti Marci solennia celebraturi Missarum accessimus; & nobis illuc venientibus præfatus imperator extra ecclesiam obuiam venit, & dextero latere nostro

Anno Christi 1177.

ANNO CHRISTI 1177. deuote susceptо, nos in ecclesiam introduxit; & peractis Missarum solenniis, nos vsque ad ipsius ecclesiæ portam dextrauit; & cum ascenderemus palefredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, & omnem honorem & reuerentiam nobis exhibuit, quam prædecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. Erit itaque solicitudinis vestræ, nobis & ecclesiæ in prosperis successibus congaudere, & effectum pacis aliis deuotis ecclesiæ filiis aperire; vt hi, quos zelus domus Domini tangit, de pacis munere diuinitus dato in Domino gaudeant & exultent. Data Venetiis in Riuoalto VII. Kalendas Augusti.

Hactenus Alexandri epistolæ ex Rogero in annalibus Anglicanis. Sed quod ad easdem res gestas pertinet, iungamus his reliqua Alexandri papæ acta superioribus cohærentia: sic enim se habent: *In crastino autem circa horam nonam imperator cum paucis pontificem filiali affectu visitauit, & vsque ad eius cameram, vbi cum episcopis & cardinalibus familiariter residebat, alacriter se perduxit. Congratulati sunt ergo omnes ad inuicem, & post affectuosa colloquia, & mixtos seriis sine detrimento dignitatis iocos, Augustus petita & impetrata licentia, hilaris ad hospitium remeauit.* Imperator conuenit pontificem.

Kalendis vero mensis Augusti, conuocatis notariis, & vniuersis Lombardorum rectoribus, pontifex & imperator in consistorium pariter intrauerunt. Tunc imperator coram pontifice cum omni adiutorio præcepit comiti Henrico de Res... qualiter in anima sua ipsius imperatoris iuraret, quod pacem ecclesiæ & imperii, & pacem regis Siciliæ vsque ad quindecim annos, sicut etiam per mediatores vtriusque partis dispositum & descriptum fuerat, bona fide seruabit. Præsentibus quoque principibus nihilo minus iussit ad eamdem pacem & treguam vt pariter iurarent, quod bona fide seruarent. Comes... mox & ipse iurauit super sancta Dei euangelia. Iurauerunt & sequentes principes hoc modo, videlicet:

Ego Christianus Moguntinus,
Ego Philippus Colonienſis,
Ego V. Magdeburgenſis,
Ego B. Treuirenſis, archiepiſcopi.
Ego P. Patauienſis.
Ego C. electus VVormatienſis.
Ego R. imperiali auctoritate protonotarius.
Ego C. Mantuanus epiſcopus.
Ego C. cancellarius.

*Ego G. comes. Iuramus in manibus veſtris ſuper hæc ſancta Dei euangelia, quod pacem eccleſiæ & imperii, & pacem regis Siciliæ vſque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum vſque ad * ſex annos, ſicut ſtatutum eſt, & ſcriptum per mediatores vtriuſque partis, bona fide ſeruabimus & abſque fraude: ſic Deus nos adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia.*

* al. ſeptem

Ex parte vero Siciliæ regis eodem modo iurauit Romualdus Salernitanus archiepiſcopus, & Rogerius comes Andrienſis. Anno Christi 1177.

Ex parte vero Lombardorum iurarunt qui præſentes erant, ſcilicet, de Mediolano Gerardus Piſcis, Rogerius & Marcellinus conſules.

De Placentia VVillelmus Letatorius.
De Brixia Albertus de Gambara.
De Bergamo Alberatus.
De Verona Cæcius conſul.
De Parma Vetulus.
De Regio Antemanus.
De Bononia Picamontes poteſtas eorum.
De Nouaria VVillelmus Gueliri.
De Alexandria Hubertus de Foro.
De Padua Teſſulanus poteſtas.
De Venetia Gozelinus.

Abſoluuntur ſchiſmatici.

Abſoluto autem imperatore, ſequaces quoque eius intruſi, & ſchiſmatici ad ſinum matris eccleſiæ cateruatim confluentes, abſolui humiliter poſtulantes, refutarunt & anathematizarunt, abiurantes ſuper ſancta euangelia omnem hæreſin extollentem ſe aduerſus ſacroſanctam Romanam eccleſiam, & præcipue ſchiſma, hæreſin, & factionem Octauiani, & Guidonis Cremenſis, & Ioannis de Struma: eorumque ordinationes irritas eſſe pronuntiantes, fidelitatem quoque & obedientiam domino ſuo papæ Alexandro, eiuſque ſucceſſoribus catholicis promittentes, reconciliati ſunt, & vnitati eccleſiæ aggregati. De quorum numero famoſiores duximus nominandos, Chriſtianum Moguntinum, Philippum Colonienſem, V. Magdeburgenſem, Treuirenſem, Patauienſem, Vormatienſem electum, Auguſtanum, Maßilienſem, Argentinum, Halberſtadenſem, Papienſem, Placentinum, Brixienſem, Nouarienſem, Aquenſem, Mantuanum, Balneoregienſem, Piſaurenſem, Fauentinenſem, Guidonem Cremenſem promotum in Leuitam, V. quondam Cluniacenſem abbatem, & intruſum ſancti Georgii in Velo aureo, atque vicinum eius ſancti Saluatoris intruſum. Aliorum vero reſipiſcentium ſchiſmaticorum multitudinem penitus ignoramus.

Synodus Venetiis celebrata.

Eodem tempore, decimoſexto Kalendas Septembris, in eccleſia ſancti Marci Venetiis Alexander papa cum archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis Italis, & Alemannis Synodum celebrauit, in qua iuxta eum imperator reſedit: vbi pax inter eccleſiam & imperium, & pax imperatoris cum Siciliæ rege, & tregua Lombardorum, ſicut ſuperius eſt ordinatum, communi aſſenſione roborata fuit atque firmata: ſed ad maiorem ipſius ſoliditatem, pontifex in hunc modum excommunicationis ſententiam protulit; vt quicumque pacem ipſam, vel treguas infringeret, niſi requiſitus infra quadraginta dies, & commonitus ſatisfaceret, eamdem excommunicationem incurreret. In ſchiſmaticos vero, qui nondum reſipuerant, quouſque ſatisfecerint, anathematis ſententiam innouauit.

Bertinorum caſtrum redditum eccleſiæ.

In diebus illis cum hæc agerentur, C. comes Bertinori abſque liberis decedens Venetiis, pro remißione delictorum ſuorum, parentumque ipſius,

ANNO CHRISTI 1177. *ipsius, castrum ipsum Bertinorum, quod alio nomine dicitur Susulianum, & totam terram suam (licet ab antiquo iuris beati Petri fuerit) sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ in propriam hereditatem donauit, & ad maiorem donationis ipsius firmitatem, domino Alexandro papæ, eiusque successoribus, publicum exinde instrumentum fieri fecit. Quamobrem pro recipiendis inuestituris ipsius castri, quod est caput comitatus totius, pontifex absque mora illuc misit Rainerium diaconum cardinalem, & R. subdiaconum, & P. Sarracenum dapiferum suum; per quos inuestituram & possessionem illius comitatus in potestatem & dominium sedis apostolicæ recepit & detinuit.*

Deinde post Synodum celebratam decimoquinto Kalendas Octobris pro confirmatione pacis imperator has literas scripsit:

Imperatoris confirmatio.

Reuerendo in Christo patri domino papæ Alexandro sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo & vniuersali pontifici Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper Augustus debitam obedientiam, & filialis deuotionis affectum.

CVM imperatoria ac regia maiestas ad hoc in terris ordinata sit, vt per eius operam totus orbis pacis gaudeat incremento: nos, quos Deus in solio imperii Romani constituit, eam diligenter amplecti, & feruentius conseruare debemus ac volumus. Inde est, quod pacem ecclesiæ & imperii, secundum quod a principibus nostris, & cardinalibus Romanæ ecclesiæ disposita est, & ordinata, & in scripto principum nostrorum sigillis signata continetur, sicut per interpositam personam iurare fecimus, sic præsenti scripto nos obseruare promittimus, & confirmamus, & ratum in posterum permanere volumus, & sic deinceps firmiter obseruabimus, & faciemus, quatenus in nobis fuerit, Deo propitio, obseruari.

Datum apud Venetias in palatio ducis decimoquinto Kalendas Octobris indictione decima.

LITERÆ PRINCIPVM.

Principum confirmatio.

Domino ſuo ac patri venerando Alexandro Dei gratia ſanctæ Romanæ ſedis & catholicæ eccleſiæ ſummo pontifici atque vniuerſali papæ, Chriſtianus Moguntinus archiepiſcopus, Philippus Colonienſis archiepiſcopus, Vveremundus Magdeburgenſis archiepiſcopus, Arnoldus Treuirenſis archiepiſcopus, Conradus Vvormatienſis epiſcopus, Gaufredus cancellarius, Vveremundus protonotarius, F. comes Hollandiæ, F. marchio de Lucis, & frater eius, Diedo comes de Dierſa, & R. comes de Diuna, filialis deuotionis obſequium cum debita obedientia & deuotione.

QVOT commoda, quæ ex confirmata pace eccleſiæ & imperii vtilia toti mundo prouenerint, ipſa innumera illa mala, quæ exinde acciderunt, manifeſte oſtendunt. Sicut enim ab vtriuſque concordia prouinciæ orbis terrarum ad ſalutem & tranquillitatem reguntur: ita ſub eorum diuiſione a propria ſtatus rectitudine diſtrahebantur. Gaudeat itaque tellus tam deſiderabilis roris viſitatione reſperſa, tam gratioſæ pluuiæ inundatione fecunda, per quam fideles populi ariditatis ſitim depellant, & omnia iurgiorum ſcandala, & ſcandalorum incendia ſuffocentur. Nos ergo, pater ſanctiſſime, de tanto concordiæ fructu lætantes, ipſam ſacratiſſimæ eccleſiæ & imperii pacem, ſicut ab vtriuſque partis mediatoribus eſt diſpoſita, & in commune ſcriptum redacta, & illuſtris regis Siciliæ vſque ad quindecim annos, & treguam Lombardorum a proxime præteritis Kalendis Auguſti vſque ad * ſex annos, ſicut a mediatoribus eſt ordinata, & noſtris iuramentis firmata, & in ſcriptum commune redacta, noſtri conſenſus ſtudio & vigore confirmamus, & ratam atque inconcuſſam tenemus; & vt ſic obſeruetur, operam dabimus. Et vt hæc noſtræ confirmationis pagina ſubſecuturis temporibus firma atque illibata permaneat; eam propriis ſubſcriptionibus communiri, & ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione inſigniri.

Ego Chriſtianus archiepiſcopus Moguntinus. * *Locus ſigilli.*

Ego Philippus Colonienſis archiepiſcopus, & Italiæ archicancellarius. Sic & alii. De imperatore Venetiis diſcedere parato hæc ſequuntur in actis: *Rebus itaque ſic ſe habentibus imperator Venetiis re-*

ANNO CHRISTI 1177. *cessurus, vt a summo pontifice licentiam acciperet, accessit ad eum in palatium patriarchæ. Sed omnino exclusis ceteris, cum solis episcopis & cardinalibus, ac suis principibus de his, quæ ad pacis complementum restabant, cum eodem papa colloquium habuit. Tunc pontifex ab imperatore petiuit vt regalia sancti Petri, & possessiones sanctæ Romanæ ecclesiæ sicut per mediatores cardinales & principes apud Anagniam constitutum fuerat & firmatum, sibi restitui faceret. Cui respondens imperator dixit: Regalia sancti Petri, & possessiones alias Romanæ ecclesiæ præter terram comitissæ Mathildis, & Bertinorum libere ad præsens restituam; sed quia ista mihi videntur ad imperii ius pertinere, vos eligite de vestris cardinalibus tres, & nos de nostris principibus totidem eligemus ad ista tractanda, quorum iudicio pars vtraque irrefragabiliter stare debent. Quod licet pontifici graue nimis & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de restituenda terra comitissæ Mathildis expressum fuerat & iuratum, & tunc ipse castrum Bertinorum, sicut superius dictum est, possidebat: ne tamen occasione ista ecclesiæ pax turbaretur, voluntati eius tandem assensum præbuit; statimque Christianum Moguntinum archiepiscopum, & Vvormatiensem electum, & A. protonotarium, qui præsentes aderant, ad id faciendum delegit imperator, & Alexander papa suos, videlicet Ostiensem & Portuensem episcopos, & Cynthium diaconum cardinalem elegit. Pro restituendis vero prædictis regalibus, & ceteris ecclesiæ possessionibus, illico eumdem Moguntinum assignauit pontifici, præcipiens ei sub obtentu gratiæ suæ, vt restitutionem ipsam infra tres menses cum integritate perficeret.*

His itaque concorditer ordinatis atque dispositis, ipse Augustus coram pontifice genua flexit, & deosculatis pedibus eius, receptus ab eo & vniuersis cardinalibus, versus Rauennam & Cæsenam recessit. Post cuius discessum circa medium mensis Octobris pontifex quatuor impetratis galeis a duce Venetiarum, maiori parte fratrum suorum per Pentapolim secus mare præmissa, denuo pelagi vastitatem Domino auctore penetrauit, & ea qua venerat via regressus, Sipontum quarto Kalendas Nouembris suffragantibus beatorum Petri & Pauli meritis, cum prosperitate peruenit.

De rebus in hac Synodo gestis, deque iis qui Concilio interfuerunt, ita Rogerus de Houeden in annalibus Angliæ: *Eodem anno diuina miseratione Alexander papa, & Fridericus Romanorum imperator, facti sunt amici Venetiæ in Riuoalto, deleto schismate, quod iam fere octodecim annis durauerat in ecclesia Romana. Huic vero paci & concordiæ interfuerunt ex parte domini papæ, Humbaldus episcopus Ostiensis cardinalis, VVillelmus de Pauia episcopus Portuensis cardinalis, Vvalterus episcopus Albanensis cardinalis, Conradus episcopus Sauinæ cardinalis, Manfredus episcopus Palæstinus cardinalis, Ioannes Neapolis presbyter cardinalis, Theodinus presbyter cardinalis, Albertus presbyter cardinalis, Petrus de Bona presbyter cardinalis, Bosus presbyter cardinalis, Viuianus presbyter cardinalis, Herenbrandus presbyter cardinalis, Hyacinthus diaconus cardinalis, Herdizim diaconus cardinalis, Chinchechapel diaconus cardinalis, Laborandus diaconus cardinalis, Hugesim diaconus cardinalis, Reinerus diaconus cardinalis, archiepiscopus de Viane,*

archiepiscopus Bituricensis, archiepiscopus de Melan, archiepiscopus de Rauenne, archiepiscopus de Salerne, & comes Rogerus de Andre ex parte VVillelmi regis Siciliæ. Ex parte Friderici Romanorum imperatoris interfuerunt præscriptæ paci viri subscripti. Archiepiscopus de Magdeburg, Philippus Colonienſis archiepiscopus, Christianus Maguntinus archiepiscopus, archiepiscopus de Besençon, archiepiscopus de Treues, electus de Vvermeise, protonotarius imperatoris, comes Henricus de Dice, marchio Albertus, & multi alii. Congregatis itaque illis in ciuitate Venetia, nono Kalendas Augusti, in vigilia beati Iacobi apostoli, præfatus imperator, sicut prius tractatum fuerat & dispositum, venit ad ecclesiam beati Nicolai, quæ per vnum milliare a Venetiis distat, & ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni abrenuntiantes schismati, per episcopos, & cardinales, quos dominus papa ad eos absoluendos miserat, absolutionis beneficium accipere meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante ecclesiam beati Marci prædictus imperator domino papæ sicut summo pontifici omnem obedientiam & reuerentiam humiliter exhibuit, & recepto ab eo pacis osculo eum deuote dextrauit, & cum deuotione magna vsque ad altare in ecclesiam introduxit. Sequenti vero die in festo sancti Iacobi, feria secunda, præfatus imperator venit obuiam domino papæ extra ecclesiam sancti Marci, & dextero latere eius deuote suscepto eum in ecclesiam introduxit: & peractis Missarum solennijs eum vsque ad ipsius ecclesiæ portam dextrauit, & cum dominus papa palefredum suum ascenderet, prædictus imperator tenuit ei stapham, & omnem honorem & reuerentiam exhibuit, quam prædecessores eius prædecessoribus suis exhibere consueuerunt. In hoc vero Concilio Ioannes abbas de Struma, qui vocatus fuerat papa Calistus: qui etiam tertius & vltimus schismatis huius antipapa extiterat, degradatus est; & ab ipso imperatore, & ab omnibus principibus ecclesiasticis & secularibus deiectus est & reprobatus. Anno Christi 1177

Similiter omnes archiepiscopi & episcopi, & abbates Teutonici regni, qui ab eo vel ab aliis antipapis prædecessoribus suis, videlicet ab Octauiano, qui papa Victor vocabatur, vel a Guidone de Creme, qui papa Paschalis vocabatur, ordinati fuerant, degradati sunt; & altaria, quæ ab ipsis siue ab ordinatis suis dedicata erant, demolita sunt. In hoc autem Concilio Conredus frater consobrinus prædicti imperatoris recepit a manu Alexandri papæ archiepiscopatum Sanceburge, & legatiam totius Teutonici regni in vita sua habendam. Iste vero Conredus cum electus esset tempore schismatis ad archiepiscopatum Maguntinum, noluit ab Octauiano antipapa consecrari: sed malens inter catholicos pro nomine Christi pauper viuere, quam inter schismaticos diuitiis & transitoriis abundare, venit vsque Senonem ciuitatem ad Alexandrum papam: a quo benigne susceptus factus est episcopus cardinalis de episcopatu Sauine; & Christianus imperatoris cancellarius successit ei in archiepiscopatu Maguntino, & pallium suscepit a Guidone de Crema: quod quia ab eo receperat, propriis manibus suis combussit Venetiæ in Riuoalto in palatio patriarchæ coram Alexandro papa & cardinalibus vniuersis, & a domino papa absolutus est, & remansit archiepiscopus Maguntinus, & pallium ab Alexandro recepit.

ANNO CHRISTI 1177.

Causam, qua motus imperator pacem & concordiam petierit, alii aliter enarrant. Matthæus Paris anno 1177. *Fredericus imperator,* inquit, *venit ad pedes Alexandri papæ; audiuit enim & certificatus est super hoc, quod cum fugeret a persecutione imperiali, & non erat ei tutus transitus per terram; imo per mare exorta tempestate assumpsit omnia ornamenta papalia in naui quasi celebraturus, & stans imperauit mari & ventis vice Iesu Christi, cuius vicarius erat, & statim facta est tranquillitas magna. Quo audito imperator stupefactus humiliatus satisfecit illi per omnia, timens tamen plus Deum quam hominem, & sic cessauit schisma.* Causa concordiæ.

Meo sane iudicio probabile esse existimo, quod non parum commotus fuerit pœna & clade grauissima ipsi diuinitus inflicta, quam Aimoinus de gestis Francorum libro 5. cap. quinquagesimoquinto his verbis enarrat: *Eisdem diebus Ludouicus rex Alexandrum papam in pastorem cum omni regno Franciæ suscepit. Cuius rei fama circumquaque regiones peruolante, Constantinopolitanus & Hispanus imperatores, rex Siciliæ, rex Angliæ, rex Hierosolymitanus, rex Hungariæ, omnesque reges Christianorum, sequentes regis Ludouici exemplum, cum debita reuerentia eumdem susceperunt, excepto Friderico Alemanniæ imperatore: qui consueta tyrannide furens, prædictum schismaticum Octauianum contra leges & iura manutenuit, & omni vita illius sicut papam eum habuit. Quo defuncto Guidonem Cremonensem, vnum scilicet de duobus cardinalibus eidem schismatico adhærentibus, nefandus ille imperator successorem eius subrogauit. Cuius inhortationibus idem imperator Romam, vt eam perderet, profectus est: vbi maxima strages suorum non vi Romanorum, nec aliorum mortalium, sed sola diuina vltione facta est. Mirabile dictu contigit, quod Dominus super exercitum eiusdem nefandissimi tyranni manum vltionis extendens, per aeris corruptionem feruentem pluuiam super ipsos effudit: vnde infinita multitudo tam militum quam peditum inexpugnabili gladio diuinæ virtutis perculsi, morte miserabili vitam finierunt. Inter quos filius Conradi imperatoris interiit, & Rainaldus Colonienſis archiepiscopus: cuius corpus frustatim diuisum, & in feruenti aqua decoctum saleque conditum Coloniam vsque sui deportauerunt. Imperator vero præ timore flagelli diuini ab eadem obsidione recedens, in Tusciam fugitiuus peruenit. Vnde egrediens & Lombardiam pertransiens, ab incolis eiusdem regionis viriliter fugatus ad Susam festinauit. Exinde cum paucis sociis furtiue fugiens Alpes transmeauit. Siquidem amissa multitudine in eadem obsidione episcoporum & baronum suorum, ita perterritus & confusus extitit, vt vlterius ibi morari non audens, miserabili fuga Alemanniam repetiuerit.*

Motum initæ concordiæ & compositionis Otto Frisingensis paulo post circa hæc tempora defunctus lib. 7. cap. vltimo; *Huius* (de Friderico loquens ait,) *octauo principatus anno Hadrianus venerabilis papa obiit, & inter duos alios, Alexandrum videlicet & Octauianum, qui alio nomine Victor appellatus est, maximum schisma ecclesiæ oriri cœpit, quod nouemdecim annis miserabiliter durauit, Friderico rege contra Alexandrum pertinaciter resistente, & in idipsum plures episcopos regia po-*

teſtate compellente. Quod demum multo labore Dei gratia ſancitum eſt, & Alexander vniuerſalis totius eccleſiæ pater canonice confirmatus eſt, &c. ANNO CHRISTI 1177.

Eamdem reconciliationem magna cum humilitate & perfecta caritate citra ſuperbiam pontificis peractam eſſe, Guillelmus Tyrius huius temporis ſcriptor lib. 18. belli ſacri cap. 26. teſtatur his verbis: *Per idem tempus domino Hadriano papa apud Anagniam vrbem Campaniæ morbo ſquinantiæ defuncto, corporeque eius Romam tranſlato, & in baſilica Petri apoſtolorum principis honorifice ſepulto; dum de ſubſtituendo paſtore inter cardinales haberetur tractatus, & ſicut in talibus ſolet frequenter contingere, diuiſa ſunt eligentium deſideria, ita vt pars eligeret dominum Rolandum eiuſdem eccleſiæ presbyterum cardinalem tituli beati Marci, qui idem erat ſedis apoſtolicæ cancellarius, cui manus imponentes, & ordinantes epiſcopum Alexandrum appellauerunt. Alii vero Octauianum, virum ſecundum carnem nobilem, eiuſdem eccleſiæ preſbyterum cardinalem tituli ſanctæ Cæciliæ trans Tiberim: cui & nihilo minus manus imponentes, epiſcopum conſtituerunt, vocantes eum Victorem. Cuius ſchiſmatis occaſione, vniuerſa Latinorum eccleſia, peccatis noſtris exigentibus, paulo minus habuit diuidi, & irreuocabiliter ab inuicem ſeparari, maioribus orbis principibus certatim partibus gratiam ſuam & fauorem miniſtrantibus. Tandem anno decimonono, redeunte ad vnitatem eccleſiæ domino Friderico Romanorum imperatore, qui parti oppoſitæ auxilium ſuggerebat, & conſilium: & domino Alexandro papæ plena caritate reconciliato, reddita eſt pax eccleſiæ, & expulſis errorum tenebris, reſplenduit tranquillitas, quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.*

Romualdus archiepiſcopus Salernitanus, qui huic Concilio interfuit, in chronico ſuo, recenſito ad longum pontificis & imperatoris ad Vrbem acceſſu, de imperatoris abſolutione, honoreque Alexandro papæ exhibito iſta refert. *Sequenti vero die dominica, * octaua ſcilicet die* * Lib. reſidua ſtante menſis Iulii, in vigiliis beati Iacobi, papa, cognito imperatoris aduentu, galeas ingreſſus cum nuntiis regis, & magna Lombardorum ac populi multitudine, ad eccleſiam ſancti Marci ſummo mane deuotus acceßit, & Humbaldum Oſtienſem, & VVillelmum Portuenſem, & Manfredum Præneſtinum epiſcopos, & quoſdam de cardinalibus ad imperatorem tranſmiſit: qui venientes, ipſum & ſuos ab excommunicationis vinculo abſoluerunt. Chriſtianus autem cancellarius procedens in publicum, tactis ſacroſanctis euangeliis ait: Vt omnes euidenter agnoſcant me eſſe nomine & opere Chriſtianum, Octauianum Cremenſem, & Ioannem de Struma cum ſuis complicibus prorſus abiuro, & Alexandrum, & ſucceſſores eius in catholicum papam recipio. Et alii prælati eccleſiarum ſimiliter iurauerunt.*

Dux autem Venetiæ cognito quod imperator ab excommunicationis eſſet nexibus abſolutus, cum patriarcha, & magna cleri ac populi, & nauium multitudine vſque ad eccleſiam ſancti Nicolai illi obuiam venit: quem in naui ſua recipiens, vſque ad litus ſancti Marci ſatis honorifice, & pompoſe deduxit. Imperator autem de naui deſcendens ſimul cum duce,

ANNO CHRISTI 1177. *patriarcha, & episcopis suis, & clero, & populo Venetiæ ipsum cum vexillis, & crucibus processionaliter præcedente vsque ad ecclesiam sancti Marci, ante cuius atrium Alexander papa cum episcopis suis, & cardinalibus, cum patriarcha Aquileiæ, archiepiscopis & episcopis Lombardiæ, ecclesiastico more ornatis honorifice residebat, pedes accessit.*

Cumque ad papam appropiasset, tactus diuino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, imperiali dignitate postposita, reiecto pallio, ad pedes papæ totum se extenso corpore inclinauit. Quem Alexander papa cum lacrymis benigne eleuans, recepit in osculo & benedixit, moxque a Teutonicis, Te Deum laudamus, est excelsa voce cantatum. Imperator autem, apprehensa papæ dextera, ipsum in ecclesiam introduxit, & accepta ab illo benedictione, ad palatium ducis cum suis rediit. Papa vero cum cardinalibus, & nuntiis regis iterum galeas ingressus ad suum hospitium rediit. In vesperis autem imperator per nuntios suos papam satis affectuose rogauit, vt si ei placeret, sequenti die, in festo scilicet beati Iacobi, in ecclesia sancti Marci Missarum solennia celebraret: desiderabat enim ab ore eius diuina officia supplex & deuotus audire. Cuius petitioni papa assensum benignus accommodans, summo mane cum cardinalibus ad S. Marci ecclesiam venit. Cuius vestiarium ingressus cum patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & cardinalibus, honorifice satis, & ecclesiastice se induit, & ad celebranda diuina Missarum solennia se præparauit.

Imperator autem, vt humilitatem quam corde conceperat opere demonstraret, sumpto stratoris officio, pallium deposuit, manu virgam accepit, laicos de choro expulit, & papæ ad altare solenniter, & processionaliter venienti viam tamquam ostiarius præparauit. Dehinc in choro cum archiepiscopis, episcopis, & clericis Alemanniæ remanens (quibus eo die cantandi iniunctum erat officium) Missam domini papæ deuote satis & humiliter audiebat. Cumque dicto euangelio papa ascendisset pulpitum, vt alloqueretur populum, imperator accedens propius cœpit verba eius attentius auscultare. Cuius deuotionem papa diligenter attendens, verba quæ ipse literate proferebat, fecit per patriarcham Aquileiæ in lingua Teutonica euidenter exponi. Finito autem sermone, & Credo in vnum Deum, solenniter decantato, imperator cum suis principibus ad pedes papæ deuotus accessit, & obtulit. Finita autem Missa, cum papa ad suum palatium vellet redire; imperator dexteram eius accipiens, eum vsque ad portas ecclesiæ satis honeste deduxit. Cumque equum suum album de more vellet ascendere, imperator ex alia parte accedens, streuam eius tenuit, & postquam equum ascendit, ipsum aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit: quem papa benedicens, ad hospitium redire permisit. Ipse vero, clero, & populo illum præcedente, vsque ad mare descendit. Dehinc galeas ingressus, ad palatium suum cum gloria est & honore reuersus. Venientibus autem proximis Kalendis Augusti, imperator cum archiepiscopis, & episcopis, & reliquis principibus suis, & magna populi multitudine, ad patriarchæ palatium, in quo papa erat hospitatus, accessit. In cuius palatii aula longa satis & spatiosa papa in eminentiori loco positus in faldistorio suo resedit, & episcopis suis, & cardinalibus hinc inde circumstantibus, imperatorem quidem in sua dextera supra episcopos, &*

* al. Latine

presbyteros cardinales, Romualdum vero Salernitanum archiepiscopum in sinistra supra diaconos cardinales residere præcepit. Finito itaque silentio, sic est papa Alexander exorsus: Anno Christi 1177.

Psal. 117. Hæc est (inquit) dies, fratres carissimi, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, quia hic filius noster Romanorum imperator illu-
Luc. 15. stris mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Nam postquam cordi eius supernæ radius claritatis illuxit, totius falsitatis depulsa caligine, de errore ad veritatem rediit, de tenebris ad lumen transiit, de schismate ad vnitatem accessit, & ad caulas matris ecclesiæ tamquam ouis erratica repedauit. Exultet igitur fidelium votiua religio, quia hodie pater iuniorem recepit filium, catholicum principem Romanum recuperauit imperium. Mater ecclesia suum euaginatum in vaginam conuertit gladium, nauis piscatoris egregii, quæ culpis exigentibus, aduersitatum turbine pene demersa iam fuerat, nunc procellis cessantibus, ad litus solitum, & veræ quietis portum illæsa peruenit. Ecclesiæ suæ preces pro bono pacis frequenter effusas Dei Filius clementer audiuit, & eam cum suo principe in pace, & concordia collocauit. Inde est, quod destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura iam pace fruitur, & iucunda securitate lætatur. Cesset igitur antiqua discordia, finem accipiat inueterata malitia, vna fides, vnus Dominus, vna sit & ecclesia. Schisma in vnitatem transeat, & diuisio ad caritatem accedat. Omnis iam ad pacem ecclesiæ redeat, & ad matris suæ gremium filiorum numerositas gratiosa recurrat. Sit Deo gloria in altissimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia nos imperatoris nostri pium animum, & benignam agnoscimus voluntatem, eum intra nostræ mansuetudinis brachia tamquam carissimum filium benignius amplectimur, & tam ipsum, quam vxorem, & eius filium in catholicos principes paterno affectu recipimus, & ipsis honorem debitum impendere procuramus; Deum, & apostolos nostros affectuose rogantes, vt ipsos ecclesiæ suæ seruent incolumes, & per longa tempora custodiant defensores.

Postquam papa loqui desiit, imperator depositio pallio, de faldistorio surgens, cœpit in lingua Teutonica concionari, Christiano cancellario verba sua vulgariter exponente. ait ergo: Maiestati nostræ satis gratum resident & acceptum, quod Deus omnipotens, cuius manu principum corda tractantur, cuius arbitrio eorum voluntates, & consilia diriguntur, nostræ conscientiæ puritatem attendens, ex diuersis mundi partibus viros prouidos & discretos huic curiæ voluit interesse, vt ipsi errorem nostrum, & conuersionem nobis referentibus manifeste cognoscerent, dehinc ad propria redeuntes, deuotionem nostram, quam erga Dei ecclesiam gerimus, publice prædicarent. Totus igitur mundus euidenter agnoscat, quod licet nos Romani imperii dignitate & gloria fulgeamus, tamen a nobis humanæ conditionis proprium dignitas Romana non abstulit, nec ignorantiæ vitium maiestas imperialis excluserit. Nam suggestione prauorum hominum ignorantiæ fuimus tenebris inuoluti; & per viam veritatis credentes incedere, extra iustitiæ semitas nos inuenimus. Ecce enim Dei ecclesiam, quam credebamus defendere, impugnauimus, & quam sperabamus extollere, pene destruximus. Occasione nostra Domini nostri Iesu Christi tunica

ANNO CHRISTI 1177. tunica inconsutilis est diuisa, & quantum in nobis fuit, per hæreses & schismata violata. Decepit nos causæ meritum, & color negotii perturbauit: quia dum in facto ecclesiæ potius virtutem potentiæ, quam rationem iustitiæ voluimus exercere, constat nos in errorem merito deueniisse. Iustitia * fortitudinem respuit, æquitas violentiam non admittit. Sicque factum est, quod ille, qui humilia respicit, & alta a longe cognoscit, potentiam nostram, & aduersæ partis humilitatem considerans, more suo potentes de sede deposuit, & humiles exaltauit. Sed quia diuina clementia nos ad correctionem nostram ad tempus errare voluit, sed deuiare in perpetuum non permisit: vniuersa hæc fidelium turba cognoscat, quod nos de cetero, errore totius falsitatis abiecto, ad veritatem conuertimur, de schismate ad vnitatem redimus, & ad gremium matris nostræ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ gratanter accedimus; dominum Alexandrum, qui est impræsentiarum, & successores eius in catholicum papam recipimus, & ipsi tamquam patri debitam reuerentiam exhibere proponimus. Pacem nostram ecclesiæ, illustri regi Siciliæ, & Lombardiæ, sicut inter nos ordinatum est, & dispositum, reddimus.

* al. tyrannidem

De actis Concilii huius subiungit ista: *Aduenientibus autem vigiliis assumptionis beatæ Virginis, quæ eo tempore in die dominico aduenerunt, Alexander papa cum episcopis suis, & cardinalibus, cum patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & abbatibus Alemanniæ, Lombardiæ, & Tusciæ, cum imperatore, & duce Venetiæ, cum nuntiis regis Siciliæ, & magna populi multitudine in ecclesia beati Marci conueniens, solenne ibidem Concilium celebrauit.* Hæc acta.

Dictis itaque orationibus & litaniis, & aliis, quæ de more in Concilio sunt dicenda, & longo sermone de pace habito, Alexander papa candelas accensas imperatori, & clericis, & laicis, qui ibi aderant, dari præcepit; & ipse excommunicationis formam hoc modo proposuit: Nos ex parte Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ semper virginis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, excommunicamus, & a gremio matris ecclesiæ separamus omnes personas tam ecclesiasticas, quam seculares, quæcumque pacem quæ inter ecclesiam & imperium modo facta est, & pacem regis Siciliæ vsque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum vsque ad annos sex, aliquo modo disturbare, vel impedire præsumpserint. Et sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine & claritate priuentur. Cumque candelæ proiectæ essent de manibus, & extinctæ, imperator alta voce cum aliis, Fiat, fiat, pariter acclamauit. Sicque Concilium celebratum est, & solutum. Hucusque Romualdus de Concilio quambreuissime, alia multa præteriens, quod alio tenderet sua oratione.

Redarguitur fabula de Alexãdro papa caput imperatoris pedibus obterente.

Quare necessarium est, inanem fabellam esse, quam de capite imperatoris ab Alexandro pedibus obtrito, aliisve nonnullis fastuose nimium dictis & factis, hæretici nostri temporis, eorumque fautores schismatici recentiorum dumtaxat, & potissimum Bessarionis secundum vnam eamque mendacem eius lectionem, quantum ego sciam, auctoritate freti, sanctissimo & humillimo pontifici affingere non verentur.

CONCILIVM LATERANENSE GENERALE

SVB ALEXANDRO III.

SVMMO PONTIFICE.

HISTORIA CONCILII.

Acta Alexandri ab eius temporis auctore conscripta ex codice Vat. & epist. Alexandri papæ apud Radeuicum lib. 2. cap. 51. de gest. Friderici.

VM *Hadrianus quartus pontifex maximus, anno a Christo nato* MDLIX. *Kalendis Septembris mortem obiisset, cardinales, qui paulo post ad eligendum conuenerant, duos simul pontifices renuntiarunt, alterum Rolandum Senensem, virum omni laude præstantem, qui vno ac viginti cardinalium suffragiis electus Alexander III. fuit appellatus: alterum vero Octauianum Romanum, qui a tribus tantum cardinalibus designatus, pontificis nomen ausus est vsurpare. Ortum est ex hac cardinalium discordia schisma deterrimum, quod multos annos vexauit ecclesiam. Licet enim Alexander verus pontifex esset, tamen cum Octauianus, qui Victor quartus vocabatur, apud imperatorem Fridericum plurimum posset, ita Germanorum animos imperatoris opera sibi deuinxit, vt etiam postquam ipse Victor e viuis excessit, Guidonem Cremensem, & deinde Ioannem, qui in eius locum successerunt, tamquam veros pontifices coluerit vniuersa Germania. Contra vero Gallia, Britannia, Hispania, & reliquæ fere omnes prouinciæ Alexandri partes constanter susceperunt, excepta vna Italia, in qua aliæ regiones Alexandro, aliæ vero Victori sunt obsecutæ. Præter ceteras autem multæ Galliæ Cisalpinæ ciuita-*

Radeuicus lib. 2. cap. 62. & seqq.

Acta Alexãdri citata.

ANNO CHRISTI 1179.

tes nobilissimæ, cum ab imperatore Friderico iustas ob causas defecissent, ita se Alexandro pontifici addixerunt, vt nomine ipsius vrbem Alexandriam ædificauerint, ac tandem victo Friderico, pestiferi schismatis extinguendi causam non leuem attulerint. Cum enim imperator Fridericus, qui bellum acerbissimum cum illis gerebat, prælio superatus esset, copiæque eius maximæ atque firmissimæ magna ex parte deletæ, adeo hac clade commotus est, vt cum ad eam multorum principum Germanorum, qui ipsi schisma obiiciebant, cohortationes accederent, paulatim respuerit, discussaque superioris temporis caligine, lucem respicere cœperit, ac denique post duodeuiginti annos, quibus apertas cum Alexandro pontifice inimicitias gesserat, se ad pedes eius supplex abiecerit, cumque illo pacem firmam & stabilem conciliauerit. Tunc Alexander, qui tot annorum spatio in maximis turbinibus ecclesiæ clauum tenuerat, cum, sedatis iam tempestatum fluctibus, summa tranquillitate frueretur, vt ecclesiæ commodis consuleret, atque vt alii pontifices procellas, quibus ipse vexatus fuerat, deuitaret, in posterum prospiciens, Concilium generale conuocauit: tum vt forma aliqua electioni pontificis apta præscriberetur, qua ambitiosorum hominum audacia & insolentia deinceps reprimeretur: tum etiam vt mores hominum schismatis & belli causa corrupti conformarentur, vsura, simonia, aliaque vitia, quæ longius serpebant, auctoritate Concilii coercerentur. Accessit præterea alia causa grauissima, quæ pontificis animum valde ad hoc Concilium incitauit. Nam hæresis Catharorum, siue Publicanorum, vel Paterinorum, quæ in Aquitania fuerat exorta, in dies latius manabat, quibus permulti rudes & imperiti hæreticorum fraudibus decepti in Vasconia, & in Albegesio, & in partibus Tolosanis, fidem habebant, necesseque erat huic pesti detestabili remedium statim adhibere. His igitur causis commotus Alexander, Synodum generalem congregari iussit, ad quam non solum episcopi ex prouinciis Europæ, verum etiam nonnulli ex Asia Romam aduentarunt, vt Guilielmus archiepiscopus Tyrius scribit his verbis: Anno ab incarnatione Domini 1178. qui erat regni domini Balduini IV. annus quintus, mense Octobri, cum anno præcedenti indicta esset per vniuersum Latinorum orbem Synodus generalis, profecti sunt de nostro oriente, ego Guilielmus Tyrensis archiepiscopus, Albertus Bethlehemita episcopus, Heraclius Cæsariensis archiepiscopus, Rodulfus Sebastenus episcopus, Iotius Aconensis episcopus, Romanus Tripo-

Acta Alexâdri. Rogerus in annal. parte poster. & alii.

Alexand. in epist. indictionis Concilii. Rogerus vbi supra. VVilhelmus Tyrius de bello sacro lib. 21. cap. 2. & alii.

Lib. 21. cap. 26. de bello sacro.

litanus episcopus, Petrus ecclesiæ dominici sepulcri prior. Raynaldus abbas ecclesiæ montis Sion. Paulo post: *Per idem tempus (anno scilicet* 1179.*) Romæ celebrata est Synodus in basilica Constantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum episcoporum, pontificatus Alexandri* 20. *anno, mense Martio, indictionis duodecimæ, quinta die mensis, cuius si quis statuta, & episcoporum nomina, numerum, & titulos scire desiderat, relegat scriptum, quod nos ad preces sanctorum patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter. Hæc Tyrensis. Anno Domini* 1179. *Concilium celebratum fuisse affirmat etiam* Rogerus, *eius temporis diligens scriptor. In hoc Concilio primum pontifex statuit ad futura schismata vitanda, vt non haberetur* Romanus *pontifex, qui non a duabus cardinalium partibus esset electus. Rescindit ordinationes omnes a schismaticis pseudopontificibus Octauiano, Guidone, & Ioanne habitas: Anathematizauit præterea hæreticos omnes, atque illos qui ab illorum communione non se separassent, vel auxilium eis aliquo modo attulissent. Imo armis comprimendos illos esse decernit. Constituta sunt etiam multa alia, quæ sine dubio magnam ecclesiæ afferunt vtilitatem; extantque vigintiseptem Canones, qui apud multos scriptores reperiuntur, & magna ex parte in iure pontificio continentur. Episcopi quoque schismatici tum Germaniæ, tum aliarum prouinciarum, qui ab Alexandro in hoc Concilio ad ecclesiæ catholicæ vnitatem recepti sunt, hac verborum formula schisma abiurarunt: Ego N. anathematizo, & recuso omnem hæresin extollentem se aduersus sanctam Romanam ecclesiam catholicam, præcipue vero schisma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico, & modo, & inantea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ & domino meo Alexandro, & successoribus eius iuste intrantibus, ipsique seruiam absque omni malo ingenio contra omnem hominem secundum ordinem meum. Consilia eius quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & iuuabo expensis; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta euangelia.*

Annal. Anglic. par. poster.

Alber. Strad. in chronic. Crantzius ecclesiasticæ historiæ Saxoniæ lib. 7. cap. 3.

ANNO CHRISTI 1179.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS PER TVSCIAM CONSTITVTOS.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Pisano archiepiscopo, & vniuersis episcopis, & dilectis filiis abbatibus per Tusciam constitutis salutem & apostolicam benedictionem.

QVONIAM in agro Domini, qui est ecclesia, tamquam spinæ & tribuli nascuntur quotidie & pullulant germina vitiorum, tum videlicet, quia proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; tum quia inimicus homo de malitia sua zizania superseminare non cessat; & germen bonum nititur suffocare, necesse est diligentiam adesse cultorum, & nunc euellere, & amputare iam nata, nunc etiam nascituris nociuis * graminibus proficiendi aditum obserare, subsequenter autem & inserere fructiferum germen, & seminare semen bonum, quod trigesimum, sexagesimum, & centesimum fructum, fecundante Deo, possit afferre. Nam & hæc verba illa dominica sonare videntur, quibus Ieremiam prophetam, & in eo euangelicum sacerdotem instruxit, dicens: *Dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes* Id autem licet vniuersis ecclesiarum rectoribus incumbat, multo tamen fortius imminet Romanæ vrbis antistiti, qui a Domino Iesu Christo, vt caput esset ecclesiæ, in beato Petro accepit, & de pascendis dominicis ouibus, & fratribus confirmandis, expressum & speciale noscitur habuisse mandatum. Inde siquidem est, quod nos licet insufficientes meritis ad prouidentiam apostolicæ sedis & ministerium vniuersalis ecclesiæ a Deo, quo (vt ipsi placuit) disponente vocati; quia in ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quam ad promulganda, quæ saluti fidelium visa fuerint expedire; de diuersis partibus personas ecclesiasticas decreuimus euocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur, & quod bonum, secundum consuetudinem antiquorum pa-

* germinibus

Ierem. 1.

Luc. 22. Ioan. 21.

trum prouideatur, & firmetur a multis. Quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere. Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus, qualiter huic nostræ dispositioni plenis desideriis cooperari curetis, & prima dominica aduenientis quadragesimæ ad vrbem Romam, ducente Domino, veniatis, & cooperante sancti Spiritus gratia, tum in corrigendis enormitatibus, tum in statuendis quæ Deo grata fuerint, communi studio quod fuerit agendum agatur, & in vno humero subleuemus arcam Domini, atque vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Datum Tusculi vndecimo Kalendas Octobris. Anno Christi 1179.

CONCILII LATERANENSIS GENERALIS,

Sub Alexandro III. summo pontifice,

DECRETA.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De electione summi pontificis.*
II. *De abolendis ordinationibus ab antipapis introductis.*
III. *Quales debeant esse qui eligendi sunt ad regimen ecclesiæ.*
IV. *Qualiter prælati debeant cum subiectis hospitare.*
V. *Ne aliquis ordinetur sine certo titulo.*
VI. *Qualiter prælati debeant proferre sententiam in subiectos.*
VII. *Ne noui census imponantur ecclesiis.*
VIII. *Ne ecclesiastica beneficia alicui promittantur antequam vacent.*
IX. *De ecclesia interdicta, & interdictorum sepultura.*
X. *Ne monachus vel alius religiosus recipiatur sub precio.*
XI. *Ne clerici in sacris ordinibus constituti focarias habeant.*
XII. *Ne clerici præsumant sæculares procurationes suscipere.*
XIII. & XIV. *Ne aliquis multas habeat ecclesias.*
XV. *De testamentis clericorum.*
XVI. *De ordinatione ecclesiarum.*
XVII. *De præsentatione clericorum.*
XVIII. *Vt prælati prouideant magistris scholarum necessaria.*
XIX. *Ne laici imponant ecclesiis onera.*
XX. *Ne torneamenta fiant.*
XXI. *De treuguis seruandis.*
XXII. *De pace seruanda.*
XXIII. *Leprosi sibimetipsis priuatam habeant ecclesiam & cœmeterium.*
XXIV. *Prohibentur Christiani ne seruiant Saracenis.*
XXV. *Ne manifestus vsurarius recipiatur ad communionem altaris.*
XXVI. *Ne Christiani habitent cum Iudæis vel Saracenis.*
XXVII. *De hæreticis.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179. Anno ab incarnatione Domini * M C L X X X. præsidente Romanæ ecclesiæ papa Alexandro III. anno pontificatus eius vigesimo, mense Martio, indictione duodecima, die mensis secundo, præsidente eodem summo pontifice, sancta Synodus in basilica, quæ appellatur Constantiniana, * 280. episcoporum celebrata est. *MCLXXIX. *300.

CAPITVLA.

I.

LICET de euitanda discordia in electione summi pontificis manifesta satis a nostris prædecessoribus constituta manauerint; tamen, quia sæpe post illa per improbæ ambitionis audaciam, grauem passa est ecclesia scissuram: nos etiam ad malum hoc euitandum, de consilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione Concilii, aliquid decreuimus adiungendum. Statuimus igitur, vt si forte inimico homine superseminante zizaniam, inter cardinales de substituendo pontifice non potuerit concordia plena esse, & duabus partibus concordantibus tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium præsumpserit * ordinare: ille * Romanus pontifex habeatur, qui a duabus partibus fuerit electus, & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia * rem non potest, sibi nomen episcopi vsurpauerit: tam ipse, quam qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis priuatione mulctentur, ita vt viatici eis etiam, nisi tantum in vltimis, communio denegetur: & nisi resipuerint, cum Dathan & Abiron, quos terra viuos absorbuit, accipiant portionem. Præterea si a paucioribus ali-

* nominare vel ordinare.

* ille absque vlla exceptione ab vniuersa ecclesia Romanus pontifex habeatur,

* de ratione esse non potest.

quis, quam a duabus partibus fuerit electus ad apostolatus officium, nisi maior concordia interceſſerit, nullatenus assumatur, & prædictæ pœnæ subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus & aliis* ecclesiasticis, præiudicium generetur, in quibus maioris & senioris partis debet sententia prævalere: quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit iudicio diffiniri. In Romana vero ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.

II.

Canone vltimo Concilii Lateranensis sub Innocentio II.

Quod a prædecessore nostro felicis memoriæ Innocentio factum est, innouantes, ordinationes ab Octauiano & Guidone hæresiarchis, necnon & Ioanne Strumensi, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus: adiicientes etiam, vt si qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædictos schismaticos receperunt, careant impetratis. Alienationes quoque, seu inuasiones, quæ per eosdem schismaticos, siue per laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad ecclesiam sine omni eius onere reuertantur. Si quis autem contraire præsumpserit, excommunicationi se nouerit subiacere. Illos autem qui sponte iuramentum de tenendo schismate præstiterint, a sacris ordinibus & dignitatibus decreuimus manere suspensos.

III.

* Cum in sacris ordinibus, & ministeriis ecclesiasticis, & ætatis maturitas, & morum grauitas, & scien-

ANNO CHRISTI 1179. scientia literarum sit inquirenda: multo fortius hæc in episcopo oportet inquiri, qui ad curam positus aliorum, in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Domini oporteat conuersari. Eapropter, *de quibusdam ne * quod a quibusdam ex necessitate temporis factum est, in exemplum trahatur a posteris, præsenti decreto statuimus, vt nullus in episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum ætatis annum egerit, & de legitimo sit matrimonio natus, qui etiam vita & scientia commendabilis demonstretur. Cum autem electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit, decurso tempore, de consecrandis episcopis a Canonibus definito, is, ad quem spectant beneficia, quæ habuerat, disponendi de illis liberam habeat facultatem. Inferiora etiam ministeria, vtputa decanatus, archidiaconatus, & alia, quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino suscipiat: Sed nec parochialium ecclesiarum regimen, nisi qui iam vigesimumquintum ætatis annum attigerit, & qui scientia, & moribus existat commendandus. Cum autem assumptus fuerit, si archidiaconus in diaconum, & decani, & reliqui admoniti, non fuerint præfixo a Canonibus tempore in presbyteros ordinati, & ab illo remoueantur officio, & alii conferatur, qui & velit, & possit conuenienter illud implere. Nec prosit illis appellationis diffugium, si forte in transgressione constitutionis istius per appellationem voluerint se tueri. Hoc sane non solum de promouendis, sed de his etiam, qui iam promoti sunt, si Canones non

obsistant, præcipimus obseruandum. Clerici sane si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi potestate tunc priuatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio se nouerint suspensos. Dignum est enim, vt quos timor Dei a malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. Episcopus autem * si cui fecerit, aut fieri consenserit contra hoc, in conferendis prædictis potestatem suam amittat, & per capitulum, aut per metropolitanum, si capitulum concordare nequiuerit, ordinetur. Anno Christi 1179.

* si contra hoc fecerit, aut fieri cõsenserit in conferendis prædictis officiis & beneficiis potestatem suã, &c.

IV.

1. *Thess.* 2. 2. *Thess.* 3. Cum Apostolus se & suos propriis manibus decreuerit * exhibendos, vt locum prædicandi auferret pseudoapostolis, & illis, quibus prædicabat, non existeret onerosus: graue nimis, & emendatione fore dignum dignoscitur, quod quidam fratrum, & coepiscoporum nostrorum ita graues in procurationibus suis subditis existunt, vt pro huiusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellantur exponere, & longi temporis victum breuis hora consumat. Quocirca statuimus, quod archiepiscopi parochias visitantes, pro diuersitate prouinciarum, & facultatibus ecclesiarum, quadraginta, vel quinquaginta euectionis numerum non excedant: cardinales vero, vigintiquinque non excedant: episcopi, viginti, vel triginta nequaquam excedant: archidiaconi, quinque aut septem: decani constituti sub ipsis, duobus equis existant contenti. Nec cum canibus venatoriis, & auibus proficiscantur, sed ita proce- * alibi.

ANNO CHRISTI 1179. dant, vt non quæ sunt sua, sed quæ Iesu Christi, quærere videantur, nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste, & competenter fuerit illis ministratum. Prohibemus etiam, ne subditos suos talliis, & exactionibus episcopi grauare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniunt, vt si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum caritate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Cum enim dicat Apostolus; *Non debent parentibus filii thesaurizare, sed parentes filiis:* multum longe a paterna pietate videtur, si præpositi suis subditis graues existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris more fouere debent. Archidiaconi vero, siue decani nullas exactiones, vel tallias in presbyteros, seu clericos exercere præsumant. Sane quod de prædicto numero euectionis secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit obseruari, in quibus ampliores sunt reditus & ecclesiæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus teneri mensuram, vt ex accessu maiorum, * minores non debeant grauiori: ne sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis vti solebant, hactenus plurimam sibi credant potestatem indultam.

2. Cor. 12.

* minores merito non doleant se grauari:

V.

Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum, vel presbyterum ordinauerit, tamdiu necessaria ei submini-
stret, donec in aliqua ei ecclesia conuenientia sti-
pendia militiæ clericalis assignet: nisi forte talis qui

ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere. ANNO CHRISTI 1179.

VI.

Reprehensibilis valde consuetudo in quibusdam partibus inoleuit, vt fratres & coepiscopi nostri, seu etiam archidiaconi, quos appellaturos in causis suis existimant, nulla penitus admonitione præmissa, suspensionis, vel excommunicationis in eos ferant sententiam. Alii etiam dum superioris sententiam, & disciplinam canonicam reformidant, sine vllo grauamine appellationem obiiciunt, & ad defensionem iniquitatis vsurpant, quod ad subsidium innocentium dignoscitur institutum. Quocirca, ne vel prælati valeant sine causa grauare subiectos, vel subditi pro sua voluntate sub appellationis obtentu correctionem valeant eludere prælatorum: præsenti decreto statuimus, vt nec prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos; nisi forte talis sit culpa, quæ ipso genere suo * excommunicationis pœnam inducat: nec subiecti contra disciplinam ecclesiasticam ante ingressum causæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quisquam pro sua necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendam appellationem terminus præfigatur. Infra quem, si forte prosequi neglexerit, libere tunc episcopus sua auctoritate vtatur. Si autem in quocumque negotio aliquis appellauerit, & eo, qui appellatus fuerit, veniente, qui appellauerit, venire neglexerit, si proprium quid habuit, compe-

* suspensionis vel excommunicationis

ANNO CHRISTI 1179. tentem ei recompensationem faciat expensarum: vt hoc saltem timore perterritus, in grauamen alterius non facile quis appellet. Præcipue vero *in locis religiosis hoc volumus obseruari, ne monachi, siue quicumque religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui, & capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter ac deuote suscipiant, quod pro salute *sua vtiliter eius fuerit iniunctum.

*in religiosis hoc, &c.

*sua sciat iis iniunctum

VII.

Cum in ecclesiæ corpore omnia debeant ex caritate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi; horribile nimis est, quod in quibusdam ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita vt pro episcopis vel abbatibus, seu quibuscumque personis ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis presbyteris in ecclesiam, nec non pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid exigatur: & ille qui indiget, non possit ista percipere, nisi manum implere curauerit largitoris. Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa inualuisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tanto grauiora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cetero fiat, & vel pro personis ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis sacramentis aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc

4. Reg. 5. venire præsumpserit, portionem cum Giezi se nouerit habiturum: cuius factum turpis muneris exactione imitatur. Prohibemus insuper, ne noui census ab episcopis vel abbatibus, aliisve prælatis imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur nec partem redituum suis vsibus appropriare præsumant: sed libertates, quas sibi maiores desiderant conseruari, minoribus quoque suis bona voluntate conseruent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur. ANNO CHRISTI 1179.

VIII.

Nulla ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel ecclesiæ, alicui tribuantur seu promittantur antequam vacent: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum & beneficium se crediderit successurum. Cum enim id etiam in ipsis Gentilium legibus inueniatur prohibitum, turpe nimis est & diuini plenum animaduersione iudicii, si locum in Dei ecclesia futuræ successionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipsi Gentiles homines curauerunt. Cum vero præbendas ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliqua ecclesia vacare contigerit, vel etiam si modo vacant, non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis quæ digne administrare valeant conferantur. Si autem episcopus vbi ad eum spectauerit, conferre distulerit, per capitulum ordinetur. Quod si ad capitulum electio pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit, episcopus hoc secundum Deum cum virorum religiosorum consilio exequatur. Aut si omnes forte neglexerint, metro-

ANNO CHRISTI 1179. politanus de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat.

IX.

Cum & plantare sacram religionem, & plantatam fouere modis omnibus debeamus: nunquam hoc melius exequemur, quam si nutrire quæ recta sunt, & corrigere quæ profectum veritatis impediunt, commissa nobis auctoritate curemus. Fratrum autem & coepiscoporum nostrorum vehementi conquestione comperimus, quod fratres Templi & Hospitalis, alii quoque religiosæ professionis, indulta sibi ab apostolica sede excedentes priuilegia, contra episcopalem auctoritatem multa præsumunt, quæ & scandalum generant in populo Dei, & graue pariunt periculum animarum. Proponunt enim, quod ecclesias recipiant de manibus laicorum, excommunicatos & interdictos ad ecclesiastica sacramenta & sepulturam admittant, in ecclesiis suis præter eorum conscientiam & instituant & amoueant sacerdotes, & fratribus eorum ad eleemosynas quærendas euntibus, cum indultum sit eis, vt in aduentu eorum semel in anno ecclesiæ aperiantur, atque in eis diuina celebrentur officia, plures ex eis de vna siue diuersis domibus ad locum interdictum sæpius accedentes, indulgentia priuilegiorum in celebrandis officiis abutuntur, & tunc mortuos apud prædictas ecclesias sepelire præsumunt. Occasione quoque fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur episcopalis auctoritatis eneruant, dum contra eorum sententiam sub aliquorum priuilegiorum obtentu munire cun-

ctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem volunt accedere, & se conferre. In his, quia non tam de maiorum conscientia, vel consilio, quam de minorum indiscretione quorumdam exceditur: & remouenda ea, in quibus excedunt, & quæ dubietatem faciunt, declaranda decreuimus. Ecclesias sane & decimas de manu laicorum sine consensu episcoporum, tam illos, quam quoscumque alios religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam quas contra tenorem istum * moderno tempore receperunt, excommunicatos & nominatim interdictos, tam ab illis, quam ab omnibus aliis, iuxta episcoporum sententiam, statuimus euitandos. In ecclesiis suis, quæ ad eos pleno iure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis præsentent, vt eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem: institutos autem, episcopis inconsultis, non audeant remouere. Si vero Templarii siue Hospitalarii * ad ecclesiasticum interdictum venerint, non nisi semel in anno ad ecclesiasticum admittantur officium, nec tunc ibi corpora sepeliant * defunctorum. De * fraternitatibus hoc statuimus, vt si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in suis proprietatibus * duxerint remanendum, propter hoc ab episcoporum sententia nullatenus eximantur: sed potestatem suam in eos, sicut in alios parochianos suos exerceant, cum pro suis excessibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum est, de aliis quoque religiosis, qui præsumptione sua epi-

ANNO CHRISTI 1179.

* aliquo

* ad ecclesiam interdictam

* interdictorum * confratribus

* duxerint omnino remanendum,

ANNO CHRISTI 1179. episcoporum iura præripiunt, & contra canonicas eorum sententias & tenorem priuilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus obseruari. Si autem contra hoc institutum venerint, & ecclesiæ in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

X.

Monachi non precio recipiantur in monasterio, non peculium permittantur habere, non singuli per villas & opida, seu ad quascumque parochiales ponantur ecclesias: sed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant: nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictionem expectent, Salomone dicente: *Væ soli, quia si ce-* Eccles. 4.
ciderit non habet subleuantem.* Si quis autem exactus, pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat.* Is autem qui acceperit, officii sui * priuatione mulctetur. Si vero peculium habuerit, nisi ei ab abbate pro iniuncta fuerit administratione permissum, a communione remoueatur altaris: & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. Quod etiam de * diuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas etiam qui ista diligenter non curauerit, officii sui iacturam se nouerit incursurum. Prioratus quoque siue obedientiæ, precii datione nulli tradantur. Alioqui & dantes & accipientes a ministerio fiant ecclesiastico alieni. Priores vero cum in conuentualibus ecclesiis fuerint * constituti, nisi pro manifesta causa & rationabili non mutentur, vide-

* non est qui subleuet eum.

* Is vero qui eum receperit * suspensione

* vniuersis

* per electionem capitulorum suorum canonice fuerint instituti, nisi &c.

licet si fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amouendi merito videantur: aut si etiam pro necessitate maioris officii, de * consilio fratrum fuerint transferendi. Anno Christi 1179. * consilio

XI.

Clerici in sacris ordinibus constituti, qui mulierculas suas in domibus suis incontinentiæ nota tenuerint, aut abiiciant eas, & continenter viuant, aut ab officio & beneficio ecclesiastico fiant alieni. Quicumque incontinentia illa quæ contra naturam est, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ, & quinque ciuitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint, eiiciantur a clero, vel ad pœnitentiam agendam in monasteriis detrudantur: si laici, excommunicationi subdantur, & a cœtu fidelium fiant prorsus alieni. Monasteria præterea sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta, & necessaria causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur: & si non destiterit, a beneficio ecclesiastico reddatur immunis.

XII.

Clerici in subdiaconatu & supra, & in minoribus quoque ordinibus, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, coram iudice sæculari * aduocati in * negotiis fieri non præsumant, nisi propriam, vel ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt. Sed nec procurationes villarum, aut iurisdictiones etiam sæculares sub * procuratores * in negotiis sæcularibus agitur, forensibus negotiis

ANNO CHRISTI 1179. aliquibus principibus, vel sæcularibus viris, vt iu-
* exerce- stitiarii eorum fiant, clericorum quisquam * assu-
re mere præsumat. Si quis aduersus hoc tentauerit, (quoniam contra doctrinam Apostoli est dicentis: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*,) 1. Tim. 2. & sæculariter agit; ab ecclesiastico fiat ministerio alienus, pro eo quod officio clericali neglecto, fluctibus sæculi, vt potentibus sæculi placeat, se immergit. Districtius autem decreuimus puniendum, si religiosorum quisquam aliquid prædictorum audeat attentare.

XIII.

Quia nonnulli modum auaritiæ non ponentes, dignitates diuersas ecclesiasticas, & plures ecclesias parochiales contra sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita vt cum vnum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum; ne id de cetero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam eius per seipsum valeat exercere: quod si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra sanctos Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate priuetur.

XIV.

Quia in tantum iam quorumdam processit ambitio, vt non duas, vel tres, sed sex aut plures ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam possint prouisionem impendere: per fratres, & coepiscopos nostros carissimos emendari præcipimus, & de

multitudine præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum: eorum, qui ecclesiis digne valeant deseruire, volumus ecclesiasticis beneficiis indigentiam subleuari. Præterea, quia in tantum quorumdam laicorum processit audacia, vt episcoporum auctoritate neglecta, clericos instituant in ecclesiis, & remoueant etiam cum voluerint; possessiones quoque, atque alia bona ecclesiastica, pro sua plerumque voluntate distribuant, & tam ecclesias ipsas quam earum homines, talliis, & exactionibus præsumant grauare: eos qui amodo ista commiserint, anathemate decernimus feriendos; presbyter autem siue clericus, qui ecclesiam per laicos sine proprii episcopi auctoritate receperit tenendam, communione priuetur: & si perstiterit, a ministerio ecclesiastico & ordine deponatur. Sane quia laici quidam ecclesiasticas personas & ipsos etiam episcopos suo iudicio stare compellunt, eos qui de cetero id præsumpserint, a communione fidelium decernimus segregandos. Prohibemus etiam ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, & ecclesiæ non * tradiderit, Christiana sepultura priuetur. Anno Christi 1179. * reddiderit.

XV.

Cum in officiis caritatis illis primo teneamur obnoxii, a quibus nos beneficium cognoscimus accepisse; e contrario ecclesiastici quidam clerici, cum ab ecclesiis suis multa bona perceperint, bona

ANNO CHRISTI 1179. per ecclesias acquisita, in alios vsus præsumant transferre. Hoc igitur quia & antiquis Canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilo minus inhibemus. Indemnitati itaque ecclesiarum prouidere volentes, siue intestati decesserint, siue aliis conferre voluerint, penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibusdam partibus sub precio statuuntur, qui decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate episcopalem iurisdictionem exercent, præsenti decreto statuimus, vt qui de cetero id præsumpserit, officio suo priuetur, & episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.

XVI.

Cum in cunctis ecclesiis, quod pluribus, & senioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat obseruari: graue nimis, & reprehensione est dignum, quod * quarumdam ecclesiarum pauci quandoque non tam de ratione, quam de propria voluntate ordinationem * multoties impediunt, & ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca præsenti decreto statuimus, vt nisi a paucioribus & inferioribus aliquid * rationabile fuerit obiectum & ostensum, appellatione remota, semper præualeat, & suum consequatur effectum, quod a maiori, & * seniori parte * capituli fuerit constitutum. Nec nostram constitutionem impediat, si forte aliquis ad conseruandam ecclesiæ suæ consuetudinem iuramento se dicat adstrictum: non enim dicenda sunt iuramenta, sed potius periuria, quæ contra vtilitatem ecclesiasticam, & sanctorum pa-

* per quasdam ecclesias

* multorum

* rationabiliter obiectũ fuerit & ostensum appellatione remota, * seniori * Concilii

trum veniunt instituta. Si autem huiusmodi consuetudines, * quæ ratione iuuantur, & sacris congruunt institutis, * irritare præsumpserit, donec congruam egerit pœnitentiam, a dominici corporis perceptione fiat alienus. ANNO CHRISTI 1179. * quæ nec ratione iuuantur, nec sacris, &c. * iurare

XVII.

Quoniam in quibusdam locis ecclesiarum fundatores, aut heredes eorum potestate in qua eos ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur: & cum in ecclesia Dei vnus debeat esse qui præsit, ipsi plures sine respectu subiectionis eligere moliuntur: & cum vna ecclesia vnius debeat esse rectoris, pro sua defensione plurimos repræsentant. Quocirca præsenti decreto statuimus, vt si forte in plures partes fundatorum se vota * diffuderint, ille præficiatur ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis, & plurimorum eligitur & probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo fieri nequiuerit, ordinet antistes ecclesiam, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam. Idipsum etiam faciat, si de iure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, infra * tres menses non fuerit definitum. * diuiserint, * quatuor

XVIII.

Quoniam ecclesia Dei & in iis quæ spectant ad subsidium corporis, & in iis quæ ad profectum veniunt animarum, indigentibus sicut pia mater prouidere tenetur: ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non possunt, legendi, & proficiendi opportunitas subtrahatur, per vnamquamque ecclesiam cathedralem magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ, & scholares pauperes gratis doceat, com-

ANNO CHRISTI 1179. petens aliquod beneficium assignetur, quo docentis necessitas subleuetur, & discentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque restituatur ecclesiis siue monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia vero docendi nullus precium exigat, vel sub obtentu alicuius consuetudinis, ab iis qui docent, aliquid quærat: nec docere quempiam, petita licentia, qui sit idoneus, interdicat. Qui vero contra hoc venire præsumpserit, a beneficio ecclesiastico fiat alienus. Dignum quidem esse videtur, vt in ecclesia Dei fructum laboris sui non habeat, qui cupiditate animi vendit licentiam docendi * ecclesiarum profectum nititur impedire.

* ecclesiasticum

XIX.

Non minus pro peccato eorum qui faciunt, quam pro illorum detrimento, qui sustinent, graue nimis esse dignoscitur, quod in diuersis partibus mundi rectores, & consules ciuitatum, nec non & alii qui potestatem habere videntur, tot ecclesiis frequenter onera imponunt, & ita grauibus eas crebrisque exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem, omnibus aliis seruituti subiectis, sacerdotes suos, & eorum possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministrauit. Isti vero vniuersa fere onera sua imponunt ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, vt illud eis, quod Ieremias deplorat, competere videatur: *Princeps prouinciarum facta est sub* Gen. 47. Thren. 1.

tributo. Siue quidam fossata, siue expeditiones, siue quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis ecclesiarum, clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis cuncta volunt fere * compilari. Iurisdictionem etiam & auctoritatem episcoporum, & aliorum prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Super quo dolendum est pro ecclesiis: dolendum etiam nihilo minus & pro ipsis, qui timorem Dei & ecclesiastici ordinis reuerentiam videntur penitus abiecisse. Quocirca sub anathematis districtione seuerius prohibemus, ne de cetero talia præsumant attentare, nisi episcopus & clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem aspexerint, * vt absque vlla coactione, ad releuandas communes * necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda. Si autem consules, aut alii de cetero id præsumpserint, & commoniti desistere forte noluerint, tam ipsi, quam eorum fautores excommunicationi se nouerint subiacere: nec communioni fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.

Anno Christi 1179.

* compleere

* vt absque vlla exactione

* vtilitates vel necessitates

XX.

Concilium Lateranense sub Innocentio II. Canon. 14.

Felicis memoriæ papæ Innocentii, & Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, detestabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temere congrediuntur, vnde mortes hominum & animarum pericula sæpe proueniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fue-

ANNO CHRISTI 1179. fuerit, quamuis ei poſcenti venia non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

XXI.

Treguas a quarta feria poſt occaſum ſolis vſque ad ſecundam feriam in ortum ſolis, & ab aduentu Domini vſque ad octauas epiphaniæ, & a ſeptuageſima vſque ad octauas paſchæ, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari præcipimus. Si quis autem treguam frangere tentauerit, poſt tertiam commonitionem, ſi non ſatisfecerit, epiſcopus ſuus ſententiam excommunicationis dictet in eum, & ſcriptam vicinis epiſcopis annuntiet, quorum nullus excommunicatum in communionem ſuſcipiat: imo * ſcriptam ſuſceptam ſententiam quiſque confirmet. Si quis autem hoc violare præſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubiaceat. Et quoniam funiculus triplex non facile rumpitur, præcipimus, vt epiſcopi ſolum Dei, & ſalutis populi habentes reſpectum, omni * tepiditate ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium præſtent; neque hoc alicuius amore, vel odio prætermittant. Quod ſi quis in * opere Dei tepidus fuerit inuentus, damnum dignitatis ſuæ incurrat.

* f. ſcripto

Eccleſ. 4.

* cupiditate, *alias* trepiditate

* hoc opere

XXII.

Innouamus vt presbyteri, monachi, clerici, conuerſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agri cultura exiſtentes, & animalia * quæ ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur. Nec quiſquam * alicui nouas pedagiorum exactiones ſine * auctoritate regum & principum conſenſu ſtatuere, aut ſtatutas de nouo tene-

* quibus arant, & ſeminant

* alicubi

* auctoritate & conſenſu regum & principũ ſtatuere,

re, aut veteres augmentare aliquo modo temere præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit; donec satisfaciat, communione careat Christiana. ANNO CHRISTI 1179.

XXIII.

Cum dicat Apostolus, abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, ecclesiastici quidam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, leprosis, qui cum sanis habitare non possunt, & ad ecclesiam cum aliis conuenire, ecclesias & cœmeteria non permittunt habere, nec proprii iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia procul a pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate apostolica constituimus, vt vbicumque tot simul sub communi vita fuerint congregati, * qui ecclesiam sibi cum cœmeterio constituere, & proprio gaudere valeant presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen, vt iniurioſi veteribus ecclesiis de iure parochiali nequaquam existant. Quod namque eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, vt de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur. * quæ

XXIV.

Ita quorumdam animos occupauit sæua cupiditas, vt cum glorientur nomine Christiano, Saracenis arma, ferrum & ligamina galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugnandos Christianos, arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua

ANNO CHRISTI 1179. cupiditate in galeis & piraticis Saracenorum nauibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur a communione ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum per sæculi principes catholicos & consules ciuitatum priuatione mulctari, & capientium seruos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam, vt per ecclesias maritimarum vrbium crebra & solennis excommunicatio proferatur in eos. Excommunicationis quoque pœnæ subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis causis honestis nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Illi etiam qui Christianos naufragia patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, * damnanda cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.

XXV.

*f. crimen Quia in omnibus fere locis *tantum vsurarum ità inoleuit, vt multi aliis negotiis prætermissis, quasi licite vsuras exerceant, & qualiter vtriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: ideo constituimus, vt vsurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Sed nec eorum oblationem quisquam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Christianæ tradiderit sepulturæ: & ea quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui episcopi satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus.

XXVI.

Iudæi siue Saraceni nec sub alendorum * puerorum obtentu, nec pro seruitio, nec alia qualibet causa Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere. Excommunicentur autem, qui cum eis præsumpserint habitare. Testimonium quoque Christianorum aduersus Iudæos in omnibus causis, cum illi aduersus Christianos testibus suis vtantur, recipiendum esse censemus: & anathemate decernimus feriendos, quicumque Iudæos Christianis voluerint in hac parte præferre, cum eos subiacere Christianis oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri. Si qui præterea Deo inspirante ad fidem se conuerterint Christianam, a possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis conuersos ad fidem esse oporteat, quam antequam fidem acceperunt, habebantur. Si autem secus factum fuerit, principibus vel potestatibus eorumdem locorum sub pœna excommunicationis iniungimus, vt portionem hereditatis & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi.

Anno Christi 1179. * puerorum suorum.

XXVII.

Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio, cruentas non * effi- ciat vltiones, catholicorum tamen principum constitutionibus adiuuatur, vt sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt euenire supplicium. Eapropter, quia in Gasconia, Albegesio & partibus Tolosanis & aliis locis, ita hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patri-

Sãctus Leo epist. 4.

* efficiat

ANNO CHRISTI 1179. nos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, inualuit damnata peruersitas, vt iam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant, & infirmos: eos, & defensores eorum, & receptores anathemati decernimus subiacere: & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fouere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum priuilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec sub aliacumque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam. De* Brabantionibus & Aragonensibus, Nauariis, * Bascolis, Coterellis & Triauerdinis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, vt nec ecclesiis, nec monasteriis deferant, non viduis, & pupillis, non senibus, & pueris, nec cuilibet parcant ætati, aut sexui, sed more Paganorum omnia perdant, & vastent; similiter constituimus, vt qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel fouerint per regiones, in quibus taliter debacchantur, in dominicis, & aliis solennibus diebus * per ecclesias publice denuntientur, & eadem omnino sententia, & pœna cum prædictis hæreticis habeantur adstricti, nec ad communionem recipiantur ecclesiæ, nisi societate illa pestifera, & hæresi abiuratis. Relaxatos autem se nouerint a debito fidelitatis, & hominii, ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint, quicumque illis aliquo * peccato tenentur annexi. Ipsis autem, cunctisque fidelibus in remissio-

*Brabanconibus
*Baschis
*publice excommunicati denuntientur,
*pacto

nem * peccatorum iniungimus, vt tantis cladibus se viriliter opponant, & contra eos armis populum Christianum tueantur. Confiscenturque eorum bona, & liberum sit principibus, huiusmodi homines subiicere seruituti. Qui autem in vera pœnitentia ibi decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ se non dubitent percepturos. Nos etiam de misericordia Dei, & beatorum apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & ad episcoporum, seu aliorum prælatorum consilium, ad eos decertando expugnandos, biennium de pœnitentia iuncta relaxamus: aut si longiorem ibi moram habuerint, episcoporum discretioni, quibus huius rei * causa fuerit iniuncta, committimus, vt ad eorum arbitrium, secundum modum laboris, maior eis indulgentia tribuatur. Illos autem, qui admonitioni episcoporum in huiusmodi parte parere contempserint, a perceptione corporis, & sanguinis Domini iubemus fieri alienos. Interim vero eos, qui ardore fidei ad eos expugnandum, laborem * iustum assumpserint, sicut eos, qui sepulcrum dominicum visitant, sub ecclesiæ defensione recipimus, & ab vniuersis inquietationibus, tam in rebus, quam in personis statuimus manere securos. Si vero quispiam vestrum præsumpserit eos molestare, per episcopum loci excommunicationis sententia feriatur: & tamdiu sententia seruetur ab omnibus, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congrue iterum satisfaciat. Episcopi vero, siue

Anno Christi 1179. * omnia peccatorum

* causa

* illum

ANNO CHRISTI 1179. presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui priuatione mulctentur, donec miſericordiam apoſtolicæ ſedis obtineant.

IN
[a]CONCILIVM LATERANENSE III.

[b]OECVMENICVM ET VNIVERSALE VNDECIMVM approbatum, [c]trecentorum epiſcoporum, [d]pro reformanda in fide & moribus eccleſia, [e]contra hæreſes Catharorum, (quos [f]VValdenſes & [g]Albigenſes alii appellant) & [h]ſchiſmaticos ab antipapis ordinatos celebratum [i]anno Domini MCLXXIX. tempore Alexandri papæ III. & Friderici imperatoris I.

NOTÆ.

[a] *Concilium.*] Hanc Synodum Alexandri papæ auctoritate congregatam fuiſſe indicat Otto Friſingenſis lib. 7. cap. vltimo his verbis: *Alexander vniuerſalis totius eccleſiæ pater canonice confirmatus eſt, qui ſecundo confirmationis ſuæ anno maximum Romæ Concilium congregauit, in quo plures epiſcopos ſchiſmaticos, & plures diuerſorum ordinum per ipſos ordinatos degradauit & damnauit.* Robertus continuator Sigeberti anno 1179. in appendice: *Alexander papa*, inquit, *miſit Octauianum ſubdiaconum Romanæ eccleſiæ ad Rothomagenſem prouinciam, vt conuocaret archiepiſcopum & ſuffraganeos eius & abbates illius prouinciæ. Et miſit ſimiliter alios ſubdiaconos ad orientem, & occidentem, & meridiem, & ſeptemtrionem, vt conuenirent ad Concilium generale, quod erat futurum proxima quadrageſima in ciuitate Romæ. Epiſtola congregandi Concilii ad omnes epiſcopos ſcripta extat ſupra, ex bibliotheca abbatis Florentini accepta.* Hæc de Concilio Romani pontificis auctoritate anno 1178. indicto. De celebratione actiſque eiuſdem Concilii paulo infra ait: *Anno* 1180. *Alexander papa tertius tenuit generale Concilium Romæ media quadrageſima, cuius decreta, quæ ab eo, & ab aliis coepiſcopis eius ibi conſtituta ſunt, apud nos habentur.* Acta Concilii prodierunt in lucem per Bartholomæum Laurens, Poin cognominatum, qui in præfatione (quam infra ante appendicem Lateranenſis Concilii inuenies) profitetur ſe eadem ex quodam manuſcripto volumine pergamenico deſcripſiſſe. Et ſicut ille appendicem huius Concilii ab actis putauit non eſſe diuidendam, quamquam certo ſibi perſuaderet eamdem ad hanc Synodum non pertinere: ſiquidem nihil aliud ſit quam quædam compilatio capitulorum, & decretorum pontificiorum, quæ a diuerſis pontificibus, quorum alii Alexandrum anteceſſerunt, alii ſubſecuti ſunt, edita & conſtituta fuerunt; ita ego eamdem appendicem & com-

Hæc Synodus ab Alexandro papa indicta eſt.

Acta Concilii vnde accepta?

Cur præfatio Bartholomæi cum indice appendicis actis ſynodalibus poſtpoſita.

pilationem suo loco relictam esse volui, nisi quod præfatiunculam illam Bartholomæi Laurens, vna cum indice rerum in appendice contentarum, immediate ipsi appendici præfigi, actisque synodalibus postponi curauerim, ideo quod nullum summarium, vel titulum alicuius capituli Lateranensis comprehendat. Titulos capitulis Lateranensibus præfixos ego ex editione actorum synodalium, quæ extant apud Rogerum de Houeden, annalium Anglicanarum scriptorem, desumpsi. Lectio capitulorum variat: ordo quoque plane diuersus est; tamen superuacaneum esse putaui, eam dumtaxat ob rem, secundam capitulorum editionem inserere. ANNO CHRISTI 1179.

Tituli capitulorum vnde accepti?

Oecumenica Synodus.

[b] *Oecumenicum.*] Synodum hanc vniuersalem & œcumenicam fuisse præter auctores supra nominatos ipsa ratio persuadet: nimirum, quia omnes scriptores fatentur eidem Concilio pontificem Romanum præsedisse, eique plures orientalium per se vel per suos legatos interfuisse.

Numerus episcoporum quantus?

[c] *Trecentorum episcoporum.*] Quia Guilielmus Tyrius, qui huic Concilio præsens interfuit, aperte fatetur trecentos episcopos præsentes fuisse, hac in re eiusdem sententiæ accedendum esse putaui, quamtumuis initio actorum scribantur ducenti octoginta episcopi dumtaxat congregati fuisse. Verba Tyrii libro 21. belli sacri, cap. 26. ista sunt: *Anno ab incarnatione Domini* 1178. *qui erat regni domini Balduini quarti annus quintus, mense Octobri, cum anno præcedente indicta esset per vniuersum Latinorum orbem Romæ Synodus generalis, ad eamdem Synodum vocati profecti sunt de nostro oriente, ego Vilhelmus Tyrensis archiepiscopus, Albertus Bethlehemita episcopus, Heraclius Cæsariensis archiepiscopus, Rodulphus Sebastenus episcopus, Iotius Aconensis episcopus, Romanus Tripolitanus episcopus, Petrus prior ecclesiæ dominici sepulcri, Rainaldus abbas ecclesiæ montis Sion,* &c. Cumque ea quæ in itinere sibi acciderant retulisset, subiungens ait: *Per idem tempus* (nimirum 12. Kalendas Aprilis) *Romæ celebrata est Synodus in basilica Constantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum episcoporum, pontificatus domini Alexandri vigesimo, mense Martio indictionis duodecimæ quinta die mensis. Cuius si quis statuta & episcoporum nomina, numerum & titulos scire desiderat, relegat scriptum, quod nos ad preces sanctorum patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter: quod inter ceteros, quos eidem contulimus ecclesiæ libros, cui iam sex annos præfuimus, iussimus collocari.* Hæc de numero episcoporum & tempore habiti Concilii œcumenici Tyrius prædicto loco. Ex Scotia & Anglia qui, quales, & quot episcopi præsto fuerint, & quo loco pontifex sederit, Rogerus prædicto loco enarrat his verbis:

Ex oriente qui adfuerint?

Ex Scotia qui, quales, & quot episcopi interfuerint?

Post natale Domini venerunt de Hibernia in Angliam Laurentius Dublinensis, & Catholicus Tuamensis, archiepiscopi, & quinque vel sex episcopi Romam ad Concilium ituri. Similiter de regno Scotiæ transierunt per Angliam episcopi & abbates quamplures. & illi omnes tam de Hibernia, quam de Scotia, & aliis insulis per Angliam transeuntes, pro licentia transeundi iurauerunt, quod neque regi, neque regno eius damnum quærerent. De Anglia autem quatuor episcopi tantum

ANNO CHRISTI 1179.

tum Romam profecti sunt: videlicet Hugo Dunelmensis episcopus, & Ioannes Norevvicensis episcopus, & Robertus Herefordensis episcopus, & Reginaldus Bathoniensis episcopus, & abbates quamplures. Episcopi autem Angliæ constanter asseruerunt, quod ad generale Concilium domini papæ quatuor episcopi de Anglia tantum Romam mittendi sunt. Congregatis itaque vniuersis Romæ in præsentia domini papæ Alexandri, ipse papa in Lateranensi ecclesia in eminentiori loco cum cardinalibus suis, & præfectis, & senatoribus, & consulibus Vrbis, constitutus, &c. Hæc ille.

[d] *Pro reformanda in fide,* &c..] Acta synodalia summatim & compendiose Matthæus Paris anno Domini 1179. ita describit: *Eodem anno habitum est Concilium generale trecentorum & decem episcoporum, 14. Kalendas Aprilis in patriarchio Lateranensi, cui præsedit dominus papa Alexander III. Cuius statuta omni laudè dignissima sub viginti octo, quæ sequuntur, capitulis continentur. De electione summi pontificis. De hæreticis Albigensibus, & diuersis eorum appellationibus. De ruptariis & Brebantiis prædonibus, qui fideles affligunt. Quod nullus promoueatur in episcopum vel ad aliquem ordinis gradum, nisi legitimæ sit ætatis, & de legitimo matrimonio susceptus. Ne viuentibus personis ecclesiæ conferantur, nec illis defunctis, nisi vltra sex menses vacent. De appellationibus. Ne intra sacros ordines constituti, vel qui ecclesiasticis sustentantur stipendiis, rebus se immisceant sæcularibus. De treguis statuendis, & temporibus treguarum. Quod clerici vnam habeant tantum ecclesiam, & quod episcopus, si aliquem sine certo ordinauerit titulo, tamdiu necessaria inueniat, donec ei in aliqua ecclesia stipendia assignet. Ne patroni vel quilibet laici ecclesias opprimant, aut ecclesiasticas personas. Ne Iudæi vel Saraceni Christianæ mancipia permittantur habere, sed ad fidem Christi si conuerti voluerint, a possessoribus suis nullatenus excludantur. Vt leprosi, si excluduntur a cohabitatione hominum, oratorium habeant & proprium sacerdotem. Ne bona ecclesiastica in vsus alios conuertantur, nec decani pro certa pecuniæ quantitate iurisdictionem exerceant episcopalem. Vt in electionibus vel ecclesiasticis ordinationibus consequatur effectum, quod a maioris & senioris Concilii parte fuerit constitutum. Quod vsurarii manifesti ad communionem altaris non admittantur, nec Christianam habeant sepulturam. Vt agricolæ & viatores, & omnia quæ sua sunt, plena vbique pace & securitate latentur. Vt ordinationes a schismaticis factæ, irritæ habeantur & inanes, & beneficia ab eis collata reuocentur. Ne pro ecclesiasticis instituendis personis, seu mortuis sepeliendis, aut nubentibus benedicendis, vel aliis ecclesiæ sacramentis, aliquid exigatur. Ne viri religiosi vel quilibet alii, ecclesias vel decimas præsumant de manu suscipere laicorum, sine auctoritate episcoporum, & non nisi semel in anno Templarii siue Hospitalarii ecclesias sub interdicto positas aperiant, nec corpora sepelire tunc præsumant. Ne quis interuentu pecuniæ habitum religionis vsurpare præsumat, nec conuersus peculium habeat, nec facti prælati non nisi pro dilapidatione vel incontinentia degradentur. Ne Christiani Saracenis arma vendant, nec patientes naufragium,* Acta Concilii.

quisquam spoliare præsumat. Vt clerici intra sacros ordines constituti, continenter viuant, & si in illa incontinentia, quæ contra naturam sit, deprehensi fuerint laborare, excommunicentur, & a clero abiiciantur. Vt archiepiscopi parochias vel ecclesias visitantes, quadraginta vel quinquaginta equorum numero sint contenti; episcopi, viginti vel triginta; legati, vigintiquinque; archidiaconi, quinque vel septem; decani, duarum euectionum numerum non excedant. Vt nullus torneamenta exercere præsumat, & mortui in torneamentis Christiana careant sepultura. Quod vnaquæque cathedralis ecclesia magistrum habeat, qui pauperes scholares & alios doceat, nec pro licentia docendi aliquis precium exigat. Vt prælati vnam tantum regant ecclesiam, & quod patroni ab ecclesiis in suo fundo constitutis exactiones non faciant. Ne episcopi seu viri ecclesiastici stare compellantur iudicio laicorum, nec laici laicis decimas conferre præsumant. Si quis ab aliquo commodata pecunia possessiones in pignus acceperit, si deductis expensis sortem suam receperit ex fructibus possessionis, pignus restituat debitori. ANNO CHRISTI 1179.

Præter ea quæ supra commemoraui, Rogerus ista habet: *Congregatis itaque vniuersis, quos supra recensui, episcopis, Romæ in præsentia domini papæ Alexandri; ipse papa in Lateranensi ecclesia in eminentiore loco cum cardinalibus suis & præfectis & senatoribus & consulibus Vrbis constitutus feria secunda tertiæ hebdomadæ quadragesimæ, quæ tertio Nonas Martii euenit, primum Concilii sui diem celebrauit quarta feria sequentis hebdomadæ, quæ secundo Idus Martii euenit. In quo Concilio Vilielmus Rhemensis archiepiscopus factus est cardinalis ad titulum sanctæ Sabinæ; & Henricus abbas Claræuallensis factus est episcopus cardinalis Albanensis; & dominus papa tertium diem Concilii sui celebrauit secunda feria ante dominicam In ramis palmarum, quæ decimoquarto Kalendas Aprilis euenit. In quibus hæc decreta subscripta generaliter obseruanda constituit:*

De Romano pontifice eligendo.

Licet de vitanda discordia, *&c.*

Prout supra habentur in actis, nisi quod ordo capitulorum sit hic alius. Circa finem vltimi capituli ista subiungit:

His itaque decretis promulgatis, & ab vniuerso clero ac populo circumstante receptis, episcopi & ceteri viri ecclesiastici, qui conuenerant, cum munere benedictionis licentiam repatriandi accipere meruerunt.

Hæc Rogerus de actis Concilii Lateranensis.

In hoc eodem Concilio Lateranensi episcopi illi Germaniæ, & alii qui contra Alexandrum secuti fuerant imperatorem schismaticum, schisma abdicantes, veniam supplices postularunt, hac forma præscripta:

Albertus Stadensis in

Ego N. anathematizo, & recuso omnem hæresin ex-

ANNO CHRISTI 1179. tollentem se aduersus sanctam Romanam ecclesiam catholicam, præcipue vero schisma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico, & modo inantea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ, & domino meo Alexandro, & successoribus eius iuste intrantibus; ipsique seruiam absque omni malo ingenio contra omnem hominem secundum ordinem meum. Consilia eius quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum pandam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum: legatum ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam & reducam, & iuuabo expensis. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta euangelia. His vero verbis dabantur pallia ipsis: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & in honorem Dei genitricis, & in honorem apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ ecclesiæ Romanæ, & domini papæ Alexandri tradimus tibi pallium, sumptum de beatissimo corpore Petri apostoli, vt eo vtaris in confectione sacramentorum, & corporis & sanguinis Domini, & consecratione ecclesiarum & chrismatis, & ordinatione clericorum, & celebratione Synodorum secundum ecclesiæ tuæ consuetudinem. chron. & apud Crantzium eccles. hist. Sax. lib. 7. c. 31.

Quæ præterea in eodem Concilio transacta sunt cum Germanis, Helmoldus sic narrat huius temporis auctor: *Pergebant illuc multi ordinati a schismaticis, sperantes se gratiam apostolici inuenire, & mitras exequendi officii ab eo consequi. Præcipue autem de ecclesia Halberstadensi, quæ per Geronem nimis demembrata erat, tam monachi, quam clerici clementiam apostolicæ sedis adierunt. In qua profectione præcipue erat abbas Theodoricus de *Hilseneburg, quia fere omnis congregatio monachorum suorum in salicibus organa sua suspenderant, exceptis paucis senioribus, qui ante schisma ordinati fuerant. Cumque omni instantia instarent, pulsantes apostolicam pietatem, tandem de ordinatis Geronis dispensatum est, vt quia idem Gero non a schismatico, sed a catholico, Hartuuico videlicet Bremensi archiepiscopo, ordinatus fuerat, ordinati eius per gratiam apostolicam in ordinibus suis persisterent, & ad maiores per benedictionem ascenderent. Ipse etiam Gero hanc obtinuit gratiam, vt officium pontificale in omni loco libere exequeretur, vt in episcopatu Halberstadensi. Venit etiam illuc dominus Bertoldus Bremensis electus in promotione officii sui susceperus apostolicam benedictionem. Quem dominus papa benigne suscipiens, de promotione eius instantissime tractare cœpit. Ipsi etiam omnem honorem deferebat, ita vt in Concilio prælatorum cathedram suam inter summos pontifices collocaret, & eum infulatum coram se residere faceret. Cumque in proxi-* Helmoldus chron. lib 2. cap. 28.

*Hilseneburg

mo ſabbato promouendus eſſet in ſacerdotem, & ſequenti dominica in epiſcopum: feria ſexta ad veſperam venit nuntius ducis Henrici, Otto præpoſitus, qui erat acerrimus perorator: & quia idem notus erat ſummo ſacerdoti, ſtatim intrauit ad ipſum. Mane autem facto, cum ſe Bremenſis electus ad ſuſcipiendos ordines præpararet, & ei Humbaldus cardinalis, qui poſt Alexandrum factus eſt Lucius, in quo ſumma conſilii Romanæ eccleſiæ pendebat, præparaturam ſuam, eo quod inhoneſtior non eſſet, deputaſſet, dictum eſt a cubiculariis domini papæ: Veniant Bremenſes. Venit igitur dominus electus cum ſuis, & dominus apoſtolicus egreſſus de cubiculo ſuo dixit ad eum: Frater, quia infra ſacros ordines ad honorem pontificatus electus es, caſſamus electionem tuam. Cumque quidam aſtantium dicerent: Domine, meminerit pietas veſtra, quod electionem ipſius approbauerit. Apoſtolicus in cubiculum vnde egreſſus fuerat, reuerſus eſt: Bertoldus autem non ſine rubore diſceſſit. Anno Chriſti 1179.

Crantzius lib. 7. cap. 4.

Sed petamus acta ipſa narrata diffuſius apud Albertum abbatem Stadenſem, ſed male anno ſequenti, a quo & ſumpſere alii recentiores, his verbis: *Bremenſis eccleſia tum quoque innouabat pontificem. Nam anno Chriſti ſeptuageſimooctauo poſt milleſimum centeſimum Balduinus exceſſit humanis rebus, cum ipſa die eſſet ſuæ depoſitionis literas a Romano pontifice accepturus. Et quidam Bertoldus vir inſignis literaturæ eligitur, vt præueniatur Henrici ducis molitio. Solus Otto præpoſitus ab hac electione appellabat, prætendens Sifridum marchionis Alberti filium epiſcopum iam dudum Brandeburgenſem in eam ſedem ſuſtolli, quod etiam poſt multa prouenit. Aſcenderat Bertoldus electus ad Concilium Lateranenſe, quod Romæ audierat congregari, petiuitque conſecrationem, certiſſimus ſpei, quod omnia ex voto conſequeretur. Sed pridie ſederat in Concilio inter epiſcopos infulatus, cum tamen non eſſet preſbyter, vnde magnam contraxit inuidiam. Aderat illi quidam magiſter Gerardus, qui pro illo allegabat in Concilio his verbis: Domine pater, ecce Bremenſis eccleſia concordi & vnanimi voto offert tibi ſponſum ſuum magiſtrum Bertoldum virum vtique dignum & moribus approbatum, ſcientia decoratum, liberalibus artibus inſtructum, vtriuſque teſtamenti pagina eruditum, decretorum & legum induſtria peritum, virum (vt apparet) perſonatum canonice, & ſine contradictione electum; petitque a te hodie accipere gradum ſacerdotii, & cras epiſcopalem benedictionem.*

Papa breuiter ad hæc: Credimus tibi dicenti, magiſter, ſed ſcriptum eſt: Manum nemini cito impoſueris. *Loquamur cum fratribus noſtris, audiamus formam electionis. Examinantur Bremenſes per duos cardinales, Rainerium Papienſem, & Ioannem Neapolitanum, & inuenti ſunt diſcordare. Papa in conſiſtorio ſuo ſententiam dixit: Fratres, vidimus electum veſtrum: placet perſona, placet ſcientia, placet eloquentia, placent etiam (quantum nouimus) mores: verum modus electionis diſplicet, præſertim quia eſt infra ſacros ordines, non dico ſubdiaconatum, ſed acoluthatum, electus; quo gradu ſecundum rigorem iuris licet contrahere matrimonium, quod canonicis obuiat inſtitutis. Appellationem quoque ſuper hoc factam audiuimus, quam coactus eſt reſignare appellator; inſuper ſe denuo fecit eligi, & ſecunda electio caſſauit primam. Præterea ele-*

ANNO CHRISTI 1179.

ctus vester ante sacros ordines accepit regalia de manu imperatoris. Hæc non admittunt dispensationem de facili; & alia quæ prætermus. Inde est, quod electionem vestram infirmam & irritam pronuntiamus. Data sententia, volenti loqui deposito non est data audientia: sed ostiarii clamabant: Leuate, andate, andate, andate. Hactenus acta Concilii in causa Bremensis electi.

Spectant ad eiusdem Romani Concilii acta, quod Græcorum schismaticorum legatus Nectarius abbas, eadem qua venit animi indurata nequitia atque peruersitate, inflexus & obstinatus, post prolixas disputationes est reuersus ad suos, a quibus tamquam in Olympiacis victor est receptus. Significant ista literæ, quas ad ipsum tunc temporis dedit Georgius Corcyræ episcopus, & ipse eadem fuligine tinctus, & morbo affectus, his verbis:

Sapientissimo præposito sancti monasterii Casulorum, & meo dilecto fratri in spiritu domino Nectario Georgius Corcyræ metropolita, & tuarum precum egens.

QVÆRVNT multi cur tu, optime Nectari, & ego tanto tempore taceamus, qui priores illas frequentes nostras mutuas literas nouerunt, ac illas tribuunt amori illi, qui ex mutua aliqua necessitate oriri solet: & hac de causa intermissas literas autumant, quasi amicitiæ nostræ vincula sint disrupta. Ego vero iis, qui a me hæc scisciantur, illud respondere soleo: Annon habemus facultatem vterque nostrum tacendi, & loquendi; vel vtrum ad scientiæ ostentationem id facere oportet, instar garrularum auium? aut quemadmodum in Dodona quondam æs illud perpetuo tempore tinniebat, ita & nobis etiam faciendum? Vel vtrum solus ego & Nectarius debemus loquendi studio nauare operam? cum præsertim Sapientem nobis præcipientem audiamus, quod sapientium labia obstringuntur silentio, & suo tempore clauduntur opportune, & aperiuntur; & quod vir prudens silentium voueat, & linguæ frenum imponit, ne huc illuc deferatur. Sunt enim hæc tempora valde periculosa, & præcipitiorum plena. Hæc equidem respondere soleo illis, qui silentii nostri impatientes causas scire contendunt.

Ipsi vero non abstinent propterea, quin potius instantius nos vrgent, huiusmodi verbis: Dic nobis, domine, vtrum ferendum & tolerabile tibi videtur, sapientissimi Nectarii silentium vlterius progredi? Vtrum tibi videtur

honestum, vt nos nihil audiamus de illius profectione ad vrbem magnæ gloriæ Romam? vel de eius impetuoso quodam motu a Deo concitato? dum fama per nostras discurrit aures, quod ipse Nectarius ita ingenue & intrepide se gesserit ibi cum aduersariis, vt omnino non quasi iudicandus, sed iudicaturus potius, & damnaturus accesserit prauos hæreticorum errores. Gladius enim factus est, veritatem segregans a mendacio, & ignis accensus est, qualem venit vt poneret super terram Christus Dominus, qui deprauantes dogmata foret combusturus, & eos, qui veritati accederent, illuminaturus, nec non refrigeraturus: vt vtrique parti admirabilis apparuerit; alteri quidem, quod tale a Deo firmamentum obtinuerit; alteri vero, quod quasi esset libra quædam, & gnomon exquisitus, eorum cogitationes obliquas optime correxerit. Cum inde fuerit reuersus, & quasi alter Olympionices multis ornatus venerit coronis & præmiis, oporteret, vt ipse nobis non inuideret, & suarum iucundissimarum narrationum nos participes faceret, quandoquidem ab eius aspectu, & loco suorum certaminum ita longe abfuimus. Ita quidem alius hinc, alius aliunde magna cum instantia mecum contendunt. Ego vero cum non valeam quidquam respondere adeo validis obiectionibus, eo deuenio, vt omnino obmutescam, nec possim effugere captiones eorum, qui nec cessabunt, nisi tu ipse nectarea tua aperueris labia, & narraueris ea, quæ coram vertice illo apostolis comparando, summo videlicet pontifice, & cum reliquo corpore illius, quæ ibi est ecclesiæ, optime differueris, & certaueris propositum tibi certamen, cursum consummaueris, & fidem seruaueris, vt reposita corona iustitiæ tibi sit merito expectanda, quam tibi reddet pulcerrimam in extremis temporibus iustus iudex Dominus, qui certamina proponit & præmia seruis suis vt par est. Me vero, qui iam de salute corporis desperaui mei præ grauitate dolorum, qui me nimis angunt; vel ab his doloribus liberet Deus tandem, vel me doceat æquo illos animo ferre, si sua summa prouidentia, vt hæc patiar, conducibilius mihi fore decreuit. Saluta meo nomine dominum Ioannem.

Anno Christi 1179.

Luc. 12.

Hæc ex codice Metiano, ex quo ad eumdem Nectarium, quæ eiusdem Georgii episcopi Corcyræ breuior extat, epistolam describa-

ANNO CHRISTI 1179. mus: delectat quippe audire Græcum antiquitatis Atticæ quidpiam redolentem, vtinam & pietatis:

Sapientissimo domino & dilecto fratri præposito sanctissimi monasterii Casulorum domino Nectario minimus metropolita Georgius.

FELICITATEM hanc iudico quouis lucro maiorem, quod tuæ sim vicinus sanctitati, & permaneam in extrema huius maris ora, & aliud mare, virtutis scilicet, & sapientiæ, & doctrinæ, venerandum caput tuum reperererim. Si enim segregatus ego a sancto illo Athenarum præsule, multis rerum vicissitudinibus hinc inde iactatus sum, habeo saltem te portum multiplicis consolationis & refrigerii. Et licet nos ab inuicem segregent maria, & oppositi sinus, & portus, literis tamen quasi quibusdam nauiculis vehemur; & ego iam incipio, vt ad te per mare transuehar, hoc pacto. Impono autem epistolæ scypho præter vnum, quod ferri possit (corpus autem tale portatile intelligo) omnia quæcumque mihi sunt, sincerum videlicet amorem, veritatem puram, orationes & preces pro tua salute feruentes, & sine intermissione. Num tibi videntur parua hæc, & nullius momenti? vel potius magni precii, & felices merces? Num tales portare potuit Salomoni regi nauis illa ad Tharsenses missa, & inde tertio quoque anno reuertens onusta? *sed plusquam Salomon hic* (vt aliquid ex verbis Domini ipse mutuer) tum propter maximum eorum precium, quos diximus habituum; siquidem habitus sunt virtutes; præcipue vero propter mentis altitudinem tuæ, instar Salomonis, & propter cordis tui effusionem, & mentis latitudinem. Dicta hæc mihi sint pro temporis conditione, & quia syllabarum harum portitores festinare me cogebant & vrgebant. Si vero Deus diem tranquilliorem nobis largietur, prolixius, &, vt scientiæ ratio postulat, agemus cum tua sanctitate. Cupio enim summopere tuam audire linguam, & sermonem, & exactiorem opto congressum. Degustaui siquidem aliquando, præcipue Byzantii, cum dominus Pelagius te secum trahebat, & ego legatione fungebar pro Athenarum episcopo, orbis scilicet lumine, eius vices sustinens. Sed parce, sapientium virorum præstantissime, & cum fraterna dilectione mu-

2. *Paralipomenon* 9.

Matth. 12.

tuas orationes & preces pro nobis mitte, quæ Deum nobis propitium reddant. ANNO CHRISTI 1179.

Hactenus de his quæ spectant ad Nectarium, qui contra Latinos in Synodo pro Græcorum erroribus stetit obstinatissime. Sed reliqua eiusdem Synodi percurramus.

Delata fuit accusatio in eodem Concilio a quibusdam Alexandro papæ aduersus scriptum Petri Lombardi episcopi Parisiensis, quod male sensisset de Christi humanitate, & in aliis fidei articulis ab ecclesia catholica deuiasset. Tunc Alexander papa has dedit literas ad VVillelmum archiepiscopum Senonensem his verbis:

Recitat eas Matthæus Paris in historia Anglicana hoc anno.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei, VVillelmo Senonensi archiepiscopo salutem.

CVM in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viua voce iniunximus, vt suffraganeis tuis Parisiis tibi adscitis, ad abrogationem prauæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis episcopi, qua dicitur, Quod Christus, secundum quod est homo, non est aliquid; omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi, cum præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios conuoces, & vna cum illis, & aliis viris religiosis & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare; & a magistris scholaribus ibidem in theologia studentibus Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore consistentem præcipias edoceri: vniuersis firmiter & districte iniungens, quod doctrinam illam de cetero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.

Hæc tunc Alexander papa, quæ nauiter per eumdem Senonensem archiepiscopum impleta fuisse liquet.

Hæreses Catharorum.

[e] *Contra hæreses Catharorum.*] Ita nominantur Canone vltimo supra in actis huius Concilii. Quorum hæreses quatuordecim, de mundo a dæmonibus facto, de baptismo paruulis negato & vsu lacticiniorum damnato, deque omnium sacramentorum contemptu Guido enumerat. Quid de iis sentiat Sanderus in visibili monarchia ecclesiæ, dicam infra verbo, *Albigenses*.

Vvaldensium hæreses quæ?

[f] *Vvaldenses.*] Ita Bellarminus, Genebrardus, Onufrius, aliique plures, nescio quo auctore. Probabile est, eodem testante Guidone Carmelita, anno Domini 1170. in Gallia istis locis, quorum mentio fit supra in hac Synodo Canone vltimo, exortos hoc Concilio

ANNO CHRISTI 1179. lio Romæ condemnatos fuisse. Inter multa dogmata, quæ iis Guido Carmelita, Bernardus Lutzemburgensis, Antoninus 4. parte, tit. 11. cap. 7. §. 2. & Sanderus in monarchia visibili attribuunt, hæc sunt potissima: Romano pontifici non esse obediendum; eius decreta nullius esse momenti: a iudicio sanguinis simpliciter omnibus esse abstinendum: laicos iustos consecrare & absoluere posse: sacerdotes impios potestatem consecrandi & absoluendi amittere. Semel tantum in anno, idque in cœna Domini, absque forma verborum: *Hoc est corpus meum*, dicendo septies *Pater noster*, & benedicendo panem & vinum consecrabant. Indulgentias per prælatos ecclesiæ datas irridebant; purgatorium, sanctorum inuocationem, & miracula in ecclesia fieri posse negabant; tres tantum ordines, diaconatum, presbyteratum & episcopatum admittebant; dies festos, ieiunia ecclesiæ, salutationem angelicam, & symbolum apostolorum contemnebant. Vrente carnis libidine omnem carnalem commixtionem licitam esse; perfectos manibus laborare non debere, omneque iuramentum prorsus illicitum esse docebant.

VValdenses professione monachi.

VValdenses genus quoddam monasticæ vitæ professos esse, & sedem apostolicam ab initio coluisse, donec hypocrisin suam ab ipsa nullo modo approbatam iri viderent, testatur huius temporis scriptor abbas Vrspergensis in chronico anno Domini 1212. his verbis: *Exortæ sunt duæ religiones in ecclesia, cuius vt aquilæ renouatur iuuentus, quæ etiam a sede apostolica sunt confirmatæ, videlicet Minorum fratrum, & Prædicatorum. Quæ forte hac occasione sunt approbatæ, quia olim duæ sectæ in Italia exortæ adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Lugduno se nominabant; quos Lucius papa quondam inter hæreticos scribebat, eo quod superstitiosa dogmata & obseruationes in eis reperirentur. In occultis quoque prædicationibus, quas faciebant plerumque in latibulis, ecclesiæ Dei, & sacerdotio derogabant. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Lugduno, apud sedem apostolicam cum magistro suo quodam, vt puto, Bernhardo; & hi petebant sectam suam a sede apostolica confirmari, & priuilegiari. Sane ipsi dicentes se gerere vitam apostolorum, nihil volentes possidere, aut certum locum habere, circuibant per vicos & castella. Ast dominus papa quædam superstitiosa in conuersatione ipsorum eisdem obiecit, videlicet quod calceos desuper pedem præcidebant, & quasi nudis pedibus ambulabant. Præterea cum portarent quasdam cappas, quasi religionis, capillos capitis non attondebant, nisi sicut laici. Hoc quoque probrosum in eis videbatur, quod viri & mulieres simul ambulabant in via, & plerumque simul manebant in vna domo, vt de eis diceretur, quod quandoque simul in lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipsi asserebant ab apostolis descendisse. Ceterum dominus papa in loco illorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant pauperes Minores, confirmauit: qui prædicta superstitiosa & probrosa respuebant, sed præcise nudis pedibus tam æstate quam hyeme ambulabant, & neque pecuniam, nec quidquam aliud præter victum accipiebant, etsi aliquando vestem necessariam quisquam ipsis sponte confere-*

bat ; non enim quidquam petebant ab aliquo. Hi tamen postea attendentes , quod nonnunquam nimiæ humilitatis nomen gloriationem importet , & de nomine paupertatis , cum multi eam frustra sustineant , apud Deum vanius inde gloriantur , maluerunt appellari Minores fratres , quam Minores pauperes , apostolicæ sedi in omnibus obedientes. Alii , videlicet Prædicatores , in locum Humiliatorum succesisse creduntur. Humiliati quippe , nulla habita auctoritate aut licentia prælatorum , mittentes falcem in messem alienam , populis prædicabant , & vitam eorum plerumque regere satagebant , & confessiones audire , & ministeriis sacerdotum derogare. Quæ volens corrigere papa , ordinem Prædicatorum instituit & confirmauit. Illi quippe rudes & illiterati cum essent , operibus manuum instabant , & prædicabant , accipientes necessaria a suis credentibus : isti vero studio & lectioni sacræ scripturæ iugiter insistentes , tantum in scribendo libros opus faciebant : & eos diligentissime a magistris suis audiebant , vt cum sagittis & arcu & omni armatura fortium possent ingredi , & stare pro defensione sanctæ matris ecclesiæ , & ex aduerso ascendere , & ponere se murum pro domo Israel , dum fidem roborant , virtutes instruunt , statuta ecclesiæ docent & collaudant , vitia hominum & prauitates redarguunt & castigant. Nihilo minus sedi apostolicæ in omnibus obediunt , a qua auctoritatem præcipuam trahunt. Hæc ille. Anno Christi 1179.

Guido Carmelita , qui vixit ante annos ducentos & plures, in summa de hæresibus : *Secta* , inquit , *VValdensium incepit circa annum Domini* 1170. *Fuit VValdesius ciuis Lugdunensis , qui diuitias reliquit vt pauper fieret , & Christum sequeretur , & euangelicam perfectionem seruaret. Sed errore prauæ intelligentiæ scripturarum ipse & eius sequaces ab vnitate & obedientia ecclesiæ alienati per schisma in hæresin sunt prolapsi.* Hæc Guido.

Trithemius in chronico Hirsaugiensi anno Domini 1170. *His* , ait, *temporibus pernicioſa hæresis VValdensium cœpit per quemdam Lugdunensem ciuem diuitem , qui relictis omnibus paupertatem euangelicam profitebatur.* Æmilius de gestis Francorum libro 6. *Per idem tempus ordines duo abrogati , Humilium , ita se vocitabant , & Pauperum de Lugduno , qui neque fundos sui iuris , neque certas sedes habere volebant : errabant , mulieres idem professas secum circumducebant , nec cubare dicebantur. Prædicatorum , Minorumque ordines , conditoribus Dominico & Francisco , saniores visi ; hoc remedio illi priores sublati.* Hæc de origine, statu, & qualitate VValdensium Æmilius.

Albigenses damnati.

[g] *Albigenses.*] Hanc Synodum contra Albigensium hæresin in Albigio exortam celebratam fuisse , testantur Matthæus Paris verbis supra recensitis , & Sanderus lib. 7. de visibili monarchia , qui contra primum Catharorum errorem Concilii Lateranensis capitulum 27. allegans ait , pro Albegesio , vt habent verba capituli , legendum esse Albegesio: *Verum ex locis* , inquit, *quibus Cathari vixerunt , eorumque erroribus quos docuerunt , apparet , eos non propriam hæresin condidisse ; sed Henricianorum portionem fuisse , ac forte eosdem cum Albigensibus.* Ita Sanderus.

ANNO CHRISTI 1179.

De Albigensium hæresibus Sanderus iterum in visibili monarchia: *Ponebant*, inquit, *duo principia, malum & bonum, id est, Deum & diabolum, quem credebant creasse corpora omnia. Corporum resurrectionem negabant. Quidquid beneficiis a mortuis impenditur, irrident. Ire ad ecclesias, vel in iis orare, nihil dicunt prodesse. Baptismum abiiciunt. Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemant. Negant nouas animas a Deo infundi; sed animarum transmigrationem de corpore ad corpus, etiam animalium & serpentum, docent.* Hæc ex Bernardo Lutzenburgensi. Et paulo post subiungit: *Dicunt Christum nec fuisse verum Deum, nec verum hominem. Quod ante aduentum Christi non fuerint aliqui boni. Quod malus homo non potest esse episcopus, vtpote cuius vita subditis obsit. Quod ecclesia non possit aliquid possidere, nisi in communi. Quod ecclesia non potest facere constitutiones. Quod ecclesia non potest excommunicare, nec malos persequi. Quod peccatum originale nihil est. Quod extremæ vnctionis sacramentum nihil est. Quod peccatum non est ex libero arbitrio. Quod non potest quis pœnitere post peccatum. Quod non est confitendum. Quod infernus nihil est. Purgatorium nihil esse. Quod mundus semper fuit & semper erit. Quod matrimonium malum est. Quod vsuræ non sint prohibitæ. Quod non tenetur quis restituere ablata.* Hæc de Albigensium hæresibus ex Antonini summa Sanderus prædicto loco. Plura de iisdem in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. reperies. De Albigensium hæresibus, eorumque damnatione actum est supra in Concilio Gallicano sub Alexandro III.

Albigensium hæresis quæ?

[h] *Schismaticos ab antipapis.*] Hac de causa actum fuisse in Concilio, præter testimonium Ottonis Frisingensis supra recensitum, aperte indicatur verbis capituli 2. huius Concilii. Eadem clarius aliquanto a Crantzio recitantur: *Ibi cessit*, inquit, *a schismate Ioannes Calistus, & factus est episcopus Beneuentanus. Archiepiscopi pallia accepta a schismaticis abiecerunt. Christianus Moguntinus, & Philippus Colonienſis per manum Hyacinthi cardinalis receperunt noua pallia, refutantes omnem hæresin & schisma, præcipue Octauiani, Guidonis, & Ioannis, sic in hæc singulis verba iurantibus: Ego N. anathematizo & recuso omnem hæresin extollentem se aduersus sanctam Romanam ecclesiam catholicam, præcipue vero schisma Octauiani, Guidonis, & Joannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico: & modo & inantea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ, & domino meo Alexandro, & successoribus eius iuste intrantibus: ipsique inseruiam absque omni malo ingenio, contra omnem hominem, secundum ordinem meum. Consilia eius, quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis aut membrorum. Legatum ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam & reducam, & iuuabo expensis. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta euangelia. His verbis dabantur pallia: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & in honorem Dei genitricis, & in honorem apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ ecclesiæ Romanæ, & domini Alexandri papæ, tradimus tibi pallium, sumptum de beatissimo corpore Petri apostoli, vt eo vtaris in confectione sacramentorum corporis*

Schismatici & antipapæ damnati.

& sanguinis Domini, & in consecratione ecclesiarum & chrismatis, & ordinatione clericorum, & in celebratione Synodorum, secundum ecclesiæ tuæ consuetudinem. Amen. In Metropoli, libro 7. cap. 3. Platina vero inquit hoc Concilium esse susceptum, tum vt mores curiæ, iam nimia licentia labefactati, corrigerentur: tum vero maxime, vt decerneretur, ne quis ferrum, ligna, aut arma infidelibus, & a religione nostra alienis importaret, idque sub anathematis pœna. Anno Christi 1179.

Tempus Concilii.

[1] *Anno Domini* 1179.] Ita Matthæus Paris, Rogerus de Houeden, & Guillelmus Tyrius, qui huic Synodo interfuit. Qui locis supra recensitis aperte scribunt, hanc Synodum anno Domini 1179. celebratam fuisse.

APPENDIX
AD CONCILIVM LATERANENSE PRÆCEDENS.

Lectori benevolo Bartholomæus Laurens, cognomento vulgari Poin, salutem.

Cur hanc præfatiunculam cum sequente indice postposuerim actis synodalibus, feci tum ob causam supra in notis, verbo, *Concilium*, assignatam; tum etiam, vt titulus Concilii instar aliorum in frontispicio collocaretur.

SYNODVS Lateranensis sub Alexandro III. habita, cum indice sibi præfixo, itemque cum iis quæ sibi adiecta habet, ad quæ præfixus hic index speciatim respicit, sicut paulo post videbis, excerpta est e volumine pergamenico, non illo cuius supra sub Adriano I. & Nicolao II. mentionem fecimus, sed alio ac diuerso, nihil præter illa quæ hic sequuntur, aliud comprehendente: ideoque totum hoc integre, non diuisim, exhibere placuit: quamquam pars ea quæ prima hic asseritur, & in archetypo ita vocatur, seorsim ac specialiter ipsum tantummodo Lateranense Concilium videri potest, cum & archetypi titulus ea tantum in parte hoc præferat, nec omnia quæ deinceps ex ordine sequuntur, Alexandri tertii sint, sed aliquorum etiam qui post eum apostolicæ sedi præfuerunt. Verum quia totus ille archetypi, de quo loquimur, codex eorumdem prope characterum erat: & maxime, quia pars prima, secunda, tertia, & ceteræ deinceps sibi cohærebant: & super omnia, quod dominus Petrus Crab ordinis sancti Francisci de Obseruantia, vnicus ac sedulus archetyporum, quibus in editione Conciliorum anno Domini 1551. vsi fuimus, procurator, istud nobis exemplar vnice commendauit, omittere quidquam ex illo, præsertim quod de textu, vt vocant, esset, neque voluimus, neque ausi sumus. Nam annotationum quæ in archetypo ob marginis capacitatem plurimæ sunt, non potuit in editione hac ob marginis exiguitatem passim haberi ratio. Ceterum quanto labore constiterit archetypi huius, quod propter breuiationes insuetas ac nimias non tam lectore, quam coniectore indiguit, transcriptio: quoniam neminem, nisi quem hoc ipsum archetypon videre contigerit, crediturum putamus, nullum hic verbum facimus, Deo tantum hoc nostræ, quidquid est, opellæ, commendatum volentes.

ANNO CHRISTI 1179.

INDEX EORVM QVÆ IN LATERANENSIS Synodi præcedentis appendice comprehenduntur.

DE SIMONIA.

I. *Ne prælati vices suas ad terminandas causas sub annuo precio committant.*

II. *Ne sacerdos sub annuo precio ecclesiarum regimen suscipiat.*

III. *Quod pro excessibus corrigendis, aut criminibus puniendis, & quod pro examinatione aquæ vel ignis, a clericis vel laicis pœna pecuniaria non debet exigi: & quod pro exactione pecuniæ, non debent personæ suspendi, nec ecclesiæ interdici: & quod a vicariis non debet pecunia exigi, vt eis diuina permittatur celebrare.*

IV. *Quod episcopus ab ecclesia, quam consecrat, potest exigere procurationem moderatã, & nihil aliud.*

V. *Quod in collectione denariorum beati Petri, ecclesiæ vel personæ grauari non debent.*

VI. *Quod ecclesiæ vel personæ in visitatione grauari non debent.*

VII. *Ne prælati in presbyteros tallias & indebitas exactiones exercere, vel eos irrationabiliter grauare, vel inhoneste tractare, aut sine capituli sui iudicio suspendere, aut eorum ecclesias interdicto subiicere præsumant: & quod vnus duas maiores ecclesias non debet habere, quarum vna possit ei sufficere: & quod non debet aliquis sine ordine iudiciario excommunicari.*

VIII. *Episcopus ecclesias, quas de manibus laicorum eripuit, nouis non debet exactionibus prægrauare.*

IX. *Quod a prælatis non debent subditi viliter & inhoneste tractari, vel indebitis exactionibus vel procurationibus grauari: nec eorum ecclesiæ, sine manifesta ratione, & causa rationabili, interdicto supponi.*

X. *Quod ab iis qui ad religionem transire voluerint, non debet aliqua pecunia exigi: nec prioratus vel capellania annua distractione vendi: nec ab eo, cui regimen ecclesiarũ committitur, pro ipsarum commissione precium peti: nec pro sepultura, vel chrismatis & olei perceptione, vlla alicuius precii exactio debet exerceri.*

XI. *Ne quis clericos vel laicos pro suis excessibus pœna pecuniaria mulctare, siue pro examinatione ignis vel aquæ, pecuniam extorquere: aut pro indebita exactione pecuniæ, personas suspendere, aut ecclesias interdicere præsumat: neque ad ecclesias visitandas, nisi semel in anno, aliquis accedat: nisi forte talis emerserit causa, ob quam oporteat eas sæpius visitare: & etiam cum ea moderantia hominum & equitaturarum, quod qui in eis morantur, non debeant exinde merito querulari.*

XII. *Quod ecclesia vel caueæ subter ipsam facta, nec emi potest, nec redimi.*

XIII. *Quod si qui, vt electioni alicuius consentirent, præmium vel aliquod beneficium receperint, & hoc manifestum sit, aut exterius confessi inuite vel legitime conui-*

cti fuerint, ab altaris ministerio perpetuo sunt deponẽdi. Si autem manifestum non sit, nec confessi, nec conuicti fuerint, & tamen postea laborent infamia, eis canonica debet purgatio indici: in qua si defecerint, tamquam tanti sceleris auctores, sunt puniendi.

XIV. *Non esse alicui dandam ecclesiam intuitu operæ.*

XV. *Quod si qui ecclesias simoniace fuerint adepti, & hoc sit notorium, eis debent priuari. Si vero notorium non sit nec publicum, & tamen postea laborent infamia, cum violenta manu vel vi, canonica sui ordinis debet eis purgatio indici: in qua si defecerint, beneficiis perpetuo debent carere acquisitis. Talesque personæ in purgatione debent recipi, de quibus verisimile sit quod non debeant alicuius rei obtẽtu peierare.* Anno Christi 1179.

XVI. *Quod pro regimine scholarum nihil debet præstari.*

XVII. *Quod pro licentia docendi nihil debet exigi aut promitti: promissum vero, remitti: solutum, debet reddi. Si autem huius prohibitionis occasione distulerit quis magistros congruos in locis congruis ordinare, prælatus ex officio suo ibidem poterit viros idoneos instructioni præficere animarum.*

XVIII. *Item de eodem.*

DE DOLO ET CONTVMACIA & calumnia alterius partium punienda.

I. *Quod in ecclesiasticis personis & negotiis rigor nimius non debet exerceri, si propter hoc iustitia non periclitatur.*

II. *Quod victus victori in causis propriis, vbi forte, sicut cautum est, pro absente sententia feratur, debet condemnari.*

III. *Quod si quis causa rei seruandæ in possessionem missus fuerit, & alius intra annum possessionem secundum formam iuris non intrauerit, licet postea veritate tacita, literas a sede apostolica de recuperanda possessione impetrauerit, de proprietate tantum est audiendus.*

IV. *Item de eodem.*

V. *Quod ob peremptorium in die prima citationis factum, vbi magna vrgeat necessitas, potest appellari.*

DE DECIMIS PRÆSTANDIS.

I. *Quod decimæ pro temporalibus non sunt commutandæ.*

II. *Quod de prouentibus molendinorum & piscariarum, & de feno & lana decimæ debent persolui.*

III. *Quod decimæ de feno equitio, pomis, pyris, & apibus, & omni fructu cum integritate debent persolui.*

IV. *Quod seruientibus & mercenariis de frugibus non decimatis debita non debent impendi, & quod de nutrimentis animalium decimæ debent præstari.*

ANNO CHRISTI 1179.

DE CONIVGATIS ET SPONSIS monasterium ingressis, vel ingredi volentibus.

I. *Quod post legitimum consensum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repudiante, monasterium ingredi, & altero in sæculo remanente, si vna caro non sunt effecti.*

II. *Qui inuita vxore monasterium ingressus est, ea petente ad eam debet redire: sed & ea mortua, in sæculo poterit remanere, sed aliam non potest accipere.*

III. *Non debet vir sine vxore, vel vxor sine coniuge ad religionem conuolare, nisi qui remanet tam senex sit, quod sine suspicione possit in sæculo commorari.*

IV. *Si quis absque licentia vxoris monasterium sit ingressus, ea non vouente continentiam, ab episcopo poterit reuocari.*

V. *Si quis habitum religionis susceperit, nondum vero professus est, & postmodum vxorem duxerit, non est cogendus ab ea recedere, & ad religionem transire.*

VI. *Quod non recipitur illius viri apud Deum conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio: nec vllus ad sacros ordines est promouendus, nisi ab vxore continentiam professente fuerit absolutus.*

VII. *Quod vxoratus, nisi vxor eius profiteatur continentiam, & sibi velamen imposuerit, non debet ordinari.*

VIII. *Quod si vir & vxor per carnis commixtionem vna caro non sint effecti, potest alter sine altero conuerti, & alter in sæculo remanere.*

IX. *Quod viro religionis habitum assumente, si vxor suspicione careat, quod volet ad secunda vota migrare, continentiam professa, poterit cum filiis & familia remanere. Si autem talis non fuerit, a sæcularium hominum conuersatione debet se remouere: nec aliquis vxorem tonsurare, & cum ea præsumat habitare.*

X. *Quod post votum simplex, metu interposito factum, permittitur contrahere matrimonium.*

DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIO contracto siue contrahendo.

I. *Quod si quis vxore insciа, aliam sibi matrimonio copulauerit, non potest postea ab ea recedere inuita, ne de dolo suo videatur lucrum reportare.*

II. *Qui fidem dedit de aliqua ducenda, si eam cognouit, & aliam postea acceperit, non est ab ea separandus, sed de fidei læsione pœnitentia iniungenda.*

III. *Si qui infra annos matrimonio aptos fuerint desponsati, a pactione nuptiali non possunt recedere, & ad aliud matrimonium conuolare.*

IV. *Nullus consanguineorum alterius sponsam ætati nubili aptam, aliquando potest sibi matrimonio copulare.*

V. *Qui sub conditione aliquam desponsauerit, non potest eam postea relinquere, quamuis conditio non extiterit.*

VI. *Quod pubes dicendus est, qui*

talis est, vt iam possit procreare.

VII. Quod si quis aliquam infra septimum annum desponsauerit, potest matrimonium cum matre eius postea contrahere, cum desponsationes & matrimonia ante septimum annum fieri non possint, nisi postea consensus interuenerit: & filii ab ea suscepti, a paterna vel materna hereditate non debent prohiberi.

VIII. Quod si qui mutuo consensu se adinuicem receperint, dicentes, Ego te in meam, & ego te in meum recipio: licet alter eorum alii postea se copulauerit, debet ab eo vel ab ea separari, licet carnalis commixtio inter eos fuerit subsecuta.

IX. Quod qui habitum religionis suscepit, si professionem non fecit, & aliquam sibi postea matrimonio copulauerit: non est cogendus ab ea recedere, & ad ecclesiam redire.

X. Si vir dixerit mulierem ab eo cognitam, & ipsa negauerit, standum est viri veritati, si id affirmauerit iuramento: & si ipsa nubili ætate proxima, alicui fuerit desponsata, non licet alicui de consanguinitate viri eam ducere in vxorem: nec fas est sponso, aliquam de consanguinitate puellæ matrimonio sibi copulare.

XI. Matrimonia canonice contracta, non esse leuitate aliqua dissoluenda.

XII. Quod qui iurauit se aliquam ducturum, si postea ad alienas partes se transtulerit ea incognita, liberum erit mulieri ad alia vota transire. Et quod sponsalia, sed non matrimonia, in conditionis euentum recte contrahantur.

XIII. Quod si aliquis vi compulsus, aliquam sibi matrimonio copulauerit, & eam non cognouerit, & aliam postea susceperit, non est cogendus ad primã redire. Anno Christi 1179.

XIV. Quod adulterium adulterio compensatur.

XV. Quod si aliquis aliquam sibi copulauerit, & postea compererit ei coniunctam prima vel secunda linea, vtraque debet perpetuo carere. Si autem in tertio vel supra se gradu contigerint, a secũda debet separari, & primæ adhærere.

XVI. Quod si quis vxore viuente aliam acceperit, vel de ea ducenda ei fidem dederit: ab eius consortio perpetuo debet prohiberi.

XVII. Quod si pari consensu contractum sit matrimonium, & vir ea incognita aliam duxerit, & eam cognouerit: secunda relicta, primæ debet adhærere. Quamquam mulieri desponsatæ & incognitæ liceat ad religionẽ transire, aliam tamen non potest in vxorem sibi copulare.

XVIII. Quod si quis aliquam nubili ætati aptam, in suam receperit, licet postea ab alio desponsetur & cognoscatur, debet primo restitui.

XIX. Quod qui prohibentur coniungi, si postea sese coniunxerint, possunt excommunicari, quousque de matrimonio cognoscatur.

XX. Quod partibus absentibus veritas non potest plenarie inquiri: & quod ad eum, a quo appellatum est, causa non debet remitti.

XXI. Quod si quis pendente lite matrimoniali aliam acceperit, & postea inter ipsum & primam diuortium fuerit celebratum, potest cum secunda remanere. Et quod non est dicendus consensus de præsenti, licet verbis præsentibus exprimatur, qui ex arbitrio dependet alieno.

XXII.

ANNO CHRISTI 1179.

XXII. *Quod si quis aliquam desponsauerit, & eam non cognouerit, si postea aliquis eam acceperit & cognouerit, cum eo debet remanere.*

XXIII. *De eo quod**

XXIV. *Quod ob coeundi impossibilitatem non debet fieri diuortium.*

XXV. *Quod non licet vxorem dimittere sine manifesta causa fornicationis: & tunc, ipsa viuente, tenetur continere.*

XXVI. *Quod licet diuina officia prohibeantur, baptisma tamen paruulorum, & pœnitentia morientium non debet prohiberi.*

XXVII. *Quod qui vnam sororem desponsauerit, si eam non cognouerit, potest aliam sororem sibi matrimonio copulare.*

XXVIII. *Secundum matrimonium solenne primo clandestino præiudicat: & matrimonium contra interdictum ecclesiæ contractum tenet etiam post appellationem.*

XXIX. *Si puberes contraxerint sponsalia, postea reclamantes non sunt audiendi: sed si ambo impuberes & reclamauerint, sunt audiendi: si vero alter pubes, alter impubes, & impubes reclamauerit, est audiendus.*

XXX. *Quod non potest vir & mulier matrimonium suum accusare, nec alii, si octodecim annis tacuerint.*

XXXI. *Actu extrinseco matrimonium præsumitur adimpleri.*

XXXII. *Eorum qui post motam quæstionem, vel ab accusatoribus consanguinitatem didicerunt, testimonium non valere. Nominandæ sunt etiam personæ, & gradus ex vtroque latere distinguendi, nec nisi per iudices discretos, & pacem habentes, debet causa pertractari.*

XXXIII. *Qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, commonendi sunt eam seruare.*

DE POTESTATE IVDICVM DELEGATORVM, & de variis literis diuersis temporibus impetratis.

I. *Licet inhibita fuerit appellatio, a secundo tamen delegato ad primum delegantem potest appellari.*

II. *Accusatores, & eorum fautores iustitiam impedientes, ecclesiastica debent censura coerceri.*

III. *Quod pro varietate literarum, in executione iudicibus est supersedendum.*

IV. *Quod non est standum sententiæ, quæ manifestam continet iniquitatem.*

V. *Iudex delegatus alii vices suas committere potest.*

VI. *Causæ, quæ intra certum terminum decidendæ committuntur, nisi de communi consensu prorogetur, eo elapso expirat mandatum. Et qui ad hortationem iudicis delegati venire neglexerit, secundum iudicis arbitrium poterit puniri.*

VII. *Cum iurisdictio delegatur, omnia videntur delegata, quæ faciunt ad iurisdictionem.*

VIII. *Iudex delegatus causam appellatione remota commissam alii non potest committere re. ap.*

IX. *Quod priores literæ derogant posterioribus, nisi intentio prioris commissionis in posterioribus habeatur. Quod etiamsi cau-*

sa consensu partium alteri fuerit delegata, & alter ignorante altero, tacita priori commissione, eam alii impetrauerit committi, propter dolum & fraudem debet alter in expensis condemnari.

X. *Quod iudex delegatus suam executionem potest demandare.*

XI. *Item de eodem, & si quis ei restiterit, potest eum coercere.*

XII. *Quod ad iustam ordinarii commonitionem causa delegata debet differri, & papa propterea consuli.*

XIII. *Quod non secundum formam in literis expressam, sed secundum rigorem iustitiæ est in causa procedendum.*

XIV. *De eo quod supra 6. Causæ: & si iudex aliter fecerit, & fines mandati excesserit, eius iurisdictio expirat.*

XV. *Quod delegatus secundum priores literas potest in causa procedere, nisi expressim in posterioribus contineatur, causam ipsam ab eius examine subtractam.*

XVI. *Quod qui semel officio suo functus est, de cetero eius iurisdictio cessat.* ANNO CHRISTI 1179.

XVII. *Quod absens causa studii vel peregrinationis, vel alia certa causa ante citationem excusatur, & de eo quod supra 6. Causæ.*

XVIII. *Quod hæc conditio, si preces veritate nitantur, est subintelligenda, etsi non apponatur.*

XIX. *Quod iudex potest terminum appellationis abbreuiare, & si intra terminum non fuerit appellationem prosecutus, appellantem prosequi appellationem compellere potest, vel coram se iudicio stare debet.*

XX. *Quod iudex delegatus maior est eo, cuius causam suscepit terminandam: & si rebellis fuerit, poterit eum punire.*

XXI. *Quod etiamsi aliquis præstito iuramento iudicio sisti fuerit absolutus, & statim in vocem appellationis proruperit, non est aliquatenus audiendus.*

XXII. *Quod morte mandatoris, lite non contestata, finitur mandatum.*

DE TESTIBVS COGENDIS VEL NON.

I. *Quod vocatus ad testimonium perhibendum, nisi venerit, est coercendus.*

II. *Quod post publicationem attestationum, testes non debent produci.*

III. *Quod religiosi in propriis causis a ferendo testimonio non sunt expellendi.*

IV. *Quod testis super crimine conuictus non est audiendus.*

V. *Scripta authentica, si in scriptura testes decesserint, robur non habent, nisi per manum publicam sint authenticata, aut authenticatum habuerint sigillum.*

VI. *Testis ob crimen contra eum ciuiliter probatum, a testimonio repellitur, sed non aliter punitur.*

VII. *Quod ad ferendum testimonium nullus sit cogendus, nisi timore aduersæ partis se subtraxerit: & quod laicus a clerico in causam tractus, in foro forensi est conueniendus.*

VIII. *Laicus contra clericum testimonium non potest perhibere, nisi suam vel suorum prosequatur iniuriam: sed nec tunc potest eum accusare.*

IX. *Quod non sunt testes vltra tertiam productionem producendi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179.

X. *Quod dicta testium benigne debent interpretari, ne de periurio notentur.*

XI. *Quod in causa filiationis contra communem vicinię opinionem, standum est verbo viri & mulieris.*

XII. *Quod post testium renuntiationem in causa appellationis, super nouis articulis testes sunt admittendi.*

XIII. *Quod licet iuramentis contrauenire.*

XIV. *Quod qui personatui renuntiat, & pensionem soluit, non potest inniti institutioni.*

XV. *Quod priuilegium, quod super re litigiosa impetratur, non valet.*

XVI. *Quod testes sunt compellendi.*

XVII. *Quod testes duplex debent præstare iuramentum.*

XVIII. *De eo quod supra capite 3. Cum nuntius.*

XIX. *Quod testes debent moneri, non cogi.*

XX. *Quod iudices debent intrare vbi testes degunt, si decrepiti fuerint.*

XXI. *Quod testes purgationis secundum propriam conscientiam iurare debent.*

XXII. *Quod qui fornicarias habent, ecclesiastico debent beneficio spoliari: & quod latrones, & raptores, & de periurio conuicti, non possunt testimonium perhibere.*

XXIII. *Quod testes ad accusationem matrimonii non sunt admittendi, qui tempore contracti matrimonii consanguinitatem scientes siluerunt.*

DE SECVNDIS NVPTIIS.

I. *Quod non debet benedictio iterari.*

II. *Quod sine infamia mulier infra tempus luctus nubere potest.*

DE APPELLATIONIBVS.

I. *Quod non debet inquiri, cuiusmodi actio intendatur, sed primo rei veritas inquiratur.*

II. *Quod appellatio de omni grauamine non est admittenda.*

III. *Quod vbi sub prætextu appellationis noscitur crimen committendum, non est appellans defendendus.*

IV. *Quod religiosus, ne castigetur appellans, non audietur.*

V. *Quod frustratoria dilationis causa appellans non audietur, & quod morbo consimili laborãtes in testimonium non admittuntur.*

VI. *De eo quod supra cap. proximo, & quod iudex poterit terminum abbreuiare, infra quem nisi appellationem fuerit appellans prosecutus, tenet sententia contra eum lata: & quod raptor & alienæ rei detentor, & fornicator, nisi sit manifestum, appellans audietur.*

VII. *Quod tenet excommunicatio post appellationem ante interpositam.*

VIII. *Quod si iter arreptum fuerit ante accusationem factam, non est in causa procedendum.*

IX. *Quod appellationi super incidenti quæstione factæ, si sine ea principalis quæstio non possit terminari, est deferendum: & quod appel. inhib. etiam de falsa suggestione appellari non possit.*

X. *Quod appellationi, pro qualicumque fiat causa leui, est deferendum: & de eo qui **

XI. *Quod si causa appellantis re.*

committitur licet aliquod speciale mandatum habuerit, vbi ei libere liceat appellare: non est tamen audiendus, quia speciale mandatum derogat generali.

XII. Quod vbi inhibita est appellatio, ibi & recusatio: & quod tunc incipit, cum iudices susceperint mandatum.

XIII. Quod qui violentas manus in clericum iniecerit, appellans non audietur.

XIV. Quod in criminibus notoriis non est deferendum appellationi, & de eo quod supra 7. Cum sit.

XV. Quod si quis ab aliquo appellauerit pro aliqua re, & postea coram eodem super alia conueniatur, potest eum velut suspectum euitare.

XVI. De eo quod supra 12. cap. Super eo.

XVII. Quod si quis appellauerit, nisi sit appellans religiosus, est audiendus.

XVIII. Quod delegatus potest accusari.

XIX. Quod appellans metu literarum, quas scit impetratas, non est audiendus.

XX. De eo quod supra 3. capite, Quod vero.

XXI. Quod de facto excommunicatus, licet non de iure, de facto absolui possit.

XXII. Quod literæ, pendente appellatione, impetrari non valent.

XXIII. Quod si cuius possessio post appellationem fuerit turbata, archiepiscopus potest emendare.

XXIV. Quod archiepiscopus post appellationem potest excessus corrigere, de quibus non appellatur.

XXV. Quod religiosi pro euitanda disciplina appellantes non sunt audiendi.

XXVI. Quod super re spirituali ad sæcularem iudicem non est appellandum.

XXVII. Quod qui publica laborat infamia, testibus deficientibus, ad purgationem est cogendus: & quod pro inimicitia vel manifesta causa suspicionis, potest ordinarius euitari.

XXVIII. Quod obtentu appellationis non potest quis excusari, quin ad vocationem cardinalis debeat venire.

XXIX. Quod qui iurant iudicio sisti, & postea appellant, compellendi seruare quæ iurant, vel intra quadraginta dies prosequi appellationem.

XXX. De eo quod supra 24. cap. Significauit.

XXXI. De eo quod supra 9. cap. Super eo.

XXXII. De eo quod supra 22. cap. Ex literis. Et quod non reiicitur, qui volens possessionem ingredi, vi repellitur incontinenti.

VT ACTOR RESPONDEAT EI QVEM conuenit.

I. Quod actor ei quem conuenit, super aliis negotiis in eodem iudicio tenetur respondere.

II. De eodem.

DE EO QVI CONSANGVINEAM VXORIS suæ, vel sponsam patris sui, vel consanguineam sponsæ propriæ cognouit.

I. Quod qui matrem vel sororem vel filiam vxoris suæ cognoue-

ANNO CHRISTI 1179.

rit, debet sine coniugio perpetuo permanere, & ipsa.

II. *Quod si quis puellam non septennem desponsauerit, & postea eius matrem in vxorem duxerit, non sunt separandi.*

III. *Quod si filius patris sponsam cognouerit, pater vero eam non, ea viuente aliam poterit habere.*

IV. *Quod qui sponsa intacta matrem eius cognouit cum alia matrimonium contrahere, & illa alii nubere potest.*

V. *Quod vxore viuente, maritus sciens cum alia legitime contrahere non potest.*

VI. *Quod qui sponsa intacta, eius consanguineam cognouit, ipsa eum petente, debet absolui.*

VII. *De eo quod supra 1. capite, Si quis.*

VIII. *Quod qui sponsa intacta, tamen eam cognoscere tentauerit, & consobrinam eius postmodum duxerit, ab ea est separandus.*

DE RELIGIOSIS VIRIS DECIMAS ex priuilegio non præstantibus, & de priuilegio abutentibus.

I. *Quod non possunt religiosi sine auctoritate episcopi, portiones vel antiquos reditus minuere, vel parochias diuidere.*

II. *Quod religiosi ex prædiis conductis decimas soluere debent.*

III. *Quod religiosi de laboribus quos propriis manibus vel sumptibus colunt, & de animalium nutrimentis, a decimarum præstatione sunt immunes.*

IV. *Pacificam posse fieri compositionem super decimis.*

V. *Fratribus* Cistertiensis ordinis, Templariis, Hospitalariis, laborum suorum decimas indulgeri cunctis de noualibus.*

VI. *De prædiis, traditis rusticis ad excolendum, monachos debere decimas dare.*

VII. *De eo quod supra 3. capite, Fraternitatem.*

VIII. *De eo quod supra 3. cap. Fraternitatem: & quod summus pontifex dicit præter solitum, ab eo debet exponi.*

IX. *Monasteria de suis prædiis decimas non debent præstare.*

X. *Monachis non alias decimas quam de noualibus indulgendas.*

XI. *Priuilegium sequens, priori non deroget conuentioni.*

XII. *Monachi decimas dare debent de prædiis, de quibus prius dabantur.*

XIII. & XIV. *Abbas non debet detinere quæ ad episcopum pertinent, nisi auctoritate Romani vel sui pontificis.*

XV. *A clericis non sunt decimæ indistincte exigendæ.*

XVI. *Clerici a clericis non debent decimas exigere, sed illi eis tenentur soluere, qui ab eis spiritualia percipiunt.*

DE ILLIS QVI INCIDVNT IN CANONEM datæ sententiæ, vel incidere videntur: & qui sint ad sedem apostolicam propter absolutionem mittendi.

I. *Qui ignoranter manus violentas iniecerit in clericum, excusatur.*

II. *Non possunt per abbatem absolui, qui ante religionem susceptam in Canonem datæ sententiæ inciderunt.*

III. *Qui viros religiosos læserunt, apostolico conspectui se debent præsentare: & de eo quod supra capite, Pro Christo.*

IV. *Religiosi, sicut alii, pro violenta manuum iniectione in clericos, sunt euitandi.*

V. *Tam mandantes quam malefactores, pro violenta manuum iniectione in clericos, sicut excommunicati sunt euitandi.*

VI. *Qui in fratres Templi violentas manus iniiciunt, sunt excommunicati.*

VII. *Si clerici impuberes sese inuicem percusserint, vel puberes ex iocosa leuitate, & magistri discipulos causa correctionis, non incidunt in Canonem datæ sententiæ.*

VIII. *Religiosi sese inuicem percutientes, a suo abbate vel episcopo possunt absolui.*

IX. *Qui prætextu officii clericum læserit vel vulnerauerit, ab episcopo suo potest absolui.*

X. *Qui clericum vim inferentem ledit repellendo, vel cum matre vel sorore inuehitur, vel etiam filia, non incidit in Canonem datæ sententiæ.*

XI. *Qui conuersis violentas manus iniiciunt, sunt excommunicati.*

XII. *Qui sui iuris non sunt, vel etiam mulieres, si in clericum violentas manus iniecerint, ab episcopo suo possunt absolui: & delicati qui magnum laborem sustinere nequeunt, possunt excusari quo minus ad apostolicam sedem mittantur pro violenta manuum iniectione.*

XIII. *Qui incidunt in Canonem datæ sententiæ, si sine periculo Romanum pontificem adire nequiuerint, ab episcopo suo possunt absolui.*

DE IVRE PATRONATVS ET CLERICORVM institutionibus.

I. *Rectorem ecclesiæ suæ, in illa debere residere, nisi iusta causa subsit, vno etiam præsentato & non instituto, alium post præsentatum & institutum præferri.*

II. *Concessio laici super ecclesia, sine consensu episcopi, est inutilis, etiam collegio facta.*

III. *De eo quod supra 13. capite, Relatum.*

IV. *Si qui aduocationes ecclesiarum acquisierunt, vt ad easdem filios & nepotes præsentent, eis possunt spoliari.*

V. *Firmarii vetitam esse præsentationem.*

VI. *Si ecclesia non vacans alicui a patrono concedatur, postea ea vacante alio instituto, posterior præferri debet, & laicus etiam loco religioso ius patronatus licite potest conferre.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179.

VII. *Secundum patronorum traditiones, ecclesiarum ordinationes non sunt mutandæ.*

VIII. *Si a patrono clericus episcopo idoneus fuerit præsentatus, & postmodum alius æque idoneus: episcopi relinquitur arbitrio, quis alteri præferatur. Verum si collegium vel religiosa persona præsentauerit, qui prior tempore, potior est in iure.*

IX. *Longa præscriptio robur dat concessioni a laico factæ sine episcopali auctoritate.*

X. *Emptionis titulo non debet ius patronatus acquiri.*

XI. *Concessio ecclesiarum viuentibus personis facta, est euacuãda.*

XII. *Per episcopum potest in ecclesia persona instituí, si cuius ordinatio propter controuersiam laicorum differatur.*

XIII. *Si fundus ematur, ius patronatus acquiritur.*

XIV. *Ius patronatus licite potest ordinari.*

XV. *Filii ecclesias a parentibus fundatas non debent auctoritate propria detinere, nec aliis conferre.*

XVI. *Ius patronatus annexum est spirituali, & ideo non potest vendi.*

XVII. *De eodem.*

XVIII. *Nullus ecclesiam vel quod ecclesiastici iuris est, monasteriis vel canonicis sine episcopi auctoritate potest conferre.*

XIX. *Episcopi personas debent admittere idoneas in ecclesiis, in quibus adepti sunt præsentationes.*

XX. *Qui ab eo præsentatus creditur, & ab ordinario instituitur, licet alius postea patronatus ius euicerit, non est propter hoc ab ecclesia destituendus, & de eo quod supra* 11. *c. Ea quæ; & de eo quod supra* 6. *cap. Illud in fine.*

XXI. *In ecclesiis quarum ordinatio differtur, ab episcopo debet œconomus constitui.*

XXII. *Episcopi debent instituere, patroni consentire.*

XXIII. *Quod episcopi consensus subsequens potest sufficere.*

XXIV. *Personæ ecclesiarum, in quibus monachi habent ius præsentandi, monachis de temporalibus, episcopi de spiritualibus debent respondere.*

XXV. *Renuntiatio ecclesiarum in manibus episcopi fieri debet, non patroni.*

XXVI. *Defensor appellans audietur.*

DE VSVRIS.

I. *Non admittitur dispensatio, vt accipiantur vsuræ.*

II. *Contractus vsuram continet, licet ex forma sic transeatur.*

III. *Fructus in sortem sunt computandi.*

IV. *Quod vsuræ sub iuramento promissæ, sunt soluendæ.*

V. *Vsuræ ante interdictum vel post perceptæ, sunt soluendæ.*

VI. *Nullus ad vsuras soluendas est cogendus, nisi ad earum teneatur solutionem.*

VII. *Fructus redituum in sortem sunt computandi.*

VIII. *Sorte recepta, pignus est restituendum.*

IX. *Clericus vsuras accipiens, nisi vbi de manu laicali beneficium ecclesiæ redimat, officii sui periculum debet sustinere.*

X. *De eo quod supra* 8. *capite, Nihilo minus.*

DE IVRAMENTIS SERVANDIS.

I. *Non est contra iuramentum veniendum, nisi vergat ad interitum salutis.*
II. *Contra iuramentum ex causa licite potest veniri.*
III. *Qui iurant, compellendi sunt iuramentum seruare.*
IV. *Clerici pro periurio ecclesiis perpetuo debent priuari.*
V. *Non debent ecclesias regere, qui crimine periurii sunt irretiti.*
VI. *De eo quod supra 4. c. Tua nos.*
VII. *Compulsus iurare, debet absolui.*

DE CLERICIS MATRIMONIO COPVLATIS, & aliis fornicarias habentibus.

I. *Clerici concubinas habentes, eas compelli possunt abiurare.*
II. *Clerici in subdiaconatu & supra, qui infra quadraginta dies post commonitionem fornicarias non remouerint, ecclesiastico beneficio debent priuari.*
III. *Simplex beneficium clerico potest concedi coniugato.*
IV. *Subdiaconorum, de quorum incontinentia timetur, matrimonium est dissimulandum.*
V. *Pro bono pacis, quod est illicitum dissimulatur.*
VI. *Clerici qui citra subdiaconatum matrimonium contrahunt, ab vxoribus non debent separari, nisi de communi consensu ad religionem voluerint transire. Si vero in subdiaconatu & supra ad matrimonium conuolauerint, vxoribus inuitis debent segregari.*
VII. *Sacerdotes qui vxores ad commonitionem episcopi dimittere nolunt, officio & beneficio possunt priuari.*
VIII. *Clerici, siue in sacris ordinibus constituti, siue infra, nolentes dimittere fornicarias, beneficio possunt priuari.*
IX. *Si sacerdos fornicariam non dimiserit, debet suspendi: & quousque eam dimittat, in suspensione permanere.*
X. *De eo quod supra 2. cap. Sicut; & de eo quod supra capite octauo, Si autem.*
XI. *De eodem.*
XII. *Episcopus potest eum absoluere, qui clericum vulnerauit.*
XIII. *Minus malum, vt maius vitetur, est tolerandum.*
XIV. *Permittitur subdiacono cuidam contrahere matrimonium.*
XV. *Sacerdos non debet tabernas frequentare.*

DE ORDINATIONE FILIORVM sacerdotum, & eisdem in ecclesiis paternis non tolerandis.

I. *Non debet aliquis permitti habere ecclesiam, in qua pater eius proxime ministrauit.*
II. *Filii sacerdotum non debent ad ordines admitti, nisi in monasterio vel canonica regulari vita fuerint probati.*
III. *Non debet aliquis in ecclesia, in*

ANNO CHRISTI 1179.

in qua pater eius ministrauit, ministrare.

IV. *De eodem.*

V. *Si episcopus scienter in paterna ecclesia aliquem instituit vel ignoranter, dum ad eamdem ipsum postea ordinauerit, potest in ea remanere.*

VI. *Si filius sacerdotis ad sacros ordines fuerit promotus, potest ecclesiastici beneficii obtinere portionem.*

VII. *Quilibet ab ecclesia, in qua pater eius personatum habuit, est excludendus.*

VIII. *Filius in patris ecclesia potest institui, si media interceßit persona.*

IX. *Filius paternam potest ecclesiam habere, si pater eius eiusdem ecclesiæ vicarius perpetuus non fuerit vel persona.*

X. *Si quis cum aliquo per literas summi pontificis dispensauit, per posteriores literas non debet actum irritari.*

DE IVDÆIS, ET NE CHRISTIANI eorum mancipia fiant.

I. *Judæi ad baptismum non sunt compellendi: sed si voluerint, absque calumnia Christiani efficiantur. Nullus etiam eos sine iudicio vulnerare, vel eis res suas auferre, vel eorum solennitates perturbare præsumat.*

II. *Non debet clericus ad secularem iudicem trahi, nec debet aliquis Iudæis seruire, nec nutrices Christianas eis licet habere, aut obstetrices.*

III. *Iudæis quocumque titulo non licet parochias occupare, nec a Christianis sunt eis homagia præstanda.*

IV. *Iudæi Christiana mancipia non debent habere.*

DE MONACHIS ET MONIALIBVS SINE probatione receptis, & in probatione positis recedere volentibus.

I. *Habitus religionis ante decimumquartum annum susceptus, quomodo licite potest relinqui.*

II. *Qui habitum religionis ante professionem deserunt, in sæcularibus non debent ecclesiis admitti.*

III. *Qui habitum non suscepit, nec professionem fecit, licet de suscipiendo coram episcopo votum fecerit, si postea vxorem duxerit, non est cogendus eam dimittere, & ad ecclesiam cui se deuouit, redire.*

DE SPOLIATIS RESTITVENDIS VEL NON.

I. *Qui spoliatus renuntiauit ecclesiæ, etsi eam pluries abiurauerit, est restituendus.*

II. *Idiotæ personæ non discretæ peremptorias reprobant exceptiones.*

III. *Iudices debent ad locum venire, in quo facilius partes possunt esse præsentes.*

IV. *Si spoliatus quis renuntiauerit ecclesiæ, licet id iuramento firmauerit, nullum exinde generatur ei præiudicium.*

V. *Prius est de violenta eiectione,*

quam de canonica inſtitutione, agendum.

VI. *In poſſeſſorio iudicio criminis obiectio non retardat principalis cauſæ executionem.*

VII. *Quæ vi & metu facta ſunt, in irritum debent reuocari.*

VIII. *Spoliatus debet reſtitui, licet ei obiiciatur, quod filius fuerit ſacerdotis proxime miniſtrantis, vel quod inde ſoluerit penſionem.* ANNO CHRISTI 1179.

IX. *Qui violento ſuccedit poſſeſſori, velut ipſe poteſt conueniri.*

DE IVRAMENTO CALVMNIÆ.

I. *Clerici non debent præſtare iuramentum de calumnia, nec aliud, prælato inconſulto.*

II. *In cauſis ſuper rebus ſpiritualibus non eſt iuramentum de calumnia præſtandum.*

III. *Neque præſtatur iuramentum de calumnia ab his qui cauſam ſciant.*

IV. *Religioſi debent ſibi œconomum ſtatuere, qui iuramentum de calumnia valeat ſubire.*

V. *Iuramentum de calumnia a quocumque eſt præſtandum.*

VI. *Qui debitum vel acceſſiones initiatur, iuramentum de calumnia debet præſtare.*

DE EXCESSIBVS EPISCOPORVM contra ſuos archidiaconos, & archidiaconorum contra ſuos epiſcopos.

I. *Epiſcopus poteſt inſtitutiones ab archidiacono poſt prohibitionem factas irritare.*

II. *Non licet alicui ſub obtentu alicuius conſuetudinis, ſanctorum patrum tranſgredi inſtitutiones, nec ſine licentia epiſcopi curam committere animarum.*

III. *Non licet archidiacono eccleſias vacantes occupare & detinere.*

IV. *Conſuetudines eccleſiarum archidiaconis debitæ, ab epiſcopo non poſſunt minui, ſed eis debent integræ conſeruari.*

V. *Vno archidiaconatu debet omnis eſſe contentus.*

QVIBVS ET QVANDO ET INFRA QVAM ætatem eccleſiaſticum beneficium conferatur.

I. *Non niſi his qui ætatem habent & ſcientiam, eccleſiæ ſunt conferendæ.*

II. *Nemini infra decimumquartum annum conſtituto, eccleſiæ perſonatus vel regimen eſt concedendus.*

III. *De eodem; & quod nullus quaſi iure hereditario debet in paterna eccleſia collocari.*

IV. *Si minor quindecim annis ante Concilium celebratum in eccleſia fuit inſtitutus, non eſt ab ea amouendus.*

V. *Ad perſonatum parochialis eccleſiæ, non niſi ſubdiaconus debet admitti, vel ſupra, niſi ex diſpenſatione.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179.

DE DISPOSITIONE CLERICORVM, & de dispensatione circa eosdem facta.

I. *Fauore religionis admittitur, qui alias non admitteretur.*

II. *In ordine simoniace acquisito quomodo potest quis tolerari.*

III. *Qui literas summi pontificis falsauit, in monasterium districta religionis debet detrudi, officio & beneficio spoliatus.*

IV. *Confessio super crimine coram iudice seculari facta, clerico non præiudicat: nec si aliquis pro suis excessibus sit depositus, seculari iudici est tradendus.*

V. *Clericus qui duellum sponte obtulit, vel oblatum susceperit, de rigore est deponendus.*

VI. *Sacerdos qui in duello partem digiti amisit, non debet tolerari.*

VII. *Sacerdos qui puerum causa disciplinæ percusserit, ita quod expirauerit, est deponendus.*

VIII. *Qui decimas vel ecclesiarum dispositiones laico in seculo manenti concesserit, est deponendus.*

IX. *Qui furtiue ordinem diaconi susceperit, nisi sub anathemate facta esset prohibitio, potest promoueri in sacerdotem.*

X. *Clerici excommunicati vel interdicti, qui ante absolutionem diuina celebrare præsumpserint, perpetuo sunt deponendi.*

XI. *Qui in conflictu vbi homines interfecti sunt, lapides proiecit: si neminem percussit, potest in ordine tolerari.*

XII. *Actio vt causa clerico imputatur.*

XIII. *Sacerdos post perpetratum homicidium quomodo potest in ordine sustineri.*

XIV. *Actionem mortis clerico non imputari.*

XV. *Presbyter propter membri deformitatem prohibetur celebrare.*

XVI. *Clerici, habitu relicto in crimine deprehensi, per ecclesiasticam iustitiam non debet liberari.*

XVII. *Clerici non debent esse ministri vel procuratores laicorum: quod si fecerint, & pro aliquibus capiantur, indignum est eis ab ecclesia subueniri.*

XVIII. *Officium potest exequi episcopus, qui loco tantum renuntiauit.*

XIX. *Neque serui neque spurii sunt ordinandi, nec aliquis seruilis conditionis.*

XX. *Qui in remotis partibus sunt ordinati, eorum literas debent habere, qui eis manus imponunt: & incogniti per aliquod tempus debent esse in suspenso, vt de eorum actibus alii instruantur.*

XXI. *Officium diacono reddi potest, qui alium vulnerauit.*

XXII. *Inuito prælato non debet subditus promoueri. Non in sublimitate graduum, sed amplitudine meritorum, regnum Dei acquiritur.*

XXIII. *Diebus dominicis non licet alicui, nisi summo pontifici, in subdiaconum aliquem ordinare, nec in vigilia pentecostes.*

XXIV. *Extra quatuor temporum ieiunia non sunt aliqui ad sacros ordines promouendi.*

XXV. *Licite potest quis in diebus dominicis aut aliis festiuis aliquos ad minores ordines promouere.*

XXVI. *Clerici ignota sigilla de ordinatione deferentes, non sunt admittendi.*

NE CLERICVS ET MONACHVS sæcularibus se immiſceat negotiis; & de regula religioſorum.

I. *Monachi non debent villas ad firmam tenere vel eccleſias.*

II. *Religioſi ad legendas leges & confectiones phyſicas ponderandas de ſuis clauſtris non debent exire.*

III. *Monachi non debent cauſa lucri negotiari, vel a laicis firmas habere, vel laici eccleſias ad firmam tenere.*

IV. *Clericis non licet cauſam ſanguinis agitare: clerici etiam comam nutrientes, ab archidiaconis tondeantur vel inuiti.*

V. *Fratres ſine proprio debent viuere, priori profeſſionem facere, crucem non debent accipere, in hoſpitalibus poſſunt oratorium conſtruere, epiſcopi licentia non requiſita.*

VI. *Monachi de clauſtro exeuntes redire tenentur ad monaſteria, in quibus fecerunt profeſſionem.*

VII. *Monachi non regulariter viuentes, per alterius ordinis inſtitutionem debent puniri.*

DE PACTIONIBVS LICITIS ET ILLICITIS in rebus eccleſiaſticis.

I. *Sub annuo cenſu vſque ad certum terminum poteſt eccleſia teneri ad firmam.*

II. *Propter ingratitudinem, quod actum eſt reuocatur.*

III. *Inter eccleſiaſticas perſonas ſuper decimis tranſactio facta, rata perpetuo debet perſiſtere & inconuulſa.*

IV. *Nulli concedendæ ſunt eccleſiæ, vbi alii nominatim ſuccedant.*

V. *Tranſactio per abbatem vel priorem cum literis ratihabitionis conuentus facta, rata debet permanere.*

VI. *Tranſactio ſuper controuerſia eccleſiæ facta, quæ ſpeciem continet ſimoniæ, in irritum debet reuocari.*

VII. *Decimæ ablatæ, ſine diminutione ſunt reſtituendæ.*

VIII. *Non debet aliquis penſionem eccleſiæ ſoluere, vt facilius ad ſuos transferatur.*

IX. *Clericus ſine auctoritate epiſcopi non poteſt eccleſiam conſtituere cenſualem.*

X. *Compoſitio coram extraordinario delegato facta, ſi non eſt iuri contraria, ab epiſcopo non debet irritari: ſed cenſus ob hanc abſque auctoritate epiſcopi ſolutus, vitam ſoluentis non excedit.*

XI. *Sine diœceſani, vel officialium ſuorum auctoritate, eccleſia non ſunt occupandæ.*

XII. *Colluſores beneficiis, de quibus colluſum eſt, debent ſpoliari.*

XIII. *Canonem auctoritate epiſcopi & iuramento interueniente conſtitutum, ſoluendum.*

XIV. *Filii perſonatuum, vel alii qui in eccleſias ſe vacantes intrudunt, non poſſunt eas ſub appellationis obtentu occupare.*

XV. *Super re ſacra in litigium deducta tranſigi non poteſt.*

ANNO CHRISTI 1179.

DE ALIENATIONE RERVM ECCLESIÆ, & earumdem reparatione.

I. *Res ecclesiæ pignori obligatæ, a filio vel herede obligantis, ecclesiæ debent resarciri.*

II. *Personæ debent ecclesias reparare.*

III. *Possessio ecclesiæ sub conditione donata, non potest nisi in casu reuocari.*

IV. *Terras de siluis extirpatas, eis a quibus sunt extirpatæ, potest episcopus concedere ad annuum censum tenendas.*

V. *Clerici de his, quæ intuitu ecclesiæ acquisierunt, nullum de iure possunt facere testamentum.*

VI. *Si clericus a Kalendis Martii vsque ad Kalendas Nouembris decesserit, dispositionem fructuum illius anni pro sua voluntate poterit habere.*

VII. *Non licet conditionem ecclesiæ facere deteriorem, nec licet colonum expensis factis in fundo ecclesiæ defraudari.*

VIII. *Clerici de mobilibus per ecclesiam adeptis non possunt condere testamentum.*

IX. *De reditibus * episcopi debita pro vtilitate ecclesiæ contracta, sunt persoluenda.*

* f. ecclesiæ episcopi

VNI PLVRA ECCLESIASTICA BENEFICIA non committenda, nec vnum inter plures diuidendum, & de in beneficio sibi assignato non residentibus.

I. *Qui in duabus ecclesiis præbendam habet, ab ea tantum poterit communia exigere, cui in propria voluerit persona deseruire.*

II. *Qui sufficiens ecclesiasticum habuerit beneficium, si de alio literas summi pontificis obtinuerit, prioris beneficii non facta mentione, dignum est, eum a iudicibus non exaudiri.*

III. *Qui duas habet ecclesias, si altera fuerit spoliatus, non est restituendus.*

IV. *Nec dignitatum permutatio, nec præbendarum diuisio est facienda.*

V. *Qui in diuersis ecclesiis curam habet animarum, vicarius non potest esse in aliena.*

VI. *Prælati non debent clericos a scholis reuocare.*

VII. *Non debet archidiaconus præbenda carere in ecclesia, in qua est archidiaconus.*

VIII. *Archidiaconus vno archidiaconatu debet esse contentus.*

IX. *Seruientes fratribus hospitalis, suos non debent reditus amittere.*

DE EXCOMMVNICATIS.

I. *Excommunicati, si excommunicationis causa tacita, priuilegium meruerint absolutionis, cogendi sunt redire: sed si dubium fuerit, & veritatem sint confessi, poterit eis purgatio de hoc indici.*

II. *Contra appellationem ab aduersario interpositam, potest iudex alium absoluere, præstita tamen iudicio sisti cautione.*

III. *De eodem.*

IV. *Sententia post appellationem la-*

ta, neminem ligat. Sed si ante appellationem fuerit quis excommunicatus, præstita cautione iudicio sisti, potest eum archiepiscopus absoluere.

V. *Hospitalarii non debent nominatim in excommunicatione defunctos in Christianorum cœmeterio sepelire.*

VI. *Nominatim excommunicatus non est in hospitio recipiendus.* ANNO CHRISTI 1179. *De cœmeteriis etiam vel ecclesiis vel ecclesiasticis quibuslibet possessionibus non sunt tenseriæ præstandæ, & multa alia quæ in decretis continentur.*

VII. *Sententia excommunicationis vel interdicti sine satisfactione congrua non est relaxanda.*

DE CONIVNGENDIS FILIIS ANTE vel post compaternitatem genitis.

I. *Geniti ante vel post compaternitatem, in matrimonio possunt coniungi, excepta persona per quã venitur ad compaternitatem.*

II. *Malignantibus non debet dolus vel fraus patrocinari.*

QVI FILII SINT LEGITIMI, ET DE exactione dotium post diuortium; & ad quem pertineat huius causæ cognitio.

I. *Ante matrimonium geniti, per matrimonium post contractum fiunt legitimi.*

II. *Post diuortium dotem esse restituendam.*

III. *Non est exheredandus, quicumque ante desponsationem est natus.*

IV. *Ad regem, non ad ecclesiam, pertinet, de rebus hereditariis iudicare.*

V. *Nati ante diuortium vel concepti filii vel filiæ, sunt legitimi.*

DE RAPTORIBVS ECCLESIARVM & violatoribus: quando etiam post peractam pœnitentiam neganda sepultura ecclesiastica, nisi satisdent de anno restituendo.

I. *Raptori rerum ecclesiasticarum, nisi ablata restituat, vel de restituendo cautionem dederit, pœnitentia est deneganda: & si talis decesserit, clerici eius sepulturæ non debent interesse.*

II. *Heredes de parentum excessibus satisfacere tenentur.*

III. *Pro furibus & latronibus iuriando occisis, non est orandum.*

IV. *Defuncto nocet, quo ad ecclesiasticam sepulturam habendam, contemptus propinquorum.*

DE POENITENTIA.

I. *Delicti qualitas & quantitas, ætas delinquentis & scientia, sensus & conditio, in pœnitentia sunt respicienda. Conatus etiam non minus, quam effectus est puniendus.*

ANNO CHRISTI 1179.

II. *Secreto delicto secreta debetur pœnitentia.*
III. *Peregrinationis votum redimi potest.*
IV. *Quod nullus a non suo iudice potest ligari vel absolui: nec alicui a non suo episcopo remissio dari.*

DE SENTENTIIS ET INTERLOCVTIONIBVS.

I. *Sententia a propriis iudicibus lata, posterioribus præiudicat.*
II. *Possessione alicui adiudicata, non sufficit pignus dari.*
III. *Lis sopita non debet resuscitari.*
IV. *Non licet archidiaconis in aliquos sententiam promulgare.*
V. *Si sententia feratur iniqua, debet euacuari.*

DE LEPROSIS.

I. *Valet concessio viuente persona facta, dummodo fuerit lepra percussus. Testes etiam moneri debent, non cogi.*
II. *Vxores viros suos leprosos, & viri vxores sequi debent, vel illis viuentibus continentiam seruare.*
III. *Vxores propter lepram non sunt dimittendæ, sed illis petentibus debet debitum reddi: leprosi etiam matrimonium licite possunt contrahere.*
IV. *Rectoribus ecclesiarum lepra percussis dandus est coadiutor, qui curam habeat animarum.*

DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

I. *Quadragenaria præscriptio, nisi in casu, locum obtinet in ecclesiis.*
II. *In iudicio finium regundorum vterque est actor & reus. Proniora etiam sunt iura ad absoluendum, quam ad condemnandum, excepta causa liberali.*
III. *Præscriptio triennalis ecclesiæ sufficit.*
IV. *Liberum vnicuique, iuri suo renuntiare.*
V. *Nulla antiquorum dierum possessio, malæ fidei possessorem liberat, quantum ad eum, nisi resipuerit.*
VI. *Quadraginta annorum præscripto seruatur.*
VII. *Contra tricennalem præscriptionem nullius vox est audienda.*
VIII. *Limites parochiarum non præscribuntur.*

DE VICARIIS MONACHORVM & aliorum.

I. *Vicarii a monachis non sunt recipiendi sine honestæ sustentationis assignatione.*
II. *Persona succedens non potest vicarium a prædecessore institutum remouere, vel eius minuere constitutam portionem.*
III. *Vicarii in vicariis suis alios constituere non possunt.*
IV. *Si vicarii, qui fide vel iuramento prius sunt obligati, contra personas se erexerint personatum petentes: vicaria debent spoliari, & de cetero in eodem episcopatu non debent admitti ad officii executionem.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

V. *Qui sufficientem habet in vicaria aliqua sustentationem, aliam petens non exaudietur.*

VI. *Nullus debet plures habere vicarias.*

ANNO CHRISTI 1179.

DE ELECTIONIBVS ET ELECTORVM potestate.

I. *Electus ante confirmationem electionis de rebus ecclesiæ disponendi nullam habet facultatem.*

II. *Electio illius, qui nuper schismate abiurato, ad vnitatem ecclesiæ rediit, si a schismatico vllum ordinem accepit, nisi aliud impediat, debet confirmari.*

III. *Filius canonici, etiam maculas in oculo habens, potest in episcopum eligi & ordinari.*

IV. *Munere alterius interueniente committitur simonia.*

V. *Electio in episcopum translata, rata debet esse & confirmata.*

DE INTERPRETATIONE VERBORVM & rescriptorum.

I. *Cum aliqua sub disiunctione mandantur, alterum sufficit.*

II. *Constitutiones nouæ, negotiis dant formam futuris.*

III. *Ad communem verbi intelligentiam in ambiguis est recurrendum.*

IV. *Literæ impetratæ contra monachos Cistercienſis ordinis, non valent, nisi in literis mentio ordinis Cistercienſis habeatur.*

V. *Si filum literarum summi pontificis fuerit fractum, non est secundum illas in causa procedendum.*

VI. *Ad hoc vt literæ posteriores sint reuocatoriæ, necesse est vt in illis sit mentio de priore commissione.*

VII. *Si super aliqua causa literæ prius impetrentur, & postea aliæ, non facta mentione priorum, iudicibus, donec Romanum pontificem consulant, est supersedendum.*

VIII. *Literæ per quas actor minores reditus petit, si in illis nomen suæ dignitatis supprimit, nullum ius debent obtinere.*

IX. *Si aliquis auctoritate priorum voluerit agentem repellere, quia in posterioribus priorum non est facta mentio, si eis dolo vti postposuit, non erit audiendus.*

DE EXCEPTIONIBVS.

I. *Licet causa sub certa forma terminanda sit commissa, nihilo minus rationabiliter exceptio est admittenda.*

II. *Sententia contra vicarium lata, si alieno nomine possidet, non ei cuius nomine possidet, praiudicat.*

III. *Appellatio inter litigantes tantum est inhibita.*

IV. *Canonice institutus, si iectus fuerit, est restituendus.*

DE

ANNO CHRISTI 1179.

DE SEPVLTVRIS ET MORTVORVM voluntatibus.

I. *Licet vnicuique, vbi voluerit eligere sepulturam.*

II. *Liberum est vnicuique, vbi voluerit, sepulturam eligere, dum tamen tertia pars iudicii sui illi ecclesiæ conferatur, a qua cælesti pabulo est refectus.*

III. *Propter debitum, defuncti differtur sepultura.*

IV. *Monachi non debent auctoritate propria mortuos in cœmeterio suo sepelire.*

V. *Heredes iussa testatoris tenentur adimplere.*

DE PRÆEMINENTIA LONDINENSIS & Eboracensis, & de priuilegiis generaliter & specialiter indultis, & de eorum abusu & confirmationibus.

I. *Qui prioris est ordinationis, prior est habendus.*

II. *Neuter ab altero debet exigere professionem.*

III. *Vniuersæ causæ suffraganeorum Cantuariensis quamuis non iure metropolitico, legationis tamen obtentu ad eum transferri possunt, licet ad eum non sit appellatum.*

IV. *Extra prouinciam causa potest delegari.*

V. *Interdicti, quamuis non nominatim excommunicati, ab Hospitalariis possunt sepeliri,* &c.

VI. *Si quis contra priuilegia Romanæ ecclesiæ pro aliis indulta, venire præsumpserit, si qua pro se sint indulta, ea amittere meretur. Hospitalarii etiam nullo modo debent prægrauari vel molestari.*

VII. *Non licet episcopis Hospitalarios excommunicare vel interdicere, vel eorum oratoria.*

VIII. *Et qui in fraternitate Hospitalari est receptus, nisi interdictus fuerit vel nominatim excommunicatus, Christiana non denegetur sepultura.*

IX. *Non licet Hospitalariis vel aliis priuilegium suum excedere, quia priuilegium meretur amittere, qui præcepto abuti præsumit.*

X. *Non valet priuilegium de re litigiosa impetratum: si autem tempore priuilegii impetrati res litigiosa non fuerit, non licet alicui contra illud venire, nisi speciali interueniente mandato.*

DE SPONSALIBVS SECVNDO.

I. *Qui fidem de aliqua ducenda dedit, si eam postea cognouerit carnaliter, licet aliam matrimonio postmodum sibi copulauerit, primæ adhærere debet: quia carnalis commixtio facit matrimonium, vbi prius nullum fuit.*

II. *Contrahere non potest quis cum ea matrimonium, quam viro viuente polluerit adulterio.*

III. *De eodem, & quod multum delinquit, qui fidem violat.*

IV. *Simplex votum, matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum.*

V. *Vir & mulier non sunt vna caro, nisi per carnalem commixtionem.*

VI. *Mulier, quæ se nupturam iurauit, vt nubat non est cogenda. Illa vero, cuius vir cum matre adulterium vel incestum commisit, non viro suo carnaliter coniungi, nec eo viuente cum alio matrimonium contrahere valebit.*

VII. *Matrimonia seruorum a dominis non sunt irritanda, cum nullus a sacramentis ecclesiæ sit amouendus.* Anno Christi 1179.

VIII. *Qui aliquam lege Canonum duxit, licet non secundum patriæ suæ legem vel illius, non est propterea ab ea separandus.*

DE POTESTATE IVDICVM SECVNDO.

I. *Episcopus sententiam a delegato latam potest confirmare, sed eam tenetur executioni mandare, reseruata sibi sententia diffinitiua.*

II. *Non debet causa de crimine alicui committi terminanda, nisi personæ appareant, quæ velint personam criminosi impetere. Nec licet alicui ecclesiasticum beneficium habenti, matrimonium contrahere.*

III. *Vnus in causa potest procedere, si id contineatur in mandato, lites etiam, quæ concordia vel iudicio terminantur, non debent suscitari.*

IV. *De sæculari feudo non pertinet ad ecclesiam iudicare.*

DE IVRE PATRONATVS.

I. *Quod ius patronatus non potest vendi.*

II. *Si curator ecclesias illas, quas habet in custodia, aliquibus contulerit, poterit huius donatio reuocari.*

III. *Non licet delegato aliquem instituere, eo, ad quem institutio pertinet, inscio vel reclamante. Nullis etiam, nisi illis inter quos causa committitur, appellationis beneficium est sublatum.*

IV. *Causa patronatus quia ecclesiasticis causis est connexa, non nisi per ecclesiasticum iudicem valet expediri.*

V. *Prior concessio abbatis, conuentu sciente & non contradicente facta, secundæ præiudicat, licet conuentus suũ exprimat consensum.*

VI. *Non licet canonicis regularibus vel monachis, rectoribus ecclesiarum suarum decedentibus, eas occupare vel censum augere.*

VII. *Promissio de ecclesia non vacante facta, nihil firmitatis habebit.*

VIII. *Si quis timore mortis habitum religionis assumpserit, licite poterit ad sæculum redire.*

IX. *Clericus ex dono militis ecclesiam vendicare non potest, sed tantum ius patronatus.*

X. *Si alicui de prima vacante ecclesia promissio fuerit facta, si ea vacante alius postea ad eam fuerit præsentatus, non debet propter hoc eius institutio retardari.*

DE PACTIONIBVS SECVNDO.

I. *Pactio a prædecessore facta successorem non ligat, nisi auctoritate summi pontificis fuerit confirmata. Illi etiam ecclesiæ ab his decimæ persoluendæ, qui ab ea ecclesiastica percipiunt sacramenta.*

II. *Transactio inter accusatum & accusatores super crimine*

ANNO CHRISTI 1179.

facta, nullum robur debet obtinere.

III. *Libello citationis ante obitum delegantis proposito, lite post eius obitum contestata, potest in causa procedere delegatus. Qui etiam ad producendos testes inducias postulauit, videtur appellationi renuntiare.*

Hic incipit pars 40. sed non habet titulum.

I. *Appellationi de rebus modicis factæ, quæ scilicet infra summam viginti marcarum subsistunt, non est deferendum; sed vt intra fines iudices qui suspicione careant, eligat, appellans est cogendus: a quibus si quis partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum vel primatem vocem appellationis emittat.*

II. *Literæ a tribus mensibus ante obitum delegantis impetratæ, eumdem debent tempore successoris sortiri effectum, quem, si adhuc ille viueret, habere debuissent.*

III. *Si literæ in narratione facti non in suspecto loco fuerint abrasæ, non debent propter hoc falsæ iudicari. Si vero de appellatione inhibita in prioribus, in posterioribus non sit mentio facta, posteriores in irritum sunt reuocandæ.*

IV. *Si mulier a consanguineo viri sui fuerit polluta, & veneficum periculum & alias vitæ insidias viro machinata, potest inter eos diuortii sententia promulgari, ita vt vir ea mortua licentiam habeat aliam ducendi in vxorem. Ipsa vero sine spe coniugii perpetuo remanebit.*

V. *Si qui pro euacuando mandato apostolico ante citationem appellauerint, aut alios in possessionem rei litigiosæ induxerint, vel se malitiose subtraxerint, non est eorum appellationi deferendum: sed illi qui in possessione sunt, licet in rescripto non comprehendantur, auctoritate eius conueniri possunt.*

VI. *Qui in ægritudine ad loca religiosa se transtulerint, si in ipsa ægritudine decesserint, cogi possunt & debent, vt personis vel ecclesiis, a quibus pabulum receperunt salutis, canonicam relinquant portionem.*

VII. *Super re sacra & litigiosa transigi non potest. Alias autem litigantes amicabiliter componere possunt.*

VIII. *Iudex delegatus tam ordinarium quam alium ad efficiendum id quod mandat, cogere potest: & si obedire noluerit, eum poterit punire.*

IX. *Spontaneæ abiurationis exceptio sine causæ cognitione non est admittenda: & probatio spontaneam negantis renuntiationem, est recipienda.*

X. *Si sacerdos occulte aliquos coniunxerit, ab officio triennio suspendi debet, quoniam non sunt occulte matrimonia contrahenda.*

XI. *Si in executione mandati fraus interuenerit, non potest executor de toto negotio cognoscere: sed debet incidens quæstio ad sedem apostolicam referre.*

XII. *Clericus a laico præsentatus, si ab episcopo non fuerit institutus, & appellauerit; licet alius postmodum intrusus fuerit, ab ecclesia debet amoueri, & alius institui.*

XIII. *Si causa, appellatione remota, sit commissa, & altera pars appellauerit, non est appellationi deferendum, nisi appellans ante citationem iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi. Item, si iudex super suggestum falsi*

probationes audire noluerit, appellans audietur. Item ab vno iudicum appellatione remota, in causa procedi non potest, nisi hoc in literis specialiter contineatur.

XIV. *Quod nullus ad ecclesiastica beneficia est admittendus, nisi sit electus, & quod filii personarum citra sacros ordines constitutarum, parentibus in ecclesiasticis succedere possunt, si tamen merita suffragantur.*

XV. *Monachi Cistercienſis ordinis non debent villas, molendina, ecclesias, altaria possidere, fidelitates & hominia suscipere, rusticos & tributarios tenere, nec operam adhibere, vt termini possessionum eorum dilatentur.*

XVI. *Qui præstito iuramento iudicio sisti beneficium absolutionis obtinuit, nisi infra annum appellationem fuerit prosecutus, in pristinam potest sententiam detrudi, & non obstante apostolico iudicio, ecclesiæ stare compelli.*

XVII. *Variantis verbum, testimonium reprobatur.*

XVIII. *Potest quis ius quod habuit, suo amittere facto.*

XIX. *Is qui præsidet, potest votum dispensare.*

XX. *Ne quis dicat, Christum non esse aliquid secundum quod homo.*

Hic incipit pars 50. sed nec ipsa titulum habet.

I. *Si res precii modici, quæ scilicet animum accipientis allicere vel inuertere non solet, pro electione alicuius vel pro pallio alicui deferendo data fuerit, non propter hoc committitur simonia, nisi interueniat pactum. Item, puer qui a parentibus pecunia interueniente ecclesiæ offertur, ab eadem ad tempus debet remoueri: sed postmodum non solum ad aliam, sed etiam ad illam potest assumi.*

II. *Judex potest appellantibus terminum prosequendæ appellationis præfigere, vel eos compellere iudicio ecclesiæ sisti: vel si noluerint, potest eos, appellatione remota, excommunicare.* Anno Christi 1173.

III. *Propter occultum delictum non est aliquis a promotione repellendus.*

IV. *Si quis matrem vxoris suæ cognouerit, si id occultum sit, non est ab vxore inscia propter hoc separandus.*

V. *Licet quis sororem vxoris suæ cognouerit, non debet propter hoc ab vxore separari.*

VI. *Episcopus cum clerico damones inuocante misericorditer agere potest.*

VII. *Clerici infra subdiaconatus ordinem constituti, matrimonia contrahentes, ecclesiastico possunt beneficio spoliari: sed si de bonis suis aliqua ecclesiis contulerint, ad ipsos redire debent.*

VIII. *In legatis testamento ecclesiæ relictis duo vel tres sufficiunt testes.*

IX. *Ecclesiæ licite potest sub conditione donari.*

X. *Si puer habitum religionis susceperit, & eum voti pœnituerit, infra 14. annum habitum relinquere potest, & ad sæculum redire, dum tamen a parentibus non sit oblatus, nec id vnquam ratum habuerit.*

XI. *Ecclesia non debet propter alicuius appellationem debitis obsequiis defraudari: canonici etiam sæculares debitam in ecclesiis tenentur facere residentiam.*

XII. *Ab itinere Hierosolymitano potest quis absolui.*

XIII. *Si quis habitum religionis metu mortis susceperit, licite habitum relinquere potest, nisi id ali-*

ANNO CHRISTI 1179.

quando ratum habuerit.

XIV. *Quod laicus non est in accusationem clerici admittendus. Item, si quis aliquem accusauerit, frater illius non potest postmodum accusare. Item, purgatores alicuius, honesti debent esse & bonæ opinionis, vitamque illius, quem purgare debent, cognoscere & conuersationem.*

XV. *A voto potest quis absolui, dum tamen eleemosynis redimatur.*

XVI. *Monachi in accusationem abbatum suorum sunt admittendi, eisque de monasterio expensæ necessariæ debent administrari. Item contra confirmationem summi pontificis non est aliquatenus iudicandum, nisi nouum emerserit mandatum, aut certum sit, ipsam per falsam suggestionem impetratam.*

XVII. *Clandestina matrimonia a contrahentibus publicata, ab ecclesia sunt recipienda: genitique in tali matrimonio, sunt legitimi.*

XVIII. *Institutiones vel destitutiones sine fratrum consilio non sunt faciendæ.*

XIX. *De eodem, & quod in confirmationibus absentium nomina non sunt scribenda.*

XX. *Testamenta coram presbytero, vel tribus vel duobus aliis facta, rata sunt & firma.*

XXI. *Ecclesia adulterio polluta, per adspersionem aquæ benedictæ debet reconciliari: & propter peccatum vnius, aliis purgatio est indicenda.*

XXII. *Sacerdos infirmum vno tantum præsente clerico, vel etiam solus, inungere potest. Item, festum beati Matthiæ in anno bissextili, in primo vel secundo die potest celebrari. Item, mulier a viro suo pro crimine aliquatenus non est separanda, nisi vbi eam ad maleficia transire contigerit; de viro similiter statuentes.*

XXIII. *Si vero ad alienas partes se transtulerit, ibique per decennium moram fecerit, & redire noluerit, poterit inter ipsum & vxorem eius diuortium celebrari, sed proles ante diuortium procreata est legitima.*

XXIV. *Raptor dici non debet, qui mulieris habuerit consensum: & post carnis commixtionem matrimonium est perfectum.*

XXV. *Ea quæ propter filium proprium, quem interemerat, a viro est abiurata, eidem viro debet restitui, & ei de commisso pœnitentia indici.*

XXVI. *Confessio coacta non valet. Item, cum causa duobus committitur, sententia vnius non valet.*

XXVII. *Si quis aliquem interfecerit, ab altaris ministerio debet cessare.*

XXVIII. *Propter naturalem frigiditatem, vel alia maleficia, legitime coniuncti non sunt separandi. Item, qui non est aptus debitum reddere vxori, ad matrimonium contrahendum aptus minime reputatur.*

XXIX. *Ad arctiorem religionem licitum est transire. Item, licet inter aliquos publica & notoria sit parentela, non possunt tamen ab inuicem absque iudicio ecclesiæ separari. Licet notorium sit & publicum, aliquem cognatam suam duxisse, si non appareant aliqui qui velint matrimonium impetere, non sunt separandi, nisi in primo vel secundo gradu consanguinitatis sint coniuncti. Decimæ a laicis iure hereditа-*

rio non possunt possideri.

XXX. De eucharistia in ore mulieris in carnem versa.

XXXI. Licitum est a sponsalitiis recedere, & ad vitam contemplatiuam venire. Si quis aliquam petat in vxorem, cuius viri consanguineam se cognouisse dicat, non est inter eos matrimonium contrahendum, nisi sit iuramento firmatum.

XXXII. Si mulier iudicio ecclesiæ ab aliquo sit separata, & alii sine contradictione ecclesiæ matrimonio copulata, non potest secundus vir ab ea recedere, licet prior vir viuat.

XXXIII. Clerici obtentu patronatus ab ecclesiis canonice acquisitis non sunt amouendi.

Videatur ipse locus.

XXXIV. Non est ius patronatus vel ecclesiasticum beneficium, nisi requisita episcopi licentia, in foro seculari ab aliquo vendicandum.

XXXV. Laicus ecclesiam spolians est excommunicandus.

XXXVI. Ecclesia iudicat aliquem diris quæstionibus subiiciendum.

XXXVII. Appellationibus, vt Iudæi Christiana mancipia habeant, factis non est aliquatenus deferendum. Item, non licet Iudæis nouas constituere synagogas, aut altiores, aut ampliores facere, aut precioſiores.

XXXVIII. Lite pendente nihil est innouandum.

XXXIX. A clericis & presbyteris, quamuis fornicariis, quamdiu ab ecclesia tolerantur, licite diuina officia audiuntur, & alia ecclesiastica recipiuntur sacramenta.

XL. Vbi quis percipit spiritualia, ibi dare debet temporalia.

XLI. Decima noualium ecclesiæ, in cuius parochia territorium est, persolui debent. Item, laici a clericis vel conuersis decimas de laboribus suis exigere non debent. Item, qui a colonis tertiam vel quartam partem laborum ante solutionem decimarum recipiũt, decimam de portione sua, scilicet quod colonus de sua, persoluere tenetur. Anno Christi 1179.

XLII. Si quis per verba de præsenti aliquam desponsauerit, licet ea incognita aliam acceperit & cognouerit, ab ea debet separari, & primæ adhærere. Si vero promissio facta est tantum de futuro, de violatione iuramenti pœnitentia est iniungenda. Item, lite pendente nihil est innouandum. Item, matrimonium contra interdictum ecclesiæ factum, est irritandum. Item, matrimonium prætextu minoris ætatis non est dissoluendum, cum malitia suppleat ætatem. Item, matrimonium vi contractum, nisi postmodum consensus accesserit, potest irritari.

XLIII. In dubiis, vicinia fama est inquirenda: & quod instrumentum ab eo cognitum qui officium gerebat, ratum & firmum est habendum.

XLIV. Iuramentum a iurantibus ad inuicem potest remitti.

XLV. Non baptizatus, vel confirmatus, in baptismo vel chrismate alium in filium suscipere non potest.

XLVI. Presbyter ordinatus non baptizatus, debet baptizari, & iterum ordinari; & omnes ab eo baptizati.

XLVII. Mulier a viro separata, dotem debet habere, & post annum alium potest accipere virum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179.

XLVIII. *Quj eodem crimine est infectus, contra alium non potest testificari, cum nulli de se confesso, aduersus alium in eodem crimine sit credendum.*

XLIX. *Iudicio ecclesiæ potest quis pœna pecuniaria mulctari, & quæstionibus subiici duris.*

L. *Licet aliquis confiteatur, ante matrimonium se vxorem fratris sui cognouisse, nisi hoc publicum sit & notorium, non est propter hoc inter eos diuortium celebrandum. Item, Saracenus mulierem tenens Christianam, est puniendus, & ipsa similiter.*

LI. *Iudicio aquæ frigidæ purgatus, si fama laborat, & testes non appareant, iterum se debet purgare; quoniam in ecclesiasticis iudicia inhibita sunt peregrina. Item, purgatores debent iurare, quia purgatum credunt verum iurasse.*

LII. *Interdicti vel excommunicati si diuina præsumpserint officia celebrare, perpetuo sunt deponendi, nisi multitudo sit in causa. Multi vero sunt quadraginta.*

LIII. *Si excommunicatus lecto ægritudinis detineatur, & propinqui eius pro eo satisfecerint, Christianam poterit & debet habere sepulturam.*

LIV. *Vbi prætextu appellationis crimen noscitur committendum, non est appellationi deferendum. Item, si excommunicatus præstito iuramento iudicio ecclesiæ sisti, fuerit absolutus, statim appellans per eamdem sententiam compelli potest vel appellationem prosequi, vel iudicio ecclesiæ stare.*

LV. *Appellationi de omni grauamine interpositæ non est deferendum. Si vero de omni grauamine, quod in vna causa potest contingere, fuerit appellatum, est supersedendum.*

LVI. *Sacerdos sciens aliquem reum criminis, ad instantiam illius qui damnum passus est, potest eum excommunicare, non tamen potest eum a publicis officiis remouere.*

LVII. *Seruus, nisi sit manumissus, non est ordinandus. Si vero aliqua calliditate fuerit ordinatus, est deponendus, dominoque restituendus.*

LVIII. *Impetitus de simonia, iurare debet, quod nec ipse, nec alius pro eo, se sciente, precium dedit. Item, purgatores debent iurare, quod credunt ipsum verum iurasse.*

LIX. *Res ecclesiastica iure hereditario non potest possideri.*

LX. *Subdiaconus matrimonium contrahens, non potest promoueri, nec in subdiaconatu tolerari, nisi habitum susceperit religionis: in minoribus tamen ordinibus potest ministrare.*

LXI. *Filii clericorum, siue geniti sint in sacerdotio, siue non, in ecclesiasticis rebus patribus primo loco succedere non possunt. Si vero vnus plures ecclesias, quas pater eius tenuerat, sit adeptus, vna, dum tamen sufficiat, debet esse contentus.*

LXII. *Posteriores literæ prioribus præiudicant, si non sint veritate tacita impetratæ.*

LXIII. *Quj, cum non esset sacerdos, Missam publice celebrare præsumpsit, non potest postmodum ad sacerdotium promoueri, sed ei potest de misericordia beneficium ecclesiasticum assignari.*

LXIV. *Si sponsalia inter aliquos sint contracta, & alter ante car-*

nis commixtionem lepram incurrerit, non est alter ad consummandam maritalem copulam cogendus. Si mulier consortium viri propter hæresin declinauit, ea scilicet intentione, vt eum ab errore conuerteret, eo reuertente, cogenda est matrimonium redintegrare: Si vero iudicio ecclesiæ fuerit separata, ad recipiendum eum non est cogenda. Mulier, quemadmodum & vir, liberam sibi potest præligere sepulturam. Vbi non inuenitur aliquid diffinitum, consuetudini est reliquendum.

LXV. Si quis diaconus ordine postposito, officium presbyteri susceperit, si id non ex malitia fecerit, competenti tempore ei potest diaconatus ordo impendi, & postmodum poterit in officio sacerdotis permanere.

LXVI. Si quis fuerit infamatus, accusatoribus deficientibus, debet se purgare.

LXVII. Metropolitanus iure metropolitico causas audire non potest, nisi per appellationē ad eum deferātur. Si vero legatus fuerit, vniuersas causas legationis obtentu, licet ad eum per appellationem deferantur, poterit audire.

LXVIII. Qui de rebus ecclesiasticis nolunt testimonium perhibere, si alias veritas nequiuerit elici, ad id sunt compellendi. Item, si clerici passi sint iniuriam, & id nequiuerint testibus comprobare, licet vnius testimonio standum non sit, tamen propter reuerentiam clericalis ordinis, ipsorum iuramento fides est adhibenda. Item, qui pro absolutione ad sedem apostolicam sunt mittendi, si valetudine præpediantur, ab episcopo possunt absolui, præstito iuramento, quod pristinæ sanitati restituti, apostolico conspectui se repræsentent. Item, femineo sexui, pueris, ac senibus libere potest dispensari. Item ecclesiæ si sanguinis vel seminis effusione sunt pollutæ, cum processione & aquæ benedictæ adspersione sunt reconciliandæ.

I. Maioris & sanioris partis debet sententia præualere.

II. Ordinationes ab hæresiarchis & ab ordinatis ab eis factæ, & alienationes vel inuasiones de rebus ecclesiasticis, omni debent firmitate carere. Item, qui iuramentum sponte præstitit de tenendo schismate, debet suspendi.

III. Nullus debet in episcopum eligi nisi sit triginta annorum, & de legitimo matrimonio natus. Item, nulli regimen ecclesiarum vel cura animarum est committenda, nisi vigesimumquintum annum attigerit. Item, archidiaconus debet esse diaconus: decanus, presbyter.

IV. Prælati in procurationibus suis non debent subditis esse oneroſi, & archiepiscopus quadraginta vel quinquaginta euectionis numerum in visitatione parochiæ non debet excedere: cardinales, viginti vel vigintiquinque; episcopi, viginti vel triginta: archidiaconi, quinque vel septem: decani duobus equis debent esse contenti, nec cum canibus venatoriis vel auibus proficisci. Item, episcopi non debent subditos tallis & exactionibus grauare, licet pro magna necessitate moderatum cum caritate auxilium valeant postulare. Archidiaconi vel decani nullas tallias vel exactiones in subditos possunt exercere, &c.

ANNO CHRISTI 1179.

V. *Si episcopus aliquem sine certo titulo ordinauerit, si proprium non habuit, vnde sustentari valeat, ei debet necessaria subministrare.*

VI. *Ne prælati sine canonica admonitione suspensionis vel excommunicationis sententiã proferant in subiectos: nec subiecti ante ingressum causæ in vocem prorumpant appellationis: & ne religiosi, pro euitanda disciplina appellantes, audiantur. Item si appellans prosequi appellationem neglexerit, eo qui appellatus fuerat, veniente, debet ei recompensatio fieri expensarum.*

VII. *Ne pro personis ecclesiasticis ad sedem deducendis, vel sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, vel aliis ecclesiasticis sacramentis aliquid exigatur; & ne noui census a prælatis ecclesiis imponantur, nec veteres augeantur, nec partem redituum audeant sibi appropriare.*

VIII. *Ne ecclesiæ vel ecclesiastica beneficia alicui tribuantur, vel promittantur, antequam vacent: & vt vacantes, infra sex menses personis dignis conferantur.*

IX. *Ne ecclesiæ vel decimæ de manu laici recipiantur, vel in eis absque licentia episcopi aliqui instituantur: & ne ab eis instituti, ab aliquo sine eo amoueantur: & ne Hospitalarii vel Templarii in ecclesia interdicta, nisi semel in anno, diuina præsumant officia celebrare, nec tunc mortuos sepeliant: & ne aliqui ab episcoporum potestate eximantur, obtentu alicuius religionis, nisi se omnino religioni vel fraternitati contulerint, propria relinquentes.*

X. *Ne religiosi precio recipiantur, nec peculium habere permittantur: vel in ecclesiis parochialibus ponantur; & de pœna contra hoc venientium; & ne aliqua obedientia pro precio alicui tradatur.*

DE SIMONIA.

PARS II.

CAPVT I.

*Ne merces pro ecclesiæ consecratione recipiatur, vel pro * moniacatione, vel pro sacramentis ecclesiæ, vel pro licentia docendi; Neve prælati vices suas ad causas terminandas, vel regimen ecclesiarum sub annuo precio committant; Neve subditos talliis vexent, vel pœna pecuniaria mulctent.*

*Fort. monachatione.

QVONIAM in quibusdam partibus decani quidam vel archipresbyteri ad agendas vices episcoporum seu archiepiscoporum, & terminandas causas ecclesiasticas, sub annuo precio statuuntur, quod ad sacerdotum grauamen, & ad subuersionem iudiciorum non est dubium redundare, id vlterius fieri prohibemus. Quod si quis de cetero fecerit, nostra auctoritate remoueatur a clero. Episcopus autem qui in sua diœcesi hoc sustinuerit, & eccle- 21. q. 2. Præcipimus.

siastica iudicia patiatur dissimulatione sua peruerti, canonica districtione percellatur. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. II. *Idem in Turonensi Concilio residens ait.*

Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum patrum institutionem inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen statuantur, ne id fiat, modis omnibus prohibemus: quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

CAP. III. *Idem R. Cantuariensi archiepiscopo.*

2. *Tim.* 4. Licet (iuxta Apostolum) arguere, obsecrare, & increpare debeamus, sic tamen debemus excessus corrigere singulorum, vt probemur non quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi sunt, quærere. Accepimus autem, quod archidiaconi Couentrensis episcopatus, pro excessibus & criminibus puniendis, a clericis & laicis pœnam pecuniariam exigant; & pro examinatione ignis & aquæ, triginta denarios a viro & muliere quærere præsumunt, & pro annua exactione personæ quandoque personas suspendunt, ecclesias interdicunt, a vicariis quoque duodecim denarios, vt in ecclesiis eorum cantare permittant, exigere non formidant: & alia agunt, quæ Canonum obuiant institutis, & de radice cupiditatis, & auaritiæ prodire videntur. Quia igitur solicitudini nostræ incumbit, pastorali diligentia prouidere, ne ab ecclesiasticis personis tuæ prouinciæ aliquid exigatur, quod reprehensioni subiaceat, vel ecclesiasticam denigret dignitatem: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus archidiaconis prædicti episcopatus ex parte nostra & tua districte inhibeas, ne pro excessibus corrigendis, aut criminibus puniendis, a clericis vel laicis pœnam pecuniariam, nec pro examinatione ignis & aquæ denarios amplius exigere audeant, vel alia, quæ dicta sunt, quomodolibet exercere. Si autem contra prohibitionem tuam ausu temerario venire præsumpserint, eos omni excusatione & appellatione remota, ecclesiastica districtione percellas, & sententiam ipsam vsque ad dignam satisfactionem facias inuiolabiliter obseruari.

Dist. 94. Dictum.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. IV. *Idem Vigilensi episcopo.*

Cum sit Romana ecclesia, cui licet immeriti præsidemus, mater ecclesiarum omnium & magistra, cogimur ex debito susceptι honoris & regiminis, prout Dominus nobis dederit, respondere consultationibus singulorum, vt dubiæ quæstiones, apostolicæ sedis prouidentia enodentur. Quæsiuisti autem frater episcope, tuæ fraternitati rescribi, vtrum pro ecclesiarum consecratione quidquam præter procurationem moderatam habere debeas, cum Apostolus dicat, *Nemo cogitur suis stipendiis militare*,* ab eadem ecclesia exigere potes.

Episcopum ab ecclesia quam consecrat, procurandum.

* deest aliquid.

1. Cor. 9.

CAP. V. *Idem in Concilio Turonensi de eadem re.*

Cum autem collectas denariorum beati Petri per archidiaconatus vestros feceritis, in collectione facienda ecclesias vel parochias grauare nullatenus præsumatis aliter siue magis, quam prædecessores vestri tempore sanctæ recordationis Eugenii & Innocentii Romanorum pontificum fecisse noscuntur. Quod si temeritate aliqua contempseritis, id quod videmini habere, auferetur a vobis.

CAP. VI. *Idem eidem episcopo.*

Nihilo minus & præsentium auctoritate iniungimus, vt cum ecclesias ipsas visitaueritis, secundum quod Canones præcipiunt, visitatoris officium exerceatis, nec ecclesias visitatione vestra grauetis, vt magis intuitu informationis & correctionis, quam affectu comessationis videamini visitare.

CAP. VII. *Idem.*

Peruenit ad audientiam nostram, & plurimum miramur, & aduersum vos de iure mouemur, quod in presbyteros qui sunt in iurisdictione vestra constituti, singulis annis quasi in seruos & mercenarios talliam faciatis: quibus, nisi ad voluntatem vestram pecuniam soluant, diurnum officium interdicitis, & eos viliter & inhoneste tractatis, in tantum quod ipsos laicis despicabiles reddidistis. Ideo vero hæc, si vera sunt, graui debent vltione puniri, cum eosdem presbyteros quasi filios & fratres benigne ac summa caritate fouere debeatis. Vnde vobis per A. S. *&c.* vt

Dist. 94. Dictum.

in prædictos presbyteros huiusmodi tallias & indebitas exactiones exercere non præsumatis, nec eos de cetero irrationabiliter grauetis, vel inhoneste tractetis, aut sine iudicio capituli sui suspendere præsumatis, vel eorum ecclesias interdicto subiiciatis: nec eos duas matrices ecclesias, quarum vnam sufficere sibi videbitis, tenere permittatis, nec eos sine ordine iudiciario excommunicare præsumatis. Sciatis pro certo, quod si huiusmodi rumores de vobis ad aures nostras iterum peruenerint, nos pro tantis excessibus, Domino auctore, taliter puniemus, quod timore pœnæ ceteri a similibus abstinebunt. Anno Christi 1179.

CAP. VIII. *Idem Cenomanensi episcopo.*

Ecclesias autem, quas de nouo episcopus de manibus laicorum eripuit, præter cathedraticum & iura omnia, quæ aliis ecclesiis imponuntur, non videmus exactionem aliam imponendam, qui nouis exactionibus decreto nostro prohibuimus amodo ecclesias prægrauari.

CAP. IX. *Idem archidiaconis & decanis.*

Ad nostram noueritis audientiam peruenisse, quod personas ecclesiarum quasi seruos & mercenarios singulis annis indebitis exactionibus grauare præsumitis, extorquendo ab eis pecuniam, & procurationes eas diuersis nominibus, scilicet aliquando auxilium episcopi, interdum eiusdem episcopi & vestras consuetudines nuncupantes: quas si vobis forte reddere contradicunt, vos eosdem vicarios ecclesiarum, & personas ab officio suspendentes, in eorumdem ecclesiis diuina celebrare officia prohibetis, & inter cetera denarios chrismatis ab eis pro voluntate vestra, in salutis vestræ periculum, extorquere præsumitis: huiusmodi exactionem, vt eam liberius videamini exigere, quandoque consuetudinem episcopalem, quandoque synodalia, quandoque denarios paschales appellantes. Et infra: Quia vero non decet vos, ita clericos viliter & inhoneste tractare, D. V. *&c.* quatenus indebitis exactionibus aut procurationibus de cetero grauare vel personas eorum aut ecclesias sine manifesta ratione & rationabili causa interdicto supponere nullatenus præsumatis. Alioquin, si exinde ad nos iterata quæstio peruenerit, *&c.*

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. X.

Idem in Concilio Turonenſi.

Quia non ſatis vtiliter auaritia in populo redarguitur, ſi ab his qui in clero conſtituti videntur, & præcipue contempto ſæculo religioſorum nomen profitentur & regulas, modis omnibus non cauetur: prohibemus, ne ab eis qui ad religionem tranſire voluerint, aliqua pecunia requiratur: neve prioratus vel capellania quælibet monachorum vel clericorum annua diſtrictione vendatur: neque ab eo cui regimen ipſarum committitur, ex earum commiſſione precium exigant. Hoc ſimoniacum eſſe, ſanctorum patrum auctoritas manifeſte declarat. Vnde quiſquis hoc de cetero attentare præſumpſerit, tam qui dederit, quam qui receperit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepultura quidem & chriſmatis & olei perceptione, nulla alicuius precii exactio intendatur, neque ſub obtentu huius conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, ſed auget.

Diuturnitate temporis non minui peccatum.

CAP. XI.

Idem * *Cotronenſi epiſcopo, & abbati Ceſtrenſi.*

Mandamus vt ex noſtra parte & veſtra R. archidiacono Ceſtrenſi prohibeatur, clericos ſiue laicos, qui pro ſuis exceſſibus puniendi ſunt, pœna pecuniaria mulctare, ſiue * in examinatione ignis vel aquæ a quolibet viro vel muliere pecuniam extorquere præſumat, aut pro annua & debita exactione pecuniæ perſonas ſuſpendere vel eccleſias interdicere: neque ad eccleſias ſui archidiaconatus viſitandas, niſi ſemel in anno, accedat: niſi forte talis cauſa emerſerit, propter quam ipſum oporteat eccleſias ſæpius viſitare: & tunc cum ea moderantia hominum & equitaturarum, quod qui in eis morantur, exinde non debeant merito querulari. Si autem contra inhibitionem talem venire præſumpſerit, eccleſiaſtica ſeueritate percellatis, omni occaſione & appellatione ceſſante, & ſententiam ipſam, vſque ad dignam ſatisfactionem faciatis inuiolabiliter obſeruari, ita quod in vos & in illos hic non cogamur durius vindicare.

* pro

CAP. XII.

Anno Christi 1179.

Idem venerabili fratri R. & Vuigornensi episcopo, & dilecto filio priori de Panteia.

Querelam nobis monachorum de * Atra transmissam accepimus, quod cum ipsi * quondam mannium, quod dicitur Vella, cum pertinentiis suis, & ecclesiam de Gadonum a monachis de * Gadonio sub annuo canone quindecim librarum fuissent adepti, & inde chartam ab ipsis monachis habuissent: quidam prior eorum, capitulo inconsulto, præscriptum mannium & ecclesiam & chartam, de * Gadonio accepta persona, resignauit, indeque præfati monachi de * Atra conqueruntur se iniuste grauatos, & nobis imminet corrigendum, si quid minus quam rationabiliter attentatur; causam ipsam experientiæ vestræ committimus, præsentium vobis auctoritate mandantes, quatenus partibus ante præsentiam vestram conuocatis, quæ hinc inde proposita fuerint diligentius audiatis, & prædictam causam, sublato appellationis remedio, concordia vel iudicio terminetis, prouisuri, quod sicut eminon potuerunt iura, etiam nec redimi. Si vero monachi de * Gadonio legitime citati ad præsentiam vestram accedere & iudicio stare contempserint: vos prædictos monachos de * Atra, in possessionem eorum de quibus controuersia vertitur, occasione & appellatione cessante, inducere festinetis, nec ipsos exinde permittatis absque ordine iudiciario molestari. Si vero vterque vestrum his exequendis interesse non poterit, alter nihilo minus ea exequatur.

16. Quæst. 7. Decimas. 1. quæst. 3. Quæsitum.

CAP. XIII. *Idem Toletano archiepiscopo.*

De hoc quod rex & principes sui a Bernardo quondam * Certomensi episcopo pecuniam accepisse dicuntur, vt eius electioni præstarent assensum, & quod idem episcopus archidiacono * Seuiensi beneficium certi reditus, & cuidam clerico ante electionem suam prioratum dicitur promisisse, vt vterque eorum, archidiaconus videlicet & clericus, eius electioni consentirent: hoc tuæ paternitati duximus respondendum, quod si operis euidentia manifesta æstimatur, ita quod notorium est, eumdem archi-

ANNO CHRISTI 1179. diaconum & clericum ob illam causam tam iniquam & detestabilem promissam rem accepisse: aut si exinde confessi fuerint in iure, vel legitime possunt ab aliquibus conuinci, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi. Si vero id manifestum non est, nec inde conuicti vel confessi fuerint, & tamen postea laborant infamia, eis canonica purgatio debet indici: in qua si defecerint, tamquam tanti sceleris auctores sunt puniendi. Regem autem & principes suos solicite monere debes, & diligenter inducere, vt si qua receperint a præfato episcopo, vt eius electioni præstarent assensum, ecclesiæ * Ceromensi sine diminutione restituant, cum ea sine graui salutis suæ periculo retinere non possint.

CAP. XIV.

Idem Eboracensi archiepiscopo scilicet legato.

Cum essent in præsentia nostra constituti R. clericus de Ponte fracto, & nobilis vir VV. filius Godrici, pro controuersia quæ vertebatur inter eos super quadam ecclesia, quam idem R. asserebat a præfato milite sibi datam fuisse: prædictus VV. qui moram diutius facere non poterat, in recessu suo dilectum filium nostrum magistrum Milonem nuntium suum, pro se in causa illa sufficientem responsalem constituit. Cumque causæ cognitionem dictis filiis nostris M. presbytero tituli sanctæ Luciæ, & VV. tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali commisissemus, ipsi vtramque partem ante præsentiam suam conuocarunt, & ab ore præfati R. intellexerunt, quod præfatus miles promiserat ei dare præscriptam ecclesiam, si quoddam negotium eiusdem militis posset in curia nostra promouere. Vnde & cum id nobis per eosdem cardinales innotuisset, nos intelligentes promissionem illam simoniacam continere prauitatem, eidem R. super ecclesiam silentium imposuimus. Ideoque fraternitatem tuam, *&c.* quatenus memoratum militem occasione prædictæ controuersiæ a prænominato R. vel aliis super scripta ecclesia grauari vel inquietari nulla ratione permittas.

CAP. XV. *Idem Ceſtrenſi epiſcopo.*

Anno Christi 1179.

Inſinuatum eſt auribus noſtris, quod dum epiſcopatus tibi commiſſus vacaret, in eccleſiis eius plurimi ſunt inſtituti, qui per ſimoniam dicuntur habere ingreſſum, & infamia reſpergi. Vnde quoniam indignum eſt, vt in tali crimine vel tam turpi ſuſpicione remanerent, F. T. *&c.* quatenus ſi qui fuerint in prædictis eccleſiis, quos publicum ſit & notorium ſimoniace intraſſe, eos ab eccleſiis taliter acquiſitis, appellatione ceſſante, amoueas: illis autem quorum crimen non eſt publicum & notorium, ſi publica laborant infamia, cum quinta manu vel ſexta ſui ordinis, infra quadraginta dies poſt harum ſuſceptionem, purgationem indicas: in qua ſi defecerint, beneficiis eccleſiarum ſibi commiſſarum perpetuo priues, prouiſurus attentius, vt tales perſonas ad eorum purgationem recipias, de quibus veriſimile ſit, quod non debeant alicuius rei obtentu * deierare.

Quæ perſonæ ad purgationē admittēdæ.

*peierare

CAP. XVI. *Idem.*

Dilectus filius noſter magiſter R. præſentium lator, in noſtra præſentia conſtitutus, conſtanti nobis aſſertione propoſuit, quod cum ipſe Bleſis ſub magiſtro Huſdrico ſcholas regeret, & ſe crederet de clementia ſedis apoſtolicæ ab huiuſcemodi precii exactione immunem, idem Huſdricus, noſtra conſtitutione contempta, fideiuſſores, quos a præfato R. de precii ſolutione receperat, pro eodem precio ſpoliare præſumpſit. Quia igitur grauiter nimis excedit, qui apoſtolicis obuiat inſtitutis, D. T. *&c.* quatenus vtraque parte coram te conuocata, veritatem diligenter inquiras: & ſi ita inueneris, memoratum Huſdricum moneas, & eccleſiaſtica diſtrictione cogas, vt ea quæ de fideiuſſoribus ipſius R. abſtulit, appellatione ceſſante, cum omni integritate reſtituat, eoſque ab eadem fideiuſſione prorſus abſoluat, ne de cetero ab ipſo R. vel aliis pro magiſterio ſcholarum quidquam exigere vel extorquere præſumat: ſed eum Bleſis, quamdiu voluerit, ſcholas ſine aliqua moleſtia vel exactione regere patiatur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XVII. *Idem Londen.*

Prohibeas attentius de cetero, ne in parochia tua pro licentia docendi alios aliquid exigatur, aut etiam promittatur. Si quid vero post tuam prohibitionem solutum fuerit vel promissum, promissum remitti, solutum reddi facias, appellatione cessante, sciens quod scriptum est: *Quod gratis accepistis, gratis date*. Sane si aliquis occasione huius prohibitionis distulerit magistros congruos in locis congruis instituere, liceat tibi de concessione nostra, omni contradictione & appellatione cessante, ibidem viros prouidos & discretos aliorum instructioni præficere. *Matth. 10.*

CAP. XVIII. *Idem.*

Quando Gallicana ecclesia maiorum personarum scientia & honestate præfulget, & eo cautius nititur curare quæ confundere videantur ecclesiasticam honestatem: tanto vehementiori dignos animaduersione eos censemus, qui nomen magistri scholarum & dignitatē in ecclesiis vestris assumunt, & sine precio viris ecclesiasticis docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc praua & enormis consuetudo ex cupiditatis radice processerit, & decorem admodum ecclesiasticæ honestatis confundat, prouidendum nobis est & summopere satagendum, vt consuetudo ista de ecclesiis vestris extirpetur, cum nobis præcipue ac specialiter adscribatur, si quid in ecclesiis ipsis laude dignum inueniatur, vel reprehensione notandum. Sub anathematis ergo interminatione prohibere curetis, ne qui dignitate, si dignitas dici potest, fungentes, pro præstanda licentia docendi alios, sub aliquo modo aliquid exigere præsumant: sed eis districte præcipiatis, vt quicumque viri idonei & literati voluerint regere studia literarum sine molestia & exactione qualicumque, scholas regere patiantur. Si vero vestræ prohibitionis vel præcepti extiterint transgressores, eos auctoritate nostra & vestra officiis & dignitatibus spolietis. Porro si iuxta mandatum nostrum corrigere neglexeritis, negligentiam vestram grauem habebimus & molestam: & ad eam corrigendam, manum extendere compellemur: ita quod si voluerint in huiusmodi rapacitatis proposito persistere, non valebunt.

Pars III.

DE DOLO ET CONTVMACIA ET CALVMNIA ALTERIVS partium punienda.

Anno Christi 1179.

CAP. I.

Idem Herefordenſi epiſcopo.

AD hæc cum contingat actorem multoties mittendum eſſe in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ propter abſentiam alterius partis, & per eius dolum ſiue potentiam actor non poſſit rem cuſtodiendam nanciſci: & imminente fine anni, reus, ne poſſeſſionem amittat, debitam offerat cautionem, cuiuſmodi pœna ſit mulctandus, quia * reſponſioni non paret iudicis, a nobis tua fraternitas poſtulauit. Ad quod dicimus, quod in eccleſiaſticis perſonis & negotiis rigor & diſtrictio iuris non requiritur nec exercetur. Sed cum propter hoc iuſtitia non periclitatur, admitti debet & patienter tolerari, cum reus per cautionem ſtandi iudicio ſe aſtringit.

* inſtanti

CAP. II. *Idem.*

Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expenſas, & alio multiplici remedio, imperialis ſanctio compeſcit. Quoniam igitur ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur, præcipimus vt de cetero in cauſis pecuniariis victus victori in expenſas condemnetur, niſi forte, ſicut cautum eſt, pro abſente ſententia feratur.

CAP. III.

Cauſam quæ inter dilectos filios noſtros de * Giſeleburn & canonicos de * ſuper eccleſia de * Leuentri & capella de * Chorun, & iure decimarum ſuper quadam tranſactione, quæ exinde poſt appellationem facta fuiſſe dicitur, diutius eſt agitata, ad ſuggeſtionem cuiuſdam canonici de * Chorun, experientiæ veſtræ ſub certa forma commiſimus terminandam. Verum quidam canonicorum de * Giſelebuc, ad noſtram poſtmodum præſentiam accedentes, dilectorum filiorum noſtrorum cardinalium tunc ſedis apoſtolicæ literas pertulerunt, in quibus conti-

ANNO CHRISTI 1179. nebatur, quod cum de mandato noſtro cauſam ſuſcepiſſent definiendam, canonicos de * Giſeleburc in poſſeſſionem prædictæ eccleſiæ induxerunt. Verum quia prædicti cardinales tantæ honeſtatis, circumſpectionis & maturitatis habentur, quod eis fidem omnimodam adhibemus, & eos credimus rectum & iuſtum iudicium protuliſſe: D. V. *&c.* quatenus ſi infra annum memorati canonici de * Thorun cauſa poſſeſſionis ſecundum formam iuris non intrauerint, canonicos de * Giſeleborn poſſeſſionem, a cardinalibus adiudicatam, quiete faciatis & pacifice poſſidere, non obſtantibus literis, quas canonicus de * Thorun, ſententia cardinalium tacita noſcitur reportaſſe; ita quoque, quod canonici de * Thorun, de proprietate agere voluerint, cauſam ipſam vſque ad diffinitiuam ſententiam, remota appellatione, audiatis & fine debito terminetis. Si qua vero partium duxerit appellandum, depoſitiones iuratorum teſtium, & alias rationes vtriuſque partis ſub veſtris ſigillis clauſas, nobis mittatis, terminum vtrique parti congruum præfigentes, quo debeant cum ipſis atteſtationibus & rationibus ſe apoſtolico conſpectui præſentare.

CAP. IV. *Idem priori & canonicis de * Giſeleburn.*

Conſtitutis in præſentia noſtra dilecto filio noſtro R. canonico, & reſponſalibus dilecti filii noſtri G. præpoſiti eccleſiæ * Beuellacenſis ſuper poſſeſſione eccleſiæ de * Leuintri, in qua de mandato & auctoritate noſtra per iudices delegatos, videlicet * Exonienſem epiſcopum & priorem de Knieleunede, cauſa rei ſeruandæ fueratis introducti, hinc inde fuit coram te aliquantulum diſputatum. * Et tantumdem poſt rationes, & allegationes vtrimque productas, ex vtriuſque partis tenuimus aſſertione, quod licet cauſa rei ſeruandæ tantum in poſſeſſionem eiuſdem eccleſiæ fuiſſetis inducti, infra annum tamen altera pars non præſtitit cautionem ſuper eadem eccleſia vobiſcum iudicio ſtandi, licet voluntatem habuerit ipſam cautionem præſtandi, & vos fuiſſetis parati eam recipere. Inde eſt vtique, quod nos de communi fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica decernimus, vt vos amodo poſſeſſionem præſcriptæ eccleſiæ, ſaluo iure quod idem præpoſitus in petenda eccleſia habere dignoſcitur, libere &

*Leuinter

*f. Quia vero tandem

absque contradictione qualibet habeatis, nec præfatus præpositus super possessione aliquatenus vos audeat de cetero fatigare. Anno Christi 1179.

CAP. V. *Idem abbati Riuallis, & priori de Bridi.*

Dilecti filii nostri abbas & fratres de Neuhus, transmissa nobis insinuatione literarum, monstrauerunt, quod cum causa quæ vertitur inter ipsos & abbatissam & moniales de Elnestou Vesteæ, super ecclesia sancti Petri de Altun, quam prædicti fratres diu canonice & inconcusse, sicut asserunt, possederunt, & adhuc possident, dilectis filiis decano Linc, & archidiacono de Bedeford ad suggestionem nuntii monialium prædictarum commisissemus fine debito terminandam, prædicti fratres timentes a iudicibus grauari, eo quod ad primam citationem diem statuerunt peremptorium, ad audientiam nostram appellarunt, sed ipsi nihilo minus ecclesiam interdicto suppossuerunt. Quia vero non spectat ad iuris ordinem, diem peremptorium, maxime cum de rebus ecclesiasticis agitur, nisi maxima ingruente necessitate, ita maturare: neque inter eos qui contumaciter se absentant, sententiam taliter promulgare, nisi quod aduersa pars in possessionem mittatur, vt sic tædio affecti, iustitiæ stare cogantur: F. T. *&c.* quatenus partes ante præsentiam vestram conuocetis, & rei veritatem diligenter inquiratis: & si vobis constiterit, quod memorati fratres præfatam ecclesiam canonice fuerint adepti, eosdem fratres ipsam ecclesiam ab interdicto solutam, sub app. re. pacifice possidere faciatis, & aduersæ parti silentium imponatis.

Peremptorium ad primam citationem, non nisi ex magna necessitate proponendum.

Pars IV.

DE DECIMIS PRÆSTANDIS.

CAP. I. *Idem Cusano episcopo.*

INTELLEXIMVS ex literis tuis, quod R. de * Lantino parochianus tuus, tamdiu, scilicet sex annis, decimas capellæ suæ tibi detinuit, asserens quod in commutatione ipsius decimæ, prædecessori tuo reditus quarumdam dedit villarum, quos etiam tibi vult assignare. Ceterum quia decimæ cum temporalibus non sunt commutandæ, attendentes, tibi auctoritate præsentium inhibemus, ne præ- *Lantino

ANNO CHRISTI 1179. scriptos reditus in ipsius decimæ commutationem præsumas recipere: sed prædictum R. ad restituendas decimas subtractas tibi, & ad eas soluendas in posterum ecclesiastica districtione compellas.

CAP. II.

Idem Cantuariensi archiepiscopo, & eius suffraganeis.

Peruenit ad nos, quod cum parochiani vestri decimas bonorum suorum consueuerint ecclesiis, quibus debentur, persoluere: nunc tam laudabili consuetudine prætermissa, quidam ex ipsis de lana & de feno & de prouentibus molendinorum & piscariarum ipsis ecclesiis subtrahere non verentur. Quoniam igitur institutioni diuinæ manifestius obuiant, qui decimas ecclesiis non persoluunt, F.V. *&c.* quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit sub excommunicationis districtione compellatis, vt de prouentibus molendinorum & piscariarum & de feno & de lana decimas ecclesiis, quibus debentur, omni occasione & appellatione cessante, cum integritate persoluant.

CAP. III. *Item Vvintonienſi epiſcopo.*

Nuntios & literas tuæ fraternitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & petitiones tuas, quoad licuit, curauimus exaudire, sicut illius personæ quam pure in Domino & feruenti caritate diligimus, & cuius commodis & profectibus intendere volumus diligenter. Cum ergo ad officium tuum spectent ea, in quibus præcepti nostri desideras auctoritate muniri, tanto in his facilius debuisti exaudiri, quanto ipsa eorum specialius salutem respiciunt, de quibus in extremo iudicio redditurus es rationem. Inde est quod F. T. *&c.* quatenus tam comites quam barones, nec non & milites & omnes alios de parochia tua moneas propensius & inducas, vt appellatione cessante & * E. D. C O N. vt decimas matricibus ecclesiis de diuitiis suis cum omni integritate persoluant. Præterea parochianos vestros de feno equitio, pomis & pyris & apibus & omni fructu decimas soluere ecclesiastica districtione, appellatione cessante, compellas.

CAP. IV. *Idem * Ryomenſi & Vvintonienſi epiſcopis.* Anno Christi 1179. * Vuinton.

An decimandum ſit antequam ſeruientibus debita impendantur de frugibus.

Cum homines de Hortun, ſecundum generalem eccleſiæ Anglicanæ inſtitutionem, de frugibus ſuis in autumno, nouem partibus ſibi retentis, decimas eccleſiæ & mihi, cuius parochiani ſunt, ſine diminutione ſoluere teneantur, antequam eidem eccleſiæ decimas ad eam ſpectantes perſoluant, ſeruientibus & mercenariis ſuis de frugibus non decimatis debita totius anni pro ſeruitio ſuo impendunt, & tunc deinde de reſiduo decimas perſoluentes: Vnde D. V. *&c.* quatenus ſub anathematis diſtrictione compellatis eos, vt decimas tam de nutrimentis animalium ſuorum, quam de frugibus ſine fraude & diminutione aliqua in autumno, ſicut mos eſt, ſtatim collectis frugibus, & in aliis temporibus, prout debentur, perſoluant, atque de ſubtractis atque retentis dignam ſatisfactionem exhibeant.

PARS V.

DE CONIVGATIS ET SPONSIS MONASTERIVM INGRESSIS, VEL INGREDI VOLENTIBVS.

CAP. I. *Idem Salernitano archiepiſcopo.*

VERVM poſt conſenſum illum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repudiante, monaſterium eligere, ſicut quidam ſancti de nuptiis vocati fuerunt: dummodo inter eos carnis commixtio non interuenerit, & alteri remanenti, ſi commonitus ſeruare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur, vt ad ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cum non fuiſſent vna caro effecti, poteſt vnus ad Dominum tranſire, & alter in ſæculo remanere.

CAP. II. *Idem Piſano archiepiſcopo.*

Diſt. 32. Seriatim.

Quidam intrauit monaſterium inuita vxore, ipſum eadem repetente coactus eſt ad eam redire: ea mortua, quæris an ipſe cogatur ad monaſterium redire, an aliam poſſit accipere vxorem. Quæſtioni tuæ taliter reſpondemus, quod votum non tenuit. Vnde ratione voti non tenetur ad monaſterium redire. Vlterius vero non poteſt accipere vxorem. Promiſit enim ſe non exigere debitum, quod

ANNO CHRISTI 1179. in eius potestate erat: & ideo tenuit votum; non reddere autem, non erat in eius potestate, sed mulieris. Vnde Apostolus: *Vir non habet potestatem*, &c. 1. Cor. 7.

CAP. III. *Idem* Exonienſi epiſcopo.

Cum præditus sis scientia literarum, ignorare non potes nec debes, sanctorum patrum constitutione contraditum, vt vir, vxore sua in sæculo remanente, aut mulier, viro non assumente religionis habitum, non debeat ad religionem transire: quia cum vir & vxor vna caro sint, vt ait Apostolus, non potest alter ad Deum conuerti, & alter in sæculo remanere. Inde est quod apostolica auctoritate tibi prohibemus, ne in episcopatu tuo virum vel vxorem, nisi vterque ad religionem migrauerit, transire permittas. Sed si voluerint ad Deum conuerti, vterque ad frugem melioris vitæ transeat. Verum si vxor ita senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo: dissimulare poteris, vt vir, ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad religionem transeat. *Ephes.* 5. Dist. 50. Si quis diac.

CAP. IV. *Idem Herefordenſi epiſcopo.*

Præterea, vtrum laicus vxoratus, qui præsentibus sacerdotibus & monachis, episcopo ignorante, de licentia & permissione vxoris suæ, monasterium est ingressus, & forte professionem fecit, vxore in sæculari habitu remanente, nec ad religionem transeunte, aut perpetuam continentiam vouente, ab episcopo suo possit ad torum vxoris reuocari; an illa compellenda sit ad obseruationem perpetuæ continentiæ. Dicimus quod nisi, vbi subest timor incontinentiæ, vxor ad religionem transierit, vel in conspectu ecclesiæ continentiam seruare promiserit, ad eam debet & potest ab episcopo reuocari. Quia cum sint vna caro effecti, non debet vna pars in sæculo remanere, & altera ad religionem transire. Verumtamen vxor commonenda est & propensius exhortanda, vt ad religionem transeat, & castitatem seruare promittat. Sed quid, si consensu vxoris perpetuam habuisset continentiam, manés cum ea in habitu sæculari?

CAP. V. *Idem* Exonienſi epiſcopo.

Si quisquam qui se religioni deuouit, & habitu suscepto professionem fecit, postmodum sibi aliquam copula-

uerit, cogendus est ab ea discedere, & ad ecclesiam, cui se contulerat, debet sine contradictione transire. Quod si habitum susceperit, & non professionem fecit, sed solum votum emisit, & se ad religionem transire promisit, licet postmodum matrimonium contraxerit, non est ab ecclesia cogendus ad monasterium transire, & matrimonii vota rescindere. Anno Christi 1179.

CAP. VI. *Item Strigonienſi & *Colonienſi archiepiſcopo.* *Salzburgenſi

Coniugatus in monasterium conuerti desiderans, suscipi prohibetur, nisi vxor illius similiter conuertatur. Nam dum vnum vtrimque corpus post coniugii copulationem sit factum: incongruum est, partem conuerti, & partem in sæculo remanere. Nec recipitur illius viri apud Deum conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio. Cum igitur senatus S. clericorum longe præemineat cœtui monachorum, ita vt aliquando bonus monachus vix bonum clericum faciat: nullus coniugatorum est ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus, vt fiat deinceps de carnali copula spirituale coniugium.

CAP. VII. *Idem eidem.*

Sane si coniugati consenserint ordinari, etiam vxoris voluntas prius requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postquam pariter conuersi fuerint, ordinentur. Quod si in quibuslibet ecclesiasticis gradibus prouidenter scienterque curandum est, vt in domo Dei nihil sit inordinatum, nihilque præposterum: multo magis laborandum, vt in eius promotione qui supra gradus omnes continetur, non erretur. Inde est, quod fraternitati tuæ apostolica auctoritate prohibemus, ne vxoratum in episcopum præsumatis ordinare, nisi prius vxor continentiam professa, sacrum velamen sibi imponat, & religioni congruam vestem assumat. Nolumus etiam vt viri promotio vxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio. Dist. 61. Miramur.

CAP. VIII. *Idem Brixienſi epiſcopo.*

Ex publico instrumento, quod nobis est præsentatum, &

ANNO CHRISTI 1179. & ex tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod cum venerabilis frater noster Veronensis episcopus de mandato nostro causam matrimonii, quæ inter Matthæum virum & Agolechen mulierem vertebatur, suscepisset fine debito terminandam, auditis vtriusque rationibus & allegationibus, inter eos iudiciali sententia matrimonium approbauit, & eidem mulieri præcepit, vt ad virum suum rediret, & exhiberet coniugalem affectum. Verum cum eadem mulier ad eum iuxta sententiam prædicti episcopi egredi nollet, de mandato nostro, sicut accepimus, fuit vinculis excommunicationis adstricta. Ceterum quia præfata mulier, licet a præfato viro desponsata fuerit, adhuc tamen, sicut ipsa asserit, ab ipso est incognita, fraternitati tuæ per A. S. præsentibus mandamus, quatenus si supradictus vir mulierem ipsam carnaliter non cognouit, & eadem mulier, sicut ex parte sua nobis proponitur, ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam, contradictione & appellatione cessante, a sententia qua tenetur, absoluas: ita quod si ad religionem transire maluerit, vterque restituat alteri, si qua alter ab altero habuit: & vir ipse, ea religionis habitum assumente, ad alia vota licentiam habeat transeundi. Sane quod Dominus in euangelio dicit: *Non licet viro vxorem suam, nisi causa fornicationis, dimittere:* intelligendum est, secundum interpretationem sacri eloquii, de his, quorum matrimonium est carnali copula consummatum, sine qua matrimonium consummari non potest; & ideo si prædicta mulier non fuerit a viro suo cognita, licitum est ei ad religionem transire.

Matth. 5. & 19.

27. q. 2. Non dubium.

CAP. IX.

Idem priori G. & fratribus iuxta disciplinam bonæ memoriæ electi viuentibus.

Vxoratus autem sine licentia propriæ vxoris inter vos nullatenus recipiatur: quæ si integræ famæ & opinionis ita existat, quod nulla merito suspicio habeatur eam ad secunda vota migrare velle, vel quod minus continenter debeat viuere: quod si, prout dictum est, talis extiterit, marito eius in consortio vestro recepto, ipsa publice in

conſpectu eccleſiæ continentiam profeſſa, in domo pro- ANNO CHRISTI 1173.
32. q. 1. §. Cum ergo. pria cum filiis ſuis familiaque poterit remanere. Si autem talis fuerit, quæ ſuſpicione careat, voto continentiæ celebrato, a ſæcularium hominum conuerſatione ſe remoueat, & in loco religioſo, vbi Deo ſeruiat, perpetuo moretur. Nullus veſtrum audeat mulierem aliquam tonſurare, vel eam ad habitandum ſecum aſſumat.

CAP. X. *Idem.*

Veniens ad noſtram præſentiam Marcus eremita, ſua nobis aſſertione propoſuit, quod quædam mulier cuidam viro abſenti fide data ſe nupturam promiſit: ſed poſtmodum audiens plura de ſeueritate & inhumanitate ipſius viri, ei nulla ratione voluit copulari. Cum itaque timeret, ne illi nubere cogeretur, in manibus ſuis ſimpliciter votum continentiæ compromiſit: non tamen veſtem aut locum
Poſt votum ſimplex metu interpoſitum, permitti contrahere matrimonium. mutauit. Quo audito, prædictus vir aliam ſibi copulauit, & ex ea prolem ſuſcepit. Nos itaque attendentes tutius eſſe, vt præfata mulier poſt fidem & votum ſimplex oblatum, matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat: fraternitati tuæ per A. S. mandamus, quatenus ſi plus non proceſſerit, nec veſtem aut locum mutauit, nec profeſſionem fecit, prædictæ mulieri de fide mentita & voto violato congruam ſatisfactionem indicas, & ei cui vult nubendi in Domino licentiam tribuere non poſtponas.

DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIO CONTRAHENDO, vel iam contracto.

CAP. I.

Idem abbati ſancti Albani.

PROPOSITVM eſt nobis, quod vir quidam C. dum vxorem haberet, ſibi aliam huius rei inſciam copulauit, de qua plures filios habuit. Sed prima mortua, nititur a ſecunda diſcedere, aſſerens quod vxore ſua viuente eam non licuit ſibi copulare. Licet autē a Canonibus habeatur, vt nullus copuletur matrimonio quod prius polluerat adulterio,

ANNO CHRISTI 1179. & illam maxime, cui fidem dederat, vxore sua viuente, vel quæ machinata est in mortem vxoris: quia tamen præfata mulier insçia, quod ille aliam vxorem haberet viuentem, nec dignum esset, vt prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucra de suo dolo reportaret: consultationi tuæ respondemus, quod nisi prædicta mulier diuortium petat, ad petitionem viri non sunt ab inuicem separandi, cum ex suo delicto videretur commodum reportare.

CAP. II. *Idem Vuigornienſi epiſcopo.*

Consuluit nos fraternitas tua, quid tibi faciendum sit de V Vilhelmo parochiano, qui licet in manu tua fidem dederit, quod mulierem quamdam duceret in vxorem: spreta tamen religione fidei, ipse sibi aliam copulare præsumpsit. Super hoc vtique consultationi tuæ taliter respondemus, quod licet non sit tutum contra fidem suam venire, si tamen aliam in suam receperit, nec in facto primæ mulieris vltra processerit, nisi quod fidem dedit, a muliere ea separari non debet, sed ei de læsione fidei pœnitentia est indicenda.

CAP. III. *Idem Vigilenſi epiſcopo.*

Si vero puellam infra duodecimum annum aliquis desponsauerit, antequam ad annos matrimonio aptos ambo peruenerint, non possunt a pactione nuptiali recedere, & ad aliud matrimonium conuolare. Sed cum puella ad nubiles annos, & sponsus ad annos aptos matrimonio peruenerint, tunc de pactione ipsa complenda vel remittenda sunt audiendi, & ad implendum matrimonium ab his qui matrimonium iurauerunt, commonendi. 30.q.2. Vbi.

CAP. IV. *Idem eidem in eadem.*

Sponsam autem alterius, si est ætati nubili proxima, nullus consanguineorum aliquando potest matrimonio copulare.

CAP. V. *Idem ex Concilio Africano.*

Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsauerit, & post eam relinquere voluerit: dicimus quod conditio frangatur, & desponsatio firmiter teneatur. Vel de præsenti, vel de futuro, cum inhonesta fuerit conditio.

CAP. VI. *Idem GG. 7.* Anno Christi 1179.

Manifestum est, eum puberem esse, qui de gesticulatione sui corporis talis est, vt iam procreare possit, licet ad metas legibus diffinitas non peruenerit.

CAP. VII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Accessit ad præsentiam nostram nobilis vir VVilhelmus filius G. cum literis tuis, ex quarum tenore perpendimus, quod cum filiam cuiusdam nobilis viri, dum esset minoris ætatis, desponsasset, & ipsa postmodum assensum in hac parte non præbente, antequam ad nubiles annos peruenisset, celebratum est inter eos diuortium. Procedente vero tempore, defuncto patre puellæ, matrem eius VVilhelmus sibi matrimonio copulauit. Quod quidem factum cum sustinere nolles, eum solicite monuisti, vt ipsam dimitteret: & quia monitis tuis in hac parte noluit acquiescere, ipsum excommunicationis vinculo innodasti; Tandem accepta ab eo cautione, quod nostram adiret præsentiam, & super hoc statutum nostrum firmiter obseruaret, eumdem mandato nostro absolutum denuntiasti, & cum literis tuis ad præsentiam nostram misisti. Verum præfatus VVilhelmus in præsentia nostra constitutus, sua nobis assertione proposuit, quod puellam illam, dum esset infra duodecimum annum, desponsauit: postea vero antequam ad nubiles annos peruenisset, noluit aliquatenus consentire, vt præfatum VVilhelmum in virum acciperet: & ita cum patre suo, in cuius potestate remanserat, & cum prædicto VVilhelmo, ad præsentiam tuam accessit: & cum ab ore puellæ audisses & per patrem eius, quod memoratum VVilhelmum in virum nolebat, statim illum in plena Synodo ab huius desponsatione publice absolutum denuntiasti. Elapsis pluribus annis post mortuo patre puellæ, carissimus in Christo filius noster Henricus Anglorum rex, matrem supradictæ puellæ memorato VVilhelmo tradidit in vxorem: quam ideo VVilhelmus, vt discordia orta inter consanguineos suos & consanguineos mulieris sopiretur, accepit & solenniter desponsauit, & sine contradictione ecclesiæ duxit & ab ea liberos procreauit, & puella fuit alteri viro copulata. Verum licet contineatur in

ANNO CHRISTI 1179. literis ipsis, quod puella illa erat minoris ætatis, quando huiusmodi desponsatio facta fuit, tamen refert vtrum cum esset minoris ætatis, fuit proxima ætati aptæ matrimonio, aut infra septem annos. Ideo per apostolicam sanctionem fraternitati tuæ præsentibus mandamus, quatenus veritate diligenter inquisita & cognita, si tibi constiterit quod puella præfata non esset septennis quando præmemorato desponsata fuit, & postea in eum non consenserit, & quod idem V Vilhelmus ab huiusmodi desponsatione per te fuerit absolutus, matrimonium inter eumdem V Vilhelmum & matrem puellæ celebratum præcipias immobiliter obseruari, & eorumdem proles denunties esse legitimas. Quia sicut discretio tua non ignorat, desponsationes & matrimonium ante septimum annum fieri non possunt, si consensus postea non interuenit. Sane si præfata puella ante huiusmodi desponsationem septimum annum compleuerat, licet prædictus vir a desponsatione ipsius puellæ ipso iure fuerit absolutus, cum ea in eum consentire nolebat: inhonestum tamen videtur, vt matrem eius habeat, cuius filia sibi fuerat desponsata. Verum si tibi visum fuerit, vt cum matre maneat, ne discordia inter vtriusque consanguineos olim exorta, nunc autem sopita, denuo suscitetur, id dissimulare poteris, & æquanimiter tolerare. Filii autem quos ab ipsa suscepit, si eam tolerante ecclesia duxit in vxorem, a successione non possunt paternæ, vel maternæ hereditatis prohiberi.

Casus, vbi matrimonium a sponso cum matre sponsæ contractum tenet.

Iustitia publicæ honestatis.

CAP. VIII. *Idem Salernitano episcopo.*

Licet præter solitum & amplius solito multis simus & variis negotiis præpediti, ita quod non sit nobis facile aliquorum consultationibus respondere, illa tamen spirituali gratia, quam ad personam tuam habemus, & fraterna caritate cogimur quid sentiamus de his super quibus consuluit nos prudentia tua, tibi, quantumcumque sumus aliis intenti, præsentibus literis aperire. Consuluisti nos siquidem, vtrum inter virum & mulierem præstito, vel non præstito sacramento, si legitimus consensus interuenerit de præsenti, carnali copula non secuta, liceat mulieri alii nubere: vel si nupserit alii, & carnalis fuerit copula secuta, an ab ipso debeat separari. Super hoc inquisitioni tuæ

taliter reſpondemus, quod ſi legitimus conſenſus ea ſolennitate qua fieri ſolet, præſente ſcilicet ſacerdote, aut etiam eius notario, ſicut etiam in quibuſdam locis adhuc obſeruatur, coram idoneis teſtibus interueniat de præſenti, ita quod vnus ad alium in ſuam mutuo conſenſu verbis expreſſis recipiat, vtrimque dicendo: Ego te recipio in meam, & ego te in meum; ſiue ſit iuramentum, ſiue non, non licet mulieri alii nubere: & ſi nupſerit, & fuerit carnalis copula ſubſecuta, ab eo ſeparari debet, & vt ad primum redeat, eccleſiaſtica diſtrictione compelli, quamuis alii aliter ſentiant, aliter etiam a quibuſdam prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando iudicatum. ANNO CHRISTI 1179.

27. Quæſt. vltima.

CAP. IX. *Idem Vuigornienſi epiſcopo.*

Meminimus nos ex parte tua quæſtionem huiuſmodi audiuiſſe, ſcilicet, vtrum illi qui ſe ad religionem coram epiſcopo deuouerant tranſituros, & habitum religionis ſuſceperunt, ſi poſtmodum vxores duxerint, cogendi ſunt eas dimittere, & ad eccleſiam, cui ſe contulerunt, redire. Super hoc vtique duximus reſpondendum, quod ſi quiſquam qui ſe religioni deuouerit, & habitu ſuſcepto profeſſionem fecerit, poſtmodum aliquam ſibi copulauerit, eſt ab ea cogendus recedere, & ad eccleſiam, cui ſe contulit, debet ſine contradictione tranſire. Verum ſi habitum non ſuſcepit, nec profeſſionem, ſed ſolummodo votum fecit, & ſe ad religionem tranſiturum promiſit: licet poſtea matrimonium contraxerit, non eſt ad eccleſiam cogendus tranſire, & matrimonii votum reſcindere.

Infra de monachis in probatione ſuſceptis.

CAP. X. *Idem Norvvicenſi epiſcopo.*

Continebatur in literis tuis, quod cum quædam puella infra nubiles annos cuidam viro in vxorem tradita fuerit, & ab ipſo traducta parentibus aſſentientibus eam legitimæ ætatis exiſtere, hæc ad nubiles annos perueniens, alii nubendi licentiam poſtulauit, aſſerens ſe in eumdem virum nullatenus conſenſiſſe: prædictus vero vir econtra proponit, quod licet eadem puella nondum forte annum duodecimum attigiſſet, cum tradita fuiſſet ei in vxorem, vſque adeo tamen fuit ætati proxima, quod ipſam carnali commixtione cognouit. Inde eſt, quod cum ipſa eidem vi-

ANNO CHRISTI 1179. ro dicit se incognitam, & ita nos consuluisti, vtrum alii possit nubere: taliter respondemus, quod cum in decretis habetur expressum, quod si vir dixerit quod vxorem suam cognouerit, & mulier negauerit, viri standum est veritati. Vnde præfato viro qui se dicit præfatam puellam cognouisse, fides est habenda, si id iuramento firmauerit: & si fuerit proxima duodecimo anno, vel circa duodecimum annum, & cum suo consensu & voluntate parentum desponsata & benedicta fuerit, & cognita ab eodem viro, separari non debebunt, præsertim cum parentes ipsam legitimæ ætatis faterentur. Si vero puella infra nubiles annos & ætati non proxima, alicui desponsata fuerit, benedicta atque traducta, non licet alicui de consanguinitate illius, cui desponsata fuerit, eam ducere in vxorem: nec fas est eidem sponso, de consanguinitate puellæ sibi aliquam copulare.

Viri veritati standum vbi sit.

27. Quæst. Si despon.

CAP. XI.

*Idem Norvvicensi episcopo, & ** archidiaconis.*

Lator præsentium VV. parochianus vester sua nobis assertione monstrauit quod cum in facie ecclesiæ quamdam mulierem viduam, A. nomine, legitime desponsasset, & carnali copula subsecuta, inter eos scandalum est subortum, cuius occasione prædictus vir ei debitum coniugale subtraxit: consanguinei dictæ mulieris hoc molestum habentes, coram vobis quæstionem mouerunt, proponentes quod mulierem inuitam & renitentem, nec ætatis aptæ matrimonio existentem, duxisset vxorem. Et quoniam idem vir vitam, sicut nobis proponitur, cupiebat agere dyscolam, deinde vtriusque studio interueniente, fuerunt minus rationabiliter separati. Nolentes igitur vt matrimonia canonice contracta, leuitate quadam dissoluantur, discretioni vestræ per A. S. mandamus, quatenus si vobis constiterit, prædictos virum & mulierem per iudicium ecclesiæ non fuisse rationabiliter separatos, ecclesiamque deceptam, ipsos contradictione & appellatione cessante, faciatis sicut virum & vxorem insimul permanere.

CAP. XII. *Idem Pan. archiepiscopo.*

De illis autem, qui præstito iuramento promittunt se

aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis, dimittunt terram, & se ad partes alienas transferunt: hoc tuæ discretioni volumus innotescere, quod liberum erat mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum, ad alia vota transire: recepta tamen de periurio pœnitentia, si per eas non steterit, quo minus matrimonium consummetur: Si vero aliquis sub huiusmodi verbis iuramentum præstiterit alicui mulieri, Ego te accipio in vxorem, si tantum mihi donaueris: reus periurii non habebitur, si eam nolentem sibi soluere, quod iuramento sibi petiit dari, non acceperit in vxorem, nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsecuta.

ANNO CHRISTI 1179.

Sponsalia, sed non matrimonium, recte contrahi in cõditionis euentum.

CAP. XIII. *Idem abbati de Fontibus, & M. vicario.*

Significauit nobis O. Andegauen parochianus Eboracensis ecclesiæ, per VV. fratrem suum, quod VV. de Romare, qui est ex hac luce subtractus, eum capiens, tamdiu in vinculis ferreis & carcere tenuit, donec iurare coegit, quod Ha. mulierem duceret in vxorem. Cum autem carcerem & vincula euasisset, aliam in vxorem accepit, de qua filios procreauit. Postea vero idem O. a præfata Ha. coram venerabili fratre nostro Eboracensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato tractus in causam, ab eo coactus est iuramento firmare, quod ad illam quam sponte acceperat in vxorem, non accederet, donec lis esset ecclesiastico iudicio terminata. Ceterum quia priusquam de causa cognosceretur legitime, prænominata Ha. diem clausit extremum, prædictus O. ad eam de qua filios habuit, reuerti non audet. Inde est, quod discretioni tuæ per A. S. P. M. quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, si vobis constiterit quod eidem O. tanta vis illata fuerit, vt prædictam Ha. iuraret in vxorem accipere, & quod sponte in eam non consenserit: nec post præstitum iuramentum ipsam carnaliter cognouerit: propter hoc non dimittatis, quin ad illam quam postea accepit in vxorem, reuertendi, appellatione cessante, liberam tribuatis facultatem. Verum si prænominatus O. in præfatam Ha. consensit, & post præstitum sacramentum, quod ipsam in vxorem acciperet, carnaliter cognouit, ne ad secundam reuertatur, sub interminatione anathematis inhibea-

27. Quæst. 2. Palam duobus.

ANNO CHRISTI 1179. hibeatis, dantes ei licentiam, aliam, si voluerit, ducendi vxorem.

CAP. XIV. *Idem * Cretensi episcopo.*

*Trecensi

Significasti nobis, quod quidam miles in prouincia tua vxorem suam sine iudicio ecclesiæ & auctoritate dimiserit, pro eo quod suggestum ei fuerat, ipsam incestum cum quodam consanguineo suo commisisse, & propter hoc vinculo fuit excommunicationis adstrictus. Verum mulier ipsa non continuit, sed sobolem ab alio viro suscepit: nec minus postulat virò suo restitui, asserens se ab ipso iniuste fuisse dimissam, & eumdem virum materiam adulterandi sibi dedisse. Vnde quia nos consuluisti, vtrum mulier ista debeat viro suo restitui, & vir ad eius receptionem compelli: fraternitati tuæ præsentibus literis respondemus, quod si manifestum est, mulierem ipsam adulterium commisisse post dimissionem, sed non * idem si ante, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.

27. Quæst. 2. Si tu abstin.

CAP. XV. *Idem Vigornienſi epiſcopo.*

Ad aures nostras perlatum fuisse cognoscas, quod cum quidam parochianus tuus vxorem duxisset, ea dimissa, aliam, scilicet ei consanguineam, sibi copulare præsumpsit, & eam carnali commixtione cognoscere, & secum tenere minime dubitauit. Cumque prior mulier super hoc querelam mouisset, matrimonium eius denegauit, & secundæ copulam professus est. Vnde cum primum coniugium aduersus eum per testes probaretur fuisse, quoniam a secunda recedere noluit, ad audientiam nostram appellauit. Super quo vtique prudentiæ tuæ respondemus, quod si prima mulier & secunda, se vel prima vel secunda linea contingunt, tu virum facias vtraque, omni contradictione & appellatione cessante, carere, & sine spe coniugii perpetuo manere. Si vero eas * interdicto gradu solummodo vel supra sese attingere constiterit, tu ipsum compellas a secunda recedere: & de commisso pœnitentia sibi condigna imposita, eum priorem sicut vxorem suam recipere, & maritali de cetero affectione tractare constringas.

35. Quæst. 5. de affinit.

*fort. in tertio

CAP. XVI. *Idem Beluacensi episcopo.*

30. Quæst. 1. Illud.

Super hoc quod de latore præsentium tuis literis quæsiuisti, an liceat sibi matrimonium cum ea contrahere, quam, vxore sua viuente, sibi de facto copulauit in matrimonium: tuæ solicitudini duximus respondendum, quod si adultera in mortem alterius aliquid est machinata, seu iste fidem dederit, quod ea defuncta hanc esset ducturus: secundum Canones ab eius consortio perpetuo prohibetur, & hæc prohibitio perpetuo est obseruanda.

CAP. XVII. *Idem archiepiscopo Senonensi.*

Ante carnalem copulam ipsa ad religionem non transeunte. Alioqui secus, vt supra de coniugatis & sponsis: verum, si post consensum, contra.

Porro si qui vir & mulier pari consensu contraxerint matrimonium, & vir ea incognita, aliam duxerit in vxorem, & eam cognouerit, cogendus est secundam dimittere, & ad primam redire. Quia quamuis exinde sit diuersa quorumdam sententia, & non eadem consuetudo ecclesiæ, tutius tamen videtur, vt primam hanc quam secundam, cum a prima iudicio ecclesiæ separari non debeat, postquam cum ea pari voto & consensu matrimonium contraxit. Sane quamquam mulieri desponsatæ, & a viro non cognitæ, liceat ad religionem transire, aliam tamen non potest ducere in vxorem.

CAP. XVIII. *Idem Eberardo Paduano episcopo.*

Solicitudini sedis apostolicæ incumbit, vt si dubia vel difficilia ad nostram aurem perferantur, ea debeamus absoluere, & in lucem reuocare. Super eo siquidem vnde nos consuluit dilectio tua, quid videlicet seruandum sit, & retinendum de muliere, quæ cum sit vni viro desponsata, ab alio postea desponsatur & cognoscitur: solicitudini tuæ taliter respondemus, quod licet quarumdam ecclesiarum consuetudo habeat, vt cum secundo viro debeat remanere, conuenientius tamen videtur, vt si vir & mulier ad ætatem coniugio aptam deuenerint, & infra mulier desponsata fuerit, quod vir mulierem in suam, & mulier virum in suum recipiat, licet postea ab alio desponsetur & cognoscatur, debet primo restitui.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XIX.

De muliere, quæ est inuita tradita viro, & detenta, cum inter vim & vim sit differentia, & vtrum postea consensus interceſſerit, quia certum nobis nil expreſſiſti, inquisitioni tuæ nil possumus respondere. Illos autem qui propter consanguinitatem prohibentur coniungi, & postea contra interdictum ecclesiæ sese receperint, excommunicationi debes subiicere, donec tamdiu separentur, quousque legitime cognoscatur, vtrum eorum matrimonium de iure possit & debeat stare.

CAP. XX. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Ex literis quas super causa matrimonii cuiusdam iuuenis, R. nomine, & Mariæ filiæ Gileberti de sancto Leodegario, transmisisti, solicitudo nobis innotuit, quam in ipsius negotii examine seruasti. Quia vero absentibus partibus veritatem nequiuimus plenarie indagare, nec causam ipsam ad te remittere, a quo pars mulieris ad audientiam nostram noscitur appellasse, eam venerabilibus fratribus nostris, VVintonienſi, Herefordenſi, & Bathonienſi episcopis duximus committendam. Ideoque fraternitati tuæ per A. S. præsentibus mandamus, quatenus partes adire eorum præsentiam, cum ab eis fuerint euocatæ, & quod ipsi iudicauerint inuiolabiliter obseruare, contradictione & appellatione cessante, compellas.

Ad eum a quo est appellatum, non posse causam remitti.

CAP. XXI. *Idem Vrbanus M. Cenom.*

Cum in apostolica sede, cui licet immeriti præsidemus, magisterium resideat totius ecclesiasticæ disciplinæ, dignum est & consonum rationi, vt quoties circa negotium ecclesiæ aliquid dubietatis emerserit, ad ipsius deliberationis arbitrium recurratur. Intelleximus siquidem quod cum inter villicum de Herneia & vxorem eius coram te quæstio matrimonii tractaretur, & productis testibus, & eorum examinationibus diligenti examine discussis, ante publicationem idem villicus reuersus ad propria, publice inter se & vxorem suam proposuit, sententiam diuortii iudicio ecclesiæ esse promulgatam: & sic suggesta omnibus falsitate, quamdam aliam mulierem facti

neſciam, ſibi copulare præſumpſit. Poſtmodum vero ſuper prioris matrimonii quæſtione literis a ſede apoſtolica impetratis, delegati iudices ſententiam diuortii protulerunt. Vnde quia villicum & mulierem quam ſuperinduxerat, pendente lite prioris vxoris, inuicem aſſeris conſentire: tua nos duxit fraternitas conſulendos, vtrum tales ſint ad matrimonium admittendi. Nos autem auctoritate præſentium tuæ ſolicitudini reſpondemus, quod impoſita ei pœnitentia competenti, & infra ipſius pœnitentiæ tempus carnali commercio interdicto, poſtmodum in maritali copula poterunt remanere. Super eo vero quod a nobis ſimiliter poſtulaſti, vtrum ille qui in quamdam mulierem conſenſit, ſi pater eius videlicet ſuum præſtaret aſſenſum, ſi ad conſummandum matrimonium ſit compellendus: non minus reſpondemus, quia cum aſſenſus liber dici non poſſit, qui alieno reſeruatur arbitrio ac conditioni, ipſum canonica non improbant inſtituta, quæ conſonant honeſtati, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam ad contrahendum matrimonium eſt cogendus. Nam licet felicis recordationis Alexander papa prædeceſſor noſter in ſuis videatur conſultationibus reſpondiſſe, quod deſponſalia interpoſita conditione certa, conditione ipſa minime obſeruata, ſi conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis copula ſubſequatur, diſſolui non debent, ſed firmiter obſeruari: nequaquam eſt noſtræ diffinitioni contrarium, cum huiuſmodi conſenſus nequaquam ſit de præſenti habendus, licet per verba de præſenti euidentius exprimatur, quod in alieno arbitrio non habito, ſed habendo, conſiſtunt: aliam tamen non poteſt ducere vxorem.

Anno Christi 1179.

Ante carnalem copulam ipſa ad religionem tranſeunte, alioqui ſecus, vt ſupra.

CAP. XXII. *Idem Eberardo Paduano.*

Super eo quod ex literis tuis intelleximus virum quemdam & mulierem de mandato domini vtriuſque aſſenſu ſe inuicem recepiſſe, nullo ſacerdote præſente, nec adhibita ſolennitate, quam ſolet Anglicana eccleſia adhibere, & aliam prædictam mulierem ante carnalem commixtionem ſolenniter duxiſſe & cognouiſſe, tuæ paternitati duximus taliter reſpondendum, quod ſi primus vir & mulier pari conſenſu de præſenti ſeſe receperint, ipſa de-

ANNO CHRISTI 1179. bet primo reſtitui, cum nec potuerit, nec debuerit, poſt talem conſenſum alii nubere: ſi vero conſenſus talis inter eos non interceſſerit ſub verbis illis quæ diximus, nec carnalis copula etiam aſſenſu de futuro præeunte, ſecundo viro qui eam poſtea traduxit atque cognouit, mulier ipſa debet relinqui, & ab impetitione prioris abſolui, iniuncta primo pœnitentia de læſione fidei vel violatione iuramenti, ſi dedit fidem vel præſtitit iuramentum.

CAP. XXIII. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

Sponſam autem alterius, ſi eſt nubili ætati proxima, nullus conſanguineorum aliquando ſibi poteſt matrimonio copulare.

CAP. XXIV. *Idem Andrenſi epiſcopo.*

Super eo vero, quod de illo nobis ſignificaſti, qui cum procreare vellet filios, vxori ſuæ nunquam carnis debitum reddidit vel reddere potuit, inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod diuerſa ſunt inde decreta, diuerſæ ſententiæ. Sed conſuetudo eſt Romanæ eccleſiæ, in ſimilibus taliter tenere, quod ſi non poteſt eam ſicut vxorem habere, ipſam habeat ſicut ſororem. Ob coeundi impotentiam non fieri diuortium.

CAP. XXV.

Idem abbati ſancti Edmundi, & de Rameſereia.

Ex parte Emmæ mulieris noſtris eſt auribus intimatum, quod Andreas ſibi coram ſacerdote quodam & diacono & aliis, pluribuſque tam clericis quam laicis ad hoc conuocatis, iuramentum præſtiterit, quod ipſam ab eo tempore pro coniuge teneret, & ei ſicut vxori ſuæ fidem ſeruaret: ipſa quoque Andreæ præſtito iuramento promiſit, ſe illum pro marito habituram, & fidem ei tamquam proprio viro ſeruaturam. Quo facto, diu in eadem domo cohabitantes, ſibi liberos procreauerunt. Procedente vero tempore prædictus Andreas contra iuramentum præſtitum prænominatam Emmam & filios ex ea procreatos reliquit, & a cohabitatione receſſit. Quia igitur nemini licet vxorem ſuam ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere, & tunc eam vel ſibi reconciliare debet, aut ipſa viuente continere: nec 32. q. 1. Dixit.

nos sustinere debemus, vt prædictus Andreas iuramenti præstiti religionem infringat: discretioni vestræ per A. S. præsentibus mandamus, quatenus rei veritate diligenter inquisita, si, prout superius dictum est, ita esse inueneritis, eumdem Andream moneatis studiosius, vt suæ saluti consulens, & superinducta quam habet, prius dimissa, ad vxorem suam redeat, & eam maritali affectione tractet, & reatum suum condigna pœna expiare satagat. Quod si commonitioni vestræ acquiescere forte contempserit, vos eum & superinductam, omni occasione & appellatione cessante, excommunicationis vinculo innodetis, & vsque ad dignam satisfactionem præcipiatis hominibus, sicut excommunicatos, cautius euitare. Anno Christi 1173.

CAP. XXVI. *Idem Pictauiensi episcopo.*

Ex literis venerabilis fratris nostri * Sanxonis episcopi accepimus, quod cum duo nobiles viri sui episcopatus, VV. scilicet de * Monda, & B. de Mauritania, filios & filias impubescentes haberent, & spe pacis inter eos reconciliandæ ita inter se conuenirent, quod filios & filias mutuis inuicem matrimoniis sociarent: & hoc tam patres quam filii sub iuramento se facturos promiserunt. Inter quos quidem G. prioris filius, filiam prædicti B. consentiente patre, semel & iterum recipere in vxorem iurauit. Cumque ipso volente ad alia vota migrare, eum episcopus sub districtione anathematis compellere voluit, vt secundum quod iurauerat, filiam præfati B. traduceret in vxorem, ipse ad audientiam nostram appellauit: & altera parte nuntium suum ad nos destinante, nec ipse venit, nec responsalem aliquem pro se transmisit. Quia igitur periculum G. prædicto extitit, contra iuramentum suum venire, fraternitati vestræ per A. S. præsentibus mandamus, quatenus cum exinde fueris requisitus, vtramque partem ante tuam conuoces præsentiam, & rationibus hinc inde plenius auditis & agitatis, si tibi constiterit, quod præfatus G. præstito iuramento firmasset, quod filiam memorati B. duceret in vxorem, eum moneas, & auctoritate nostra districte compellas, vt ipsam, nisi rationabilis causa extiterit, in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. Si vero rationabilem causam prætendere voluerit, eam cum omni diligentia & stu-

* Monda

ANNO CHRISTI 1179. dio audias, & sine canonico, appellatione cessante, decidas. Ceterum si legitime monitus iudicio tuo parere contempserit, eum & patrem suum, si fouere ipsum in sua malitia præsumpserit, excommunicationis vinculo adstringas: & in tota terra ipsorum omnia diuina, præter baptisma paruulorum & pœnitentias morientium, prohibeas officia celebrari.

CAP. XXVII.

Benedictus papa Gaudentio patriarchæ.

Lex diuinæ constitutionis sedem apostolicam totius posuit orbis terrarum magistram: vt quidquid vbique locorum dubitatur, ab ea tandem ratio eiusdem requiratur. Affatus est autem nos suis literis eiusdem cathedræ sessorem, ac percontatus est quidam vir nomine Ioannes, pro connubio filiæ suæ superstitis, cuius soror defuncta, cuidam iuueni nomine Stephano, simplicibus verbis fuit desponsata, & antequam ad nuptias peruenerit, morte præuenta: vtrum cum eodem iuuene possit matrimonium celebrari superstitis filiæ, necne. Namque testatus est, huius rei rationem haberi apud vos ambiguam, quam, Deo docente, reddimus his verbis certissimam. Protoplastus enim ille radix, & origo nostra, detracta sibi costa videns mulierem formatam, prophetico spiritu inter alia protulit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Genes. 2. Quibus verbis innotuit, non aliter virum & mulierem posse fieri vnam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreant. * Qui ergo nequaquam mixtus est extraneæ mulieri fœdere nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis verba possunt vna caro fieri, nullatenus valemus intueri: propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur. Sed nec osculum parit propinquitatem, quod facit nullam sanguinis commixtionem. Quoniam vero ita prorsus se habet res Ioannis istius, vt velit filiam illi nuptiis copulare, cui primam iam decreuerat desponsare: censura apostolica mandamus hoc absque criminis vitio posse fieri. Nam cur prohibeamus quod prohibitum nunquam sacra scriptura declarauit? Sed neque mundanæ leges, connumeratis personis quibus inter se nuptias contrahere non licet, de huiusmodi aliquid dicunt

* Quod

Propinquitatem sanguinis verbis dici, nō effici.

negotio. Ne ergo abnegetis, quod nulla abnegandum ratione monſtratis. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXVIII.

Idem Vuintonienſi, Bathonienſi, & Herefordenſi epiſcopis.

Ex literis venerabilis fratris noſtri Cantuarienſis archiepiſcopi apoſtolicæ ſedis legati, ad audientiam noſtri apoſtolatus peruenit, quod cum G. de ſancto Leodegario, Mariam filiam ſuam abſentem, cuidam iuueni R. nomine deſponſaſſet, poſtmodum quibuſdam ipſius mulieris conſanguineis procurantibus, memoratus R. cum ea præſente per verba præſentis temporis contraxit, ſicut dicitur, matrimonium, fide hinc inde corporaliter præſtita, quod vir mulierem ſicut vxorem legitimam de cetero exhiberet, & ipſa reuerenter ei ſine contradictione, ſicut viro legitimo, obediret; nihilque defuit, niſi ſolennitas illa in facie eccleſiæ celebranda, quæ propter tempus quadrageſimæ tunc non potuit effectui mancipari. Tempore vero procedente orta ſuſpicione, quod præfatus R. ad alia deſideret vota tranſire, ad examen fuit iam dicti archiepiſcopi cauſa perlata; qui ſub anathematis interminatione prohibuit, ſicut ex literis ipſius accepimus, ne antequam de præſcripto negotio plene conſtaret, vir ad ſecunda vota tranſiret. Sed ipſe præſcripta prohibitione contempta, filiam Hugonis de Polſtede, Mathildem nomine, in facie eccleſiæ ſibi ſolenniter copulauit vxorem. Poſtmodum vero duabus mulieribus & viro coram archiepiſcopo conſtitutis, præfatus R. publice confeſſus eſt, ſe cum Maria, ſicut dictum eſt, publice matrimonium contraxiſſe, & aliam, ſcilicet Mathildem, praua quorumdam ſuggeſtione ſeductum accepiſſe. Maria vero frequenter aſſeruit, quod pater eius non mouerat de voluntate eius querelam, adiiciens quod inter ipſam & præfatum R. excepta ſola fide de contrahendo matrimonio, nulla obligatio interceſſerat: quam, quia ipſe non ſeruauerat, ſeruare minime tenebatur: & ideo, quia eam quam ſecundo acceperat, relinquebat. Cum autem præfatum R. tamquam proprium virum reſtitui poſtularet, & archiepiſcopus vellet de primo matrimonio cognoſcere, ob id maxime, quia mulieres dicebantur ſeſe conſanguinitate contingere, ac per hoc tam inceſtus quam adul-

32. q. 4. Non opor.

ANNO CHRISTI 1179. adulterii vitium timebatur, Maria ad apostolicam sedem appellationis vocem emisit, & festum circumcisionis proximæ terminum appellationi præfixit, appellationem vero archiepiscopo deferens, eidem Mariæ sub periculo animæ & excommunicationis interminatione districtius interdixit, ne cui nuberet, donec causa ipsa coram nobis vel coram delegatis ab apostolica sede iudicibus, finem debitum sortiretur. Ipsa tamen de remedio appellationis confisa, cuidam alii, V V. nomine, nihilo minus nupsit; & propter hoc citata coram archiepiscopo noluit propter appellationem, quam obierat, apparere. Cum igitur absentibus partibus non videretur nobis negotium finiendum, ipsum experientiæ vestræ de qua plene confidimus committentes præsentium auctoritate terminandum: quatenus partibus ante præsentiam vestram conuocatis, inquiratis diligentius veritatem: & si nihil constiterit quod impediat, præter consensum qui inter præfatum R. & Mariam asseritur præcessisse, secunda matrimonia inuiolabiliter obseruanda, sublato appellationis diffugio, iudicetis. Licet enim contra interdictum ecclesiæ ad secunda vota transire nequaquam debuerit, conueniens non videtur, vt ob id solum sacramentum coniugii dissoluatur. Alia enim pœna debebat eis imponi, quod contra prohibitionem ecclesiæ hoc fecerunt. Nonis Februarii.

Scilicet de futuro, secundum affectionem Mariæ, nam de præsenti secundum impediret & rescinderet matrimoniũ.

CAP. XXIX. *Idem Bathonienſi epiſcopo.*

De illis qui infra annos aptos existentes matrimoniis contrahendis sponsalia contrahunt, siue vterque, siue alter, antequam ad annos aptos matrimoniis contrahendis perueniunt, reclament & postulent separari, non sunt aliquatenus audiendi. Si vero alteruter eorum ad annos aptos contrahendis matrimoniis peruenerit, infra eosdem annos altero existente, sponsalia contrahuntur, si is qui minoris est ætatis, cum ad annos illos peruenerit, reclamauerit, nec in alterum voluerit consentire, iudicio ecclesiæ poterunt ab inuicem separari. Vtrum autem mulier, quæ postquam ad annos matrimoniis contrahendis aptos venit, nupsit, ab eo si quærat dissidium, debeat separari: tuæ consultationi taliter respondemus; quod cum in eum semel consenserit, amplius consentire non potest aliqua-

tenus, vel diuertere: nisi forte illi nupsit, postquam ad annos aptos matrimoniis contrahendis peruenerit, & in eum suum omnino negauerit præstare consensum. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXX.

Alexander III. Burdegalensi archiepiscopo.

Consuluit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de milite quodam, qui cum mulierem quamdam duxerit in vxorem, & eam longo tempore tenuerit, & prolem ex ea susceperit: nunc matrimonium suum accusat, dicens in quarto gradu consanguinitatis esse: ad quod vtique consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus miles mulierem ipsam in facie ecclesiæ duxerit, & longo tempore tenuerit, non debet vox accusationis suæ admitti, nisi personæ aliæ & idoneæ appareant, & merito suspicionis carentes, quæ matrimonium ipsum velint & possint legitime accusare: nec heredes personæ admitti debent, si per viginti vel octodecim annos insimul sine quæstione remanserint.

CAP. XXXI. *Innocentius Vuintonienſi epiſcopo.*

Super eo quod interrogasti de sacramento coniugii, breuiter respondeo: Illam quam dixisti, a patre coniugi traditam, & ab eo cui tradita fuerat, patri commendatam, donec statuta die in domum suam ille traduceret: dico quod legitimo consensu interueniente, ex eo statim coniunx fuerit, quod spontanea * voluntate sese coniugem esse consenserit, non enim futurum promittebatur, sed præsens confirmabatur. Quapropter quidquid cum alia postmodum factum est in coitu siue in generatione prolis, tanto reprehensibilius est secundum, quanto verius primum. Constante enim primo, quanto amplius in Deum committitur, tanto magis culpa augetur. His ergo cognitis, facile erit negotium præsentium latoris tuæ discretioni debito fine terminare. * concessione

CAP. XXXII. *Idem Cassinensi abbati.*

Ex literis tuis ad nos directis accepimus, quod cum quidam secreto mulierem viduam subarrasset, & cognoscens carnaliter cohabitasset cum ea per annum, Mundualdus virum mulieris traxit in causam, proponens quod

ANNO CHRISTI 1179. illam in potestate sua positam, quasi fornicariam cognouisset: tunc vir & mulier iuramento firmarunt, quod ab anno alter in alterius copulam maritalem consenserat, & de cetero sicut vir & mulier simul cohabitarant. Cum autem nec iuramento fidem mulieris procurator habuit, exegit eam publice subarrari. Quod cum vir publice facere paratus esset in conspectu ecclesiæ, surrexerunt duo proponentes, præfatæ mulieris coniuges in quinto gradu vel sexto consanguinitatis sese contingere: quia pater eius, qui eam subarrare volebat, priorem virum in quarto consanguinitatis gradu attigerit. Vnus autem ita se audiuisse iurauit, alius autem id iurare voluit, & ob hoc licet ille præfatam viduam subarrare distulerit, minime tamen ab eius cohabitatione discessit. Processu vero temporis ad instantiam Mundualdi præfatus vir publice matrimonium celebrauit, & postmodum fere per annum cum vxore permansit. Nunc autem quæstio prima reuixit, & iurauerunt duo coram archiepiscopo plebano, velut dicis, quod primus vir fuit in quinto gradu consanguinitatis patri viri præsentis. Vnde quia diuersi diuersa sentiunt, quid agendum sit in hoc casu, meis quæris literis edoceri. Quocirca discretioni tuæ per A. S. mandamus, quatenus vtramque partem ante tuam præsentiam conuoces, & facias testes coram te iurare, & adhuc inquiras, a quibus & quando didicerint quod testantur. Si vero post motam quæstionem didicerint, non est iam dictum matrimonium dissoluendum. Similiter nec si ab accusatoribus matrimonii didicerint. Inquisita vero veritate diligenter, si per testes circumspectos & omni exceptione maiores inueneris, quod primus vir patrem superstitis in quinto vel sexto gradu attigerit, non differas sententiam diuortii promulgare. Æque enim, vt Canones dicunt, abstinendum est a consanguineis vxoris, ac propriis, vsque ad sextum gradum. Ceterum prudentiam tuam nolumus latere, quod personæ idoneæ nominandæ sunt, & gradus distinguendi ab vtroque latere & computandi: nec sunt causæ matrimonii tractandæ per quoslibet, sed per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, & statuta Canonum super his nequaquam ignorent.

Quorum testimonia non valeãt.

Personas nominandas, & gradus ex vtroque latere distinguendos.

Qui iudices futuri?

CAP. XXXIII. *Idem *Exonienſi epiſcopo.* Anno Christi 1179.

Præterea hi qui matrimonio contrahendo pure & ſine omni contradictione fidem dederunt, aut iuramentum fecerunt, commonendi ſunt diligentius & exhortandi, & omnibus modis inducendi, vt fidem præſtitam vel iuramentum factum obſeruent, & ſe, ſicut promiſerunt, coniungant.

PARS VII.

DE POTESTATE IVDICVM DELEGATORVM, ET DE VARIIS literis diuerſis temporibus impetratis.

CAP. I.

Idem Londonienſi epiſcopo.

CVM tibi ſit de benignitate ſedis apoſtolicæ indultum, vt cauſas, quas de mandato noſtro ſuſcipis terminandas, liceat tibi perſonis aliis vni vel pluribus delegare: ſed ab his quibus cauſa fuit per te commiſſa, fas ſit litigantibus appellare, etſi eadem cauſa tibi fuerit a nobis, appellatione ceſſante, commiſſa: accidit interdum, ſicut tu aſſeris, quod cauſam, quam tibi commiſimus, appellatione poſtpoſita, terminandam, aliorum experientiæ committas audiendam, & appellationem alter litigantium ad tuam, alter ad noſtram audientiam interponat: conſultationi tuæ reſpondemus, quod ei appellationi, quæ ad nos interponitur, eſt omnino deferendum, licet fuerit appellatione remota commiſſa.

CAP. II. *Idem Báthonienſi epiſcopo.*

3. q. 9. Hortamur. Quia quæſitum eſt a nobis ex parte tua, quid faciendum ſit de poteſtatibus, quæ, cum præcipimus alicui iuſtitiam exhiberi, de his quos diligunt aut tueri volunt, minis & terroribus ſuis conquerentes ſilere compellunt, & mandatum noſtrum eludunt: id tibi reſpondemus, quod *Rom.* 1. ſicut agentes & conſentientes pari pœna ſcripturæ teſtimonio puniuntur; ſic tam eos qui trahuntur in cauſam, quam principales fautores eorum, ſi eos manifeſte cog-

ANNO CHRISTI 1179. noueris iustitiam impedire, censura ecclesiastica poteris coercere.

CAP. III. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Sane si a nobis literæ prius impetrentur, & aliæ postea, non facta mentione priorum literarum, literæ impetrentur, si iudicibus innotuit, donec Romanum pontificem consulant, & suam exinde plenius cognoscant voluntatem, executione literarum debent penitus supersedere, ne pro varietate literarum, causarum fines valeant impediri.

Et hoc iubemus obseruari ab omni administratore, vt si contigerit in scriptis nostram fieri iussionem ad aliquem, & interea quiescat ab administratione, is qui post illum susceperit dignitatem, eam accipiat & insinuet. Et si quidem priuata est causa, implere eam & * assequi, quemadmodum ad eum promeruerit rescriptum. Si vero huiusmodi in scriptis iussio publicum ius respicit, inquirat eam, & si quidem non læditur fiscus, quæ in ea comprehensa sunt, adimpleat: Si vero ad læsionem fisci est, nil super ea omnino agi. Nuntiare vero nobis primum oportet, vt secunda de hoc nostra iussio fiat. Si vero ad præcepta cuiuslibet iudicis sunt, & priusquam insinuentur hæc, aut præcipientem, aut ad quem præcepta facta sunt, contigerit remoueri de cingulo, etiam sic qui factus fuerit iudex, hæc suscipiat & exigat, si legitime facta sunt. Si vero contra legem, aut contra ius publicum facta sunt, pro non scriptis esse iubemus.

CAP. IV. *Idem.*

Cum aliqua causa, appellatione remota, committitur, & sententia fertur iniqua, eam vacuare oportet, nec ei debet stari, si manifestam continet iniquitatem.

CAP. V. *Idem Londonienſi episcopo.*

Si pro debilitate tua, vel pro aliqua graui necessitate tractandis causis, quæ tibi ab apostolica sede committuntur, adesse non poteris: liberum tibi sit, aliis personis idoneis & discretis vices tuas committere, ita quod si res tanti est, te consulere debeant: nisi forte causæ ita graues sint, quod sine præsentia tua non possint omnino terminari.

CAP. VI. *Idem Vu. Carnotenſi electo.* Anno Christi 1179.

De cauſis quæ intra certum terminum decidendæ committuntur, hoc tuam volumus cognitionem tenere, quod niſi dies ab apoſtolico præfixus, de communi conſenſu prorogetur, eo tranſacto mandatum expirat. Illi etiam qui pro cauſis tibi commiſſis ad citationem tuam venire, aut tuo ſuper his iudicio parere neglexerint, ſi tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna Canonibus exprimatur, eam infligas. Alioquin ipſos pro delicti qualitate & cauſæ, ſecundum arbitrium tuum punias.

CAP. VII. *Idem Senonenſi archiepiſcopo.*

Præterea ſuper hoc, quod nos conſulere voluiſti, vtrum liceat iudici delegato, non ordinario, ſine literis citatoriis cogere contumacem vt veniat, aut damnare, ſi non venerit: hoc tibi præſentium auctoritate innoteſcat, quod quamuis ei cauſa licet ſimpliciter delegetur, ſatis poteſt partes auctoritate noſtra compellere, & contumaces ſeueritate eccleſiaſtica coercere, etiamſi literæ commiſſionis id non contineant, aut partes mandatum non habeant vt accedant: quia ex eo quod cauſa ſibi committitur, ſuper his omnibus quæ ad cauſam ipſam pertinere noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem.

CAP. VII. *Idem VVintonienſi epiſcopo.*

Quamuis ſimus multiplicitate negotiorum impliciti, & grauibus diuerſiſque ſolicitudinibus occupati, nos tamen cogit præter commune debitum, tua fraternitas & dilectio, qua perſonam tuam diligimus, tuis conſultationibus reſpondere, ne videamur indiſcuſſa relinquere, quæ nobis enodanda tua voluit dilectio præſentare. Innoteſcat itaque ſolicitudini tuæ, quod iudex a nobis delegatus cauſam ſibi commiſſam poteſt alii vel pluribus delegare, aut totam audiendam & terminandam, aut etiam vt audiant rationes, & allegationes & atteſtationes recipiant, & ſententiam ſibi ſeruent, vel vt horum aliquid faciant tantum iuxta voluntatem & beneplacitum delegantis, quamquam non poſſit eamdem cauſam alii, appellatione poſtpoſita delegare: etſi ſit tibi, appellatione remota, com-

ANNO CHRISTI 1179.

missa. Si vero duobus causa committitur, etiamsi non apponatur, vt vnus sine altero in ea procedat, nihilo minus vnus ex ipsis, siue suo coniudici, siue alii, vices suas in hac parte committere potest.

Sed quid, si suo coniudici? nũquid ab ipso poterit appellari?

CAP. IX. *Idem eidem in eadem.*

Ceterum si qui ad iudices super aliqua causa ab apostolica sede literas commissorias impetrent aliis iudicibus forte committi, nisi de commissione prioribus facta in literis commissionis, quæ aliis delegantur, mentio fiat, nihilo minus priores iudices in cognitione ac causæ decisione procedere debent, nec secundæ literæ super eadem causa taliter impetratæ, alicuius roboris firmitatem habere possunt. Si vero in secundis literis habeatur mentio de commissione prioribus iudicibus facta, prædicta causa priorum est exempta iudicio, cum eædem non sint tacita veritate impetratæ. Verum si præsentibus patribus de ipsarum consensu cuilibet causa committitur, & processu temporis, vel etiam continuo, alterutra partium, altera nesciente, causam ipsam tacita veritate de priore commissione facta, impetrauit committi: non immerito is, qui tali dolo & fraude aduersarium cogit laborare, in expensis condemnari debet.

Nisi forte secundum priores sẽtentiam tulerint ante quã secundæ ad iudices peruenerint.

CAP. X. *Idem eidem in eadem.*

Sententiam a delegato iudice latam, si ad mandatum ipsius iudicis diœcesanus episcopus executioni mandare neglexerit: is qui ex delegatione Romani pontificis sententiam tulit, eam executioni mandandi plenam & liberam habet facultatem.

CAP. XI. *Idem Norvvicensi episcopo.*

Significasti nobis per literas tuas, quod interdum a iudice delegato frustra super aliqua causa fertur sententia, cum ordinarius iudex eam ad mandatum ipsius nolit executioni mandare, vel aliis resistentibus effectui mancipare non possit. Super hoc autem consultationi tuæ taliter respondemus, quod si ordinarius iudex ad mandatum iudicis a nobis delegati, non vult aut non potest aliis resistentibus sententiam ab eo latam effectui mancipare, delega-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus iudex cauſam auctoritate ſibi commiſſa poteſt executioni mandare: & ſi quis ſibi reſtiterit, eum eccleſiaſtica cenſura coercere. Anno Christi 1179.

CAP. XII. *Idem eidem in e.e.*

Si quando vero clerici coram iudice delegato prælatos eccleſiarum ſuper eccleſiis quas tenent, in cauſam traxerint, & coram eodem iudice tranſactione vel alio modo eccleſias obtinuerint, in quibus certum ſit eos inſtitutionem canonicam nullatenus habuiſſe, nec poſſeſſionem etiam corporalem, ordinarius iudex non debet delegati iudicis mandato reſiſtere violenter, ſed apud ipſum inſtare, vt differat illos in poſſeſſionem mittere, donec nobis rei veritas innoteſcat.

CAP. XIII. *Idem Herefordenſi epiſcopo.*

Intelleximus ex tuæ fraternitatis relatu, quod quandoque impetrantur a nobis literæ, certam cauſam habentes ad te & ad alios, aliquando per ſuggeſtionem falſitatis, aliquando per ſuppreſſionem veritatis. Vnde a nobis conſilium poſtulaſti, vtrum ſecundum formam aut ſecundum rigorem iuſtitiæ tunc debeas in ipſa cauſa procedere. Super quo diſcretioni tuæ tale damus reſponſum; quod ſi literæ noſtræ ad te directæ formam expreſſam habuerint, & cognoueris eas per ſuggeſtionem falſitatis & per ſuppreſſionem veritatis cum tali forma impetratas fuiſſe: tunc non ſecundum formam in eis expreſſam, ſed ſecundum rigorem iuſtitiæ in cauſa ipſa ſine perſonarum acceptione procedas.

Non ſecundū formam facti, ſed ſecundum rigorem iuſtitiæ procedendum.

CAP. XIV. *Idem.*

Si autem lis infra certum terminum præcipiatur decidi, non poterit negotium vltra præfixum terminum, niſi communi conſenſu partium, prorogari. Verum ſi iudex delegatus aliter fecerit, & fines mandati exceſſerit, eius iuriſdictionem non eſt dubium exſpirare.

CAP. XV. *Idem Londonienſi & VVigornienſi epiſcopis.*

Peruenerat ad nos ex parte R. ſenis presbyteri, quod cum ad vos olim literas noſtras attuliſſet, quod ſi vobis conſtaret

ANNO CHRISTI 1179. ſtaret eum per vim T. clerici, metu regio cooperante, eccleſiam de Gitebergia, quam ſe aſſerit per annos pacifice poſſediſſe, iampridem iuramento præſtito refutaſſe, eamdem eccleſiam ei reſtitueres. Prædictus vero T. alias literas a nobis poſterius impetratas, ad alios iudices ſuper eodem negotio reportauit, & ſic cauſa ipſa ſub veſtro non fuit examine terminata. Mandamus itaque fraternitati veſtræ atque prudentiæ, quatenus non obſtantibus literis a memorato T. poſterius impetratis, niſi ibi continea-
* expreſſim, tur * expreſſum, quod cauſam ipſam veſtro iudicio ſubtraxerimus, vtramque partem ante vos conuocetis, & eidem cauſæ iuxta tenorem alterarum literarum noſtrarum, ſublato appellationis remedio, non differatis debitum finem imponere.

CAP. XVI. *Idem * Lexonienſi archiepiſcopo.*

In literis quas tua nobis deſtinauit fraternitas, quæſtiones quaſdam inſeruiſti, ſuper quibus ſolutionem tibi a nobis poſtulas exhiberi: quarum ſiquidem vna eſt, ſcilicet, vſque ad quod tempus iudex delegatus ſe poſſit interponere, vt ſtetur rei iudicatæ vel tranſactioni. Su- Semel officio ſuo functũ de cetero non fungi.
per quo vtique paternitati tuæ taliter reſpondemus, quod ex quo iudex delegatus per ſe aut per alium, ſi potuit, executioni mandauerit, vel pro ſe petierit mandari, eius auctoritas & iuriſdictio ceſſat, quia ſemel functus eſt officio ſuo.

CAP. XVII. *Idem abbati ſancti Albani.*

Conſultationibus ſingulorum ex miniſterio ſuſceptæ ſeruitutis cogimur reſpondere, vt ſi quid dubietatis vel quæſtionis in mentem alicuius emerſerit, ab eccleſia Romana ſoluatur, quæ inter alias, diſponente Domino, ob- *Matth. 16.*
tinere meruit principatum. Quæſitum eſt ſiquidem a vobis, vt ſi quis eccleſia vel poſſeſſione aliqua ſe aſſeuerans abſque iudicio & cauſa rationabili ſpoliatum, & a nobis ad iudices literas obtinuerit, vt infra certum tempus reſtituatur ſibi poſſeſſio: ſi conſtiterit iudici, eum eſſe taliter ſpoliatum, poſſeſſio debet ei reſtitui, cum is qui tenet eccleſiam, vel poſtquam ipſe requirit, antequam de literis aliqua mentio fieret, ſtudiorum, peregrinationis,

vel alia huiusmodi causa se absentauerit, num infra præfixum tempus iudici possit suam præsentiam exhibere. Super quo itaque inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nec debet, nec potest testimonium habere, quamuis paratus sit coram iudice delegato testibus idoneis possessionem & deiectionem suam probare: nisi is qui possidet, terminum prorogauerit. Exspirat enim iurisdictio sua, quia sine consensu vtriusque partis non licet iudici terminum prorogare aliquatenus præfixum a delegatore. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XVIII. *Idem R. Cantuariensi archiepiscopo.*

Ex parte venerabilis fratris nostri Couentrensis episcopi, auribus nostris est intimatum, quod cum de causa quæ inter G. & F. clericum super præbenda de Norbale diligenter cognouisset, & eidem G. secundum tenorem literarum nostrarum, in quibus continebatur, quod si constaret prædictum F. de periurio esse conuictum, & perpetuo illi præbendæ renuntiasse, ab eadem præbenda, appellatione cessante, amoueretur. Eoque cognito & probato, cum prælibatam præbendam G. adiudicasset, prædictus F. in vocem appellationis prorupit, & ad nos veniens, secundum hunc tenorem literas reportauit, quod ei præcise & absque causæ cognitione restitueres, & ipsum qui post appellationem eum præbenda spoliauit, auctoritate alicui beneficium auferendi, appellatione cessante, priuares, donec per se vel per nuntium, aut per literas suas satisfacturus, ad sedem apostolicam accederet, & prænominatum G. si eumdem F. super iam dicta præbenda præsumeret molestare, vinculo excommunicationis vsque ad dignam satisfactionem adstringeret. Vnde quia non credimus nos ita præcise scripsisse, & si taliter scripsimus, hoc ex nimia occupatione contingit, & in huiusmodi literis intelligenda est conditio, etiamsi non apponatur, si preces veritate nitantur, fraternitati tuæ taliter, *&c.* quatenus inspecto tenore literarum, quas prædicto episcopo direximus, si inueneris quod secundum prædictum modum ei scripsimus, & in literis quas præfatus F. reportauit, non fuit habita mentio priorum literarum, sententiam præfati episcopi, omni contradictione & appellatione cessante, confirmes,

Subintelligendã conditionem, si preces veritate nitantur.

ANNO CHRISTI 1179. & prædictum F. cum literis noſtris, quas tibi detulit, ad præſentiam noſtram venire compellas.

CAP. XIX. *Idem* Exonienſi epiſcopo.*

Ad hæc cum aliquis nimis prolixum terminum ſuæ appellationi præfigit, iudex poteſtatem habet competenti modo abbreuiandi: & ſi in termino de tempore abbreuiando competenter ſtatuto appellationem non fuerit proſecutus, nec canonicam executionem prætenderit: ſententia, ſi lata eſt, tenet. Quod ſi lata non eſt, iudex appellantem, appellatione ceſſante, poteſt compellere infra terminum ſtatutum appellationem proſequi, vel coram ſe iudicio ſtare.

CAP. XX. *Idem Carnotenſi epiſcopo.*

Sane quia nos in primis conſulere voluiſti, qualiter a nobis iudex delegatus epiſcopum, qui ei non ſubeſt, ad aliquid dandum vel faciendum compellere debeat, cum cauſam, quæ inter epiſcopum & clericum vel laicum vertitur, a mandato noſtro ſuſcipit terminandam: id tuæ quæſtioni damus reſponſum, quod iudex a nobis delegatus, vices noſtras gerit, vnde in cauſa illa eſt ſuperior & maior illis, quorum cauſam ſuſcipit terminandam: ideo ſi epiſcopus vel alia perſona, quæ non ſit de iuriſdictione illius, in cauſa quam illi delegamus rebellis aut contumax fuerit, ſecundum qualitatem vel quantitatem facti, poterit vel interdicti, vel ſuſpenſionis ſententia a iudice delegato compelli; ita quod iudex ſecundum negotii qualitatem temperate procedens, epiſcopo vel ingreſſum eccleſiarum, vel ſacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad iuriſdictionem ſuam ſpecialiter pertinet, interdicto ſupponat. De teſtibus autem non habemus in ſacris Canonibus, quod cogendi ſint, ſed admonendi, cum celare veritatem, ſicut dicere falſum, mortale deputetur ſæpe delictum. Quæſtioni vero quam facis, vtrum appellationi illius ſit deferendum, qui (ſicut mos eſt) præſtito iuramento abſolui inhibetur, ſi antequam aliquid ei mandatum eſt, appellet, vel ſi mandato recepto, cauſa diffugii appellet: taliter reſpondemus; quod poſtquam iurauerit, appellationi eius, quæ iuramento derogat, penitus

6. Quæſt. 1. Et illi qui.

non est in aliquo deferendum: sed statim erit in eamdem reducendus sententiam, quæ, donec mandatum susceperit, & susceptum pro posse suo fuerit executus, debet firmiter obseruari. Anno Christi 1179.

CAP. XXI.

Idem Eboracensi archiepiscopo, & Couentrensi episcopo.

Ex parte N. capellani nobis innotuit, quod cum ad te frater * Couetren. episcopi, literas impetrasset, vt ei archidiaconatum, quem in ecclesia primo vacare contigerit, assignares, R. aduersarius eius alias a te frater Eboracensis literas, sicut dicitur, impetrauit, nulla de priorib. habita mentione: vt si auunculus eius archidiaconatum, quem habebat in iam dicta ecclesia, vellet omnino dimittere, ipsum ei faceres assignari. Quoniam igitur si memores fuissemus, nos præfato N. literas nostras sicut prædiximus, direxisse, pro aduersario eius nullatenus scripsissemus, nolentes literas nostras, quas pro eodem N. misimus, occasione aliqua effectu carere: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus præscriptum episcopum admoneas, vt præfato N. archidiaconatum ecclesiæ suæ, si vacet, iuxta promissum suum assignet, non obstantibus literis, quæ ab aduersario eius postmodum fuerint, tacita veritate, impetratæ.

CAP. XXII.

Idem Lucius tertius Cantuarien si archiepiscopo, & eius suffraganeis.

Relatum est ex parte vestra, quod licet in commissionibus a sanctæ recordationis Alexandro papa tertio prædecessore nostro factis, fuerit appellationis remedium amotum: altera tamen partium, siue lis fuerit contestata, siue non, exspirasse mandatum morte mandatoris allegat; ideoque negotiis omnibus postpositis, in suspenso mandatum apostolicum expectatis. Nos igitur consultationibus vestris præsentium auctoritate respondemus, quod si lis contestata fuerit ante obitum prædecessoris nostri, mandatum in morte mandatoris nullatenus exspirauit. Si vero ante litem contestatam decessit, non est in eo casu iudicibus quos delegauerat, ex delegatione huiusmodi procedendum, etiamsi ab eis minime fuerit appellatum. Po-

ANNO CHRISTI 1179. terit ergo in eo casu, appellatione cessante, procedi, in quo ante mortem mandatoris lis fuerit per conquestionem & responsionem partium contestata. Vbi autem mors mandatoris, lite contestata, præcessit, penitus subsistatur, siue fuerit, siue non fuerit appellationis obstaculum interiectum.

DE TESTIBVS COGENDIS VEL NON. PARS VIII.

CAP. I.

Idem Alexander.

CVM super causa quæ vertitur inter venerabiles fratres nostros Prænestinum episcopum, & dilectum filium * nostrum abbatem, sit testimonium vestrum necessarium, & veritati contingat: præsentium auctoritate vobis præcipimus, quatenus quarta feria proximæ hebdomadæ perhibituri testimonium veritati, omni occasione & excusatione cessante, vos apostolico conspectui præsentetis. Si vero tunc non veneritis, sciatis ab officio & beneficio apostolica auctoritate vos suspensos: & si non sic veneritis, excommunicationis sententiam poteritis formidare.

CAP. II.

Idem Capuano episcopo, & abbati sanctæ Luciæ, & priori sanctæ Crucis.

Causam quæ inter N. & O. monachos super electione de vtroque facta in monasterio diutius est agitata, experientiæ vestræ committimus audiendam, & appellatione remota, fine debito terminandam. Ideoque dilectioni vestræ, *&c.* quatenus partes ante præsentiam vestram conuocetis, & susceptis attestationibus vtriusque partis, quæ ab aliis iudicibus sunt receptæ, testes alios, si qui idonei sunt, admittentes, nisi attestationes ipsæ sint publicatæ, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, causam ipsam, sublato appellationis remedio, fine debito terminetis.

Post publicationem attestationum, producendi locum non esse.

CAP. III.

Anno Christi 1179.

Idem R. Cantuarienſi archiepiſcopo, & R. VVigornienſi epiſcopo.

14. Quæſt. 2. Super pru.

Cum nuntius canonicorum de Plinteim, & nuntius Ioelis militis, *&c. & infra:* Præterea non lateat prudentiam veſtram, quod prædicti canonici non ſunt a ferendo teſtimonio ſuper proprio negotio eccleſiæ ſuæ repellendi, niſi alia rationabilis cauſa impediat.

CAP. IV. *Idem Tarraconenſi archiepiſcopo.*

Quid ſi ante damnati, poſt reſtituti: vel nõ dãnati perfecte pœnitentes?

Super eo quod quæſiuiſti a nobis, vtrum teſtes illi ſint reprobandi in cauſa criminali vel ciuili, quibus ab aduerſa parte crimina opponuntur, tuæ prudentiæ reſpondemus: quod ſi etiam aut non ſunt conuicti, aut confeſſi de criminalibus illis, dummodo inde * communicantur, non debent admitti.

*communicantur.

CAP. V. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Scripta vero authentica, ſi teſtes inſcripti deceſſerint, niſi forte per manum publicam fuerint facta, ita quod publica appareant, aut ſigillum authenticum habuerint, per quod poſſint probari, non videntur nobis alicuius firmitatis robur habere.

CAP. VI.

Idem VVintonienſi epiſcopo, in capite, Suggeſtum.

Porro ſi quis crimen obiicit teſti qui contra ipſum producitur, vt eum in ciuilibus cauſis repellere poſſit, eodem modo * afferendo teſtimonium audiendus eſt, etſi crimen ciuiliter probare poterit, ad teſtimonium contra ipſum ferendum non eſt aliquatenus audiendus, ſed propter hoc non debet puniri; quemlibet autem ad perhibendum teſtimonium veritati, Romana eccleſia minime cogere conſueuit.

CAP. VII. *Idem Bononienſi epiſcopo.*

Super eo quod certificari deſideras, an ſi aliquis de aliquo facto manifeſto ante iudicem conueniatur, hi qui facto interfuerint, cogendi ſint ad ferendum teſtimonium ve-

ANNO CHRISTI 1179. ritati: prudentiæ tuæ volumus innotescere, quod si factum est manifestum, non eget testium depositionibus declarari: cum manifesta, sicut tua non ignorat discretio, probationem vel ordinem iudiciarium non requirant. Vnde si manifestum non est, & is qui conuenitur, factum negauit, testes qui interfuerunt facto, ex consuetudine Romanæ ecclesiæ monendi sunt, non cogendi, ad testimonium ferendum veritati: nisi forte timore aduersæ partis constaret iudicia ferendo testimonio reuocari, licet de rigore humani iuris ad hoc forte possint compelli. Si vero presbyter vel clericus alius aliquem laicum de rebus suis vel ecclesiæ impetierit, & laicus res ipsas non esse ecclesiæ vel presbyteri, aut clerici, qui eum exinde impetit, sed suas proprias asseuerat, laicus ipse debet de rigore iuris super hoc ad forense iudicium trahi, cum actor semper forum rei sequatur, licet in pluribus partibus aliter de consuetudine fiat.

2. q. 1. Manifesta.

In quo casu testes cogendi.

CAP. VIII.

Idem Salernitano archiepiscopo. Pars capituli, Licet pater.

De cetero laicos in accusationem vel testimonium contra clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura sacrorum Canonum manifestius edocet: nisi forte suam vel suorum iniuriam persequantur, nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti.

CAP. IX. *Idem eidem in eadem epistola.*

In causis ecclesiasticis vel ciuilibus vltra tertiam productionem non debent testes produci, nisi adhibita quadam solennitate, quæ in legibus inuenitur expressa: & super dictis testium, cum fuerint publicata, potest publice disputari.

CAP. X.

Idem præposito & canonicis Eburdinensis ecclesiæ.

Cum tu fili præposite, cum quibusdam canonicis tuis, & frater noster venerabilis archiepiscopus pro causa quæ inter vos & ipsum vertebatur, in nostra essetis præsentia constituti, archiepiscopo asserente, quod vos ante appellationem excommunicasset, & postulante sententiam suam

confirmari: econtra proposuisti, quod post appellationem in vos sententiam excommunicationis protulisset, & ob hoc duxisti nullius momenti fuisse: adiecisti etiam tam tu, quam altera pars, quod testes fuerunt hinc inde producti, & attestationes eorum receptæ. Nos autem auditis & cognitis rationibus & allegationibus vtriusque partis, & attestationibus inspectis diligenter, cum constaret vestros testes iurasse, quod post appellationem sententia in vos lata fuisset: & testes archiepiscopi iuramento confirmassent, quod ante appellationem sententiam in vos tulerit: dicta testium benigne interpretari, ac prouidere volentes ne de periurii reatu notentur: quia vtrumque verum esse potuit, quod post primam appellationem & ante secundam sententia lata fuerit: de communi consilio fratrum, eamdem sententiam denuntiamus & decernimus non tenere. Vt autem hic nostræ diffinitionis, &c.

Anno Christi 1179.

Testium dicta quomodo interpretanda.

CAP. XI. *Idem Rothomagensi archiepiscopo.*

Transmissæ nobis literæ tuæ continebant, quod cum Nicolaus Sagantinus vsque ad iuuentutem puerum quemdam nutriuisset, vxore sua nondum matrimonio desponsata cum eo cohabitante, postmodum ipsam, sicut creditur, legitime desponsauit, & de ipsa filios sustulit. Quibus paternam hereditatem petentibus, prædictus iuuenis contradicit, dicens se filium & heredem, quamuis a vicinia, quæ ipsum filium eorum credebant, spurius diceretur. Prædictus vero Nicolaus & vxor eius Mathildis, præfatum iuuenem spurium suum aut legitimum filium omnino negabant, sed dicebant quod pietatis intuitu eum nutriuissent. Cum autem quæstio coram te mota est, & prædictus iuuenis pro eo quod iuri stare nolebat, vinculo excommunicationis sit adstrictus, quid de hoc agere debeas, nos consulere voluisti. Super quo ita consultationi tuæ taliter respondemus, quod in tali casu standum est verbo viri & mulieris, nisi certis indiciis & testibus prædictum iuuenem tibi constiterit eorum esse filium.

In causa filiationis cõtra communem vicinię opinionem, viri & mulieris verbo standum.

CAP. XII. *Idem Placentino episcopo.*

Fraternitatis tuæ literis nos consuluisti, vtrum noui testes super quæstione iudicata, in qua testibus renuntiatum

ANNO CHRISTI 1179. tum fore ex vtraque parte constat, sint recipiendi: & vtrum testibus in prima causa receptis, præter causam appellationis liceat aliquid noui proponere super quæstionibus iudicatis. Licet igitur nobis ex his non plene innotuerit, vtrum testes super eisdem vel nouis capitulis a partibus desiderantur induci; quia tamen iurisprudentium copiam non habebant, nos super hoc consulere voluisti: hoc tibi duximus respondendum, quod si in prædicta causa contigerit emergere capitula, super quibus aliqua partium voluerit nouos testes inducere, vel per iam receptos aliquid comprobare, eos credimus super nouis dumtaxat capitulis fraternitatem tuam posse recipere, receptis prius ab ipsis secundum formam recipiendorum testium iuramentis.

CAP. XIII.

Idem Exonienſi epiſcopo & abbati ſancti Albani.*

Innotuit nobis R. quod VV. clericus capellanum eius & alios quamplures de testibus suis iuramento adstrinxit, quod nec testimonium vel consilium vel auxilium eidem R. contra ipsum præberent. Ideo publica auctoritate vobis iniungimus, vt si testimonium illorum publicatum non est, & non est abrenuntiatum testibus, eos qui sunt iuramento adstricti, & alios, si necesse fuerit, idoneos, quos ipse in testimonium produxerit, recipere non postponatis.

Casus vbi aliquis contra iuramẽtum suum licite venire possit.

CAP. XIV. *Idem decano Ciceſtrenſi.*

Literas * Exonienſis episcopi suscepimus, continentes quod cum VV. clericus ad præsentiam VVillelmi nobilis viri accessisset, orans & supplicans, vt eum in personam eiusdem ecclesiæ admitteret, quidam clericus E. nomine, in eadem inuentus est ministrare, dicens se a bonæ memoriæ R. prædecessore suo legitime institutum. VV. vero obiiciebat, etiamsi facta fuit institutio, prædictum E. non posse inniti, quia capellano domini personatum renuntiauit, & sub annua pensione ab illo tamquam a persona vicariam recepit, & sic post obitum illius ecclesiam vacare asseuerauit. Sed quia verisimilitudinem non habet, quod prædictus E. personatum ecclesiæ prælibatæ capellano

prænominati R. ceſſerit, & ab eo ipſius eccleſiæ vicariam acceperit, præuideas attentius, vt memorati VV. ſuper hoc probationem recipias, niſi hoc communis fama loci habeat, vel tales perſonæ appareant, de quibus veriſimile ſit quod non debeant deierare: Quoniam ſæpe contingit, quod teſtes corrupti precio facile inueniantur ad falſum teſtimonium proferendum. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XV.

Idem abbati & fratribus monaſterii ſancti Michaelis de * *Matura.*

Cauſam quæ vertitur inter vos & dilectos filios noſtros, plebanum & clericos plebis ſanctæ Mariæ de * Martura, iampridem filiis n. * Volterrano archiepiſcopo & abbati de Spongia commiſimus, appellatione remota, fine debito terminandam. Cumque vtraque pars propter hoc in eorum præſentia eſſet conſtituta, & teſtes eſſent hinc inde recepti, & eis ab vtraque parte renuntiatum, & atteſtationes vtriuſque partis publicatæ, quoddam priuilegium nuper a nobis impetratum in medium protuliſtis, aſſerentes vos quædam alia munimenta a nobis impetraſſe, quæ rationes prædictæ plebis obſcurare & impedire videntur, quod cauſa ipſa nondum potuit terminari. Quia vero ſolicitudini noſtræ incumbit, vtrique eccleſiæ iura ſua conſeruare integra, ac litibus & contentionibus finem imponere, iudicibus ipſis præcipiendo mandamus, vt partes ante ſuam præſentiam conuocent, & ſuper aliis capitulis, ſi qua alia ſint, ab his ſuper quibus teſtes ſunt recepti, & eorum atteſtationes publicatæ, rationes diligenter hinc inde audiant, & teſtes, ſi qui idonei fuerint, recipiant, & in illis capitulis nuper per nuntios veſtros a nobis impetratis, quæ continentur in priuilegio noſtro, vel in aliis literis quas vobis indulſimus, poſtquam cauſam ipſam eiſdem commiſimus, prædictæ cauſæ impedimentum præſtantibus, concordia vel iuſtitia mediante, decidant. Et quia venerabilis frater noſter Florentinus epiſcopus per ſuas literas nobis intimauit, quædam capitula priuilegio noſtro, quod monaſterio veſtro nuper indulſimus, eſſe inſerta, quæ obuia rationi videntur: per præſentia ſcripta vobis præcipimus, mandantes, quatenus

ANNO CHRISTI 1179. priuilegium illud, ſicut gratiam ſancti Petri & noſtram caram habetis, cum nuntio veſtro, quiad nos ſecure cum eodem veniat, dilatione & occaſione ceſſante nobis remittatis.

CAP. XVI. *Idem* Exonienſi & Vuigornienſi epiſcopis.*

Teſtes, quos R. clericos vel laicos vobis nominauerit, moneatis, & ſi opus fuerit, auctoritate apoſtolica compellatis ad perhibendum teſtimonium veritati. Aliquos ad teſtimoniũ compellendos.

CAP. XVII. *Eugenius tertius.*

Quoties aliqui ſeparantur propter cognationem propinquitatis, vel conſanguinitatis, tribus teſtibus adhibitis affirmari debet, qui de eadem conſanguinitate ſuperſunt: vel a duobus, vel tribus teſtibus ſenioribus & melioribus eiuſdem loci probari debet. Probatio autem teſtium debet fieri duplici iuramento. Teſtes enim debent iurare, Duplex iuramentum teſtium. ſe neque priuato odio vel amicitia, neque pro auro, neque pro aliquo commercio quod habuerint, vel habituri ſint, ad hoc iuramentum eſſe inductos. Poſtea debent iurare, ſicut ipſi dicunt, ſic ſe rei veritatem accepiſſe a maioribus ſuis, & ita eſſe.

CAP. XVIII.

Idem priori & fratribus ſanctæ Trinitatis Londenſis.

Inſuper etiam auctoritate noſtra ſtatuimus, vt liceat vobis in cauſis eccleſiæ veſtræ teſtimonium ferre, dummodo vnus vel duo ex vobis ad agendum & reſpondendum inſtituantur, quorum teſtimonium in cauſis, in quibus actores vel reſponſales ſunt inſtituti, debet admitti. In cauſa propria religioſos ad teſtimoniũ admitti.

CAP. XIX.

Idem Exonienſi & Vuigornienſi epiſcopis.*

Ad hoc quod præfati clerici ſcripta authentica non habent, quibus muniri poſſint, præſentium vobis ſignificatione mandamus, vt omnes illos clericos, ſiue laicos, quos iſti clerici nominauerunt, moneatis, vt rei veritatem & quæ ſuper ipſa cauſa nouerunt, coram vobis aperiant: non etiam gratia vel timore alicuius, vel odio, in ſuæ ſalutis periculum reticere præſumant.

CAP. XX.

*Idem Cantuarienſi archiepiſcopo, & *Ciſtrenſi epiſcopo.*

De teſtibus ſenio confectis.

Retulit nobis A. presbyter, quod cum nimia paupertate laboraret, & quidam ex eis qui pro eo teſtimonium ferre deberent, ſuper cauſa quæ vertitur inter eum & aduerſarios ſuos de eccleſia de * Bertonenſis ſenio fuerint & ætate confecti, & a veſtris partibus valde remoti, eos veſtro conſpectui præſentare non poteſt. Quia igitur ſolicitudini noſtræ incumbit, litibus & contentionibus finem imponere, & vnicuique iura ſua integra & illibata ſeruare: præſentibus mandamus, quatenus, ſi ita eſt, aliquos prudentes viros & honeſtos, de quibus plenius confidatis, ad partes illas, vbi eſt eccleſia ſuper qua controuerſia vertitur, mittatis, qui teſtes idoneos ab vtraque parte productos, appellatione remota, ſuſcipiant: & eorum depoſitiones diligenter conſcriptas vobis reportantes, ſub ſigillis veſtris clauſas, vt ſecundum tenorem earumdem atteſtationum cauſam terminare poſſitis.

CAP. XXI. *Item Lucius tertius.*

Conſtitutus in præſentia noſtra P. diaconus de Buchan, nobis ſua aſſertione monſtrauit, *&c. Infra.* Præterea illud nobis non modicam admirationem adducit, quod purgationem oblatam accipere noluiſti, niſi prius commendaſſes nomina ſingulorum, qui iam dictum P. purgare volebant, & de maioribus & ceteris prius inquireres diligenter, tamquam eſſes ordinationes facturus. Vtinam ſic diſcuteres ordinandos. Sane in purgationibus faciendis cum ſatis ſit, vt illi qui pro purgando exhibent iuramentum, ſi ſecundum propriam conſcientiam & opinionem iurauerint, quod purgandus, ſit a crimine immunis, & bonum exhibuit iuramentum: ſi purgatores ab eccleſia tolerentur, & ſint bonæ famæ in ſuis ordinibus miniſtrantes, nec in iudicio pro crimine condemnati, procul dubio ſunt abſque vlla indagine admittendi.

CAP. XXII.

Idem Herefordenſi epiſcopo, & abbati de Forde.

Ex parte A. clerici ad nos eſt querela perlata, quod

ANNO CHRISTI 1179. cum ipſe eccleſiam de * Calumprum canonice fuiſſet adeptus, & eam vigintiquinque annis & amplius poſſediſſet, mulier quædam H. nomine, ipſum exinde grauibus moleſtiis & iniuriis laceſſiuit, & tandem tacito quod laicus erat, ad * Tofenſem epiſcopum & abbatem de Feruerſham literas noſtras apportauit: quod ſi prædictus A. filius eſſet illius qui proximo in eadem eccleſia miniſtrauit, & iure hereditario eam teneret, vel quod publice fornicariam haberet, a prædicta eccleſia prorſus amoueretur. Tandem vero cum idem miles per interpoſitam perſonam præfatam A. presbyterum coram prædictis iudicibus traxiſſet in cauſam, quoſdam laicos infames & notabiles produxiſſe dicitur ad teſtimonium perhibendum, quod videlicet memoratus presbyter, filius illius ſacerdotis fuiſſet, qui proximo in eccleſia ipſa miniſtrauerat. Licet etiam prædictus A. presbyter aſſereret illos teſtes non eſſe recipiendos, pro eo quod quidam eorum latrones & raptores erant manifeſti, quidam vero in alia cauſa fuerant conuicti de periurio: & ſe conſtanter diceret, hoc probaturum, nihilo minus tamen præfati iudices talibus teſtibus partis aduerſæ receptis, eidem presbytero, etiam poſt appellationem, quam ſe ſuper hoc interpoſuiſſe proponit, reo abſente, præſcriptam adiudicauerunt eccleſiam, quam nunc præfati militis dapiferi filius detinet occupatam. Quoniam igitur de vobis ſatis plene confidimus, cauſam ipſam diſcretioni veſtræ duximus committendam, præſentium auctoritate vobis præcipiendo mandantes, quatenus partibus ante vos conuocatis, ſuper hoc rei veritatem diligenter inquiratis: & ſi vobis conſtiterit, quod prædictus presbyter non fuerit legitime per teſtes idoneos præſcripta eccleſia ſpoliatus, eorumdem iudicum ſententia, literis etiam confirmationis, ſi quæ ſunt ſuper eadem eccleſia impetratæ, non obſtantibus, eccleſiam illam prænominato A. presbytero, contradictione & appellatione ceſſante, reſtituatis, ipſumque de cetero non permittatis exinde a ſupradicto milite vel ab eo qui ipſam eccleſiam tenet, moleſtari. Si vero res aliter ſe habet, nihilo minus cauſam audiatis, & fine debito terminetis. Teſtes autem ſi quos idem A. in ſuæ aſſertionis teſtimonium inuocauerit, vt coram vobis ſuper his teſtimonium perhibeant veritati, monere

Fornicarios eccleſiaſtico beneficio ſpolandos.

curetis, & diligenter inducere diuino intuitu & amore iustitiæ, vt coram vobis testimonium perhibeant veritati, nec quidquam exinde in suæ salutis periculum reticere præsumant. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXIII. *Idem B.* **Exonienſi epiſcopo.*

Peruenit ad audientiam nostram, quod Hugo de Kalega & M. vxor eius, in tali sunt linea consanguinitatis coniuncti, quod nullo modo possunt legitime insimul commorari. Vnde quoniam ad hoc magna est discretio adhibenda, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si aliqui apparuerint, qui possint & velint ipsum matrimonium legitime *impugnare, vtraque parte ante præsentiam tuam conuocata, quanto tempore cohabitauerint, diligenter ac studiose perquiras, & vtrum tempore quo coniuncti fuerint, accusatores siluerint, & eos coniungi debere cognouerint, solicite inuestiges. Quod si illos tempore coniunctionis hoc sciuisse & siluisse constiterit, de cetero graue esset eos audiri. Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum copulatos, coniunctos relinquere, quam coniunctos quoslibet legitime, contra statuta Domini separare. Si vero matrimonium ipsum recenter est contractum, vel notitiam eius tempore contractus ad accusatores non peruenisse constiterit, fama viciniæ & personarum solicite perscrutata causam audias, & eam fine canonico studeas terminare. *impedire,

Non admittendos ad accusationem matrimonii, qui tempore contracti consanguinitatē sciētes siluerūt.

PARS IX.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

CAP. I. *Vigilenſi epiſcopo.*

VIR autem vel mulier ad bigamiam transiens non debet a presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari.

CAP. II.

Idem Exonienſi epiſcopo; Pars capituli, In literis.

Super illa vero quæstione, qua quæsitum est, an scilicet mulier possit sine infamia nubere infra tempus luctus secundum leges diffinitum, solicitudini tuæ respondemus, quod cum Apostolus dicat: *Mulier mortuo viro soluta est a le-*

Rom. 7.

ANNO CHRISTI 1179. *cum

ge viri, & in Domino nubat cui voluerit*; per sententiam & auctoritatem Apostoli infamia aboletur.

DE APPELLATIONIBVS. PARS X.

CAP. I.

Alexander III. Exonienſi epiſcopo & decano Lincolnienſi.*

DILECTI filii noſtri prior & canonici de *Giſebuir, grauem admodum & difficilem nobis querimoniam tranſmiſerunt, quod venerabilis frater noſter R. Eboracenſis archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, eumdem priorem poſt appellationem ad nos factam ſuſpendit, & eccleſias ſuas interdixit, & canonicos, ſi eidem tamquam priori obedirent, tamquam excommunicatos denuntiauit. *Et infra:* Super quibus autem omnibus rei veritatem per idoneas perſonas & famam loci ſolicite inquiratis, & ſi ita eſſe inueneritis, eccleſiarum conceſſiones taliter factas, niſi prior & canonici malitioſe diſtulerint eas, quantum ad ſe pertinent, ordinare, nullius appellatione obſtante, auctoritate noſtra reuocetis in irritum: & priori & canonicis eccleſias ipſas reſtitui facientes, tam vicarios, quam iuratos eorumdem canonicorum, iuramentum præſtitum ſeruare cogatis, niſi fuerit a priore inique extortum. *Et infra:* Prouiſuri attentius, ne ita ſubtiliter, ſicut a multis fieri ſolet, cuiuſmodi actio intendatur inquiratis: ſed ſimpliciter & pure factum ipſum & rei veritatem, ſecundum formam Canonum & ſtatuta ſanctorum patrum, inueſtigetis.

CAP. II. *Idem Rhemenſi archiepiſcopo.*

Super eo quod abbas ſancti Apollinaris in clauſtro a te appellans, impoſuit generalem ſuper omnem cauſam, quæ aliquo tempore aduerſus eum poſſet moueri, ipſum exinde redarguimus, nec huiuſmodi appellationem ducimus admittendam.

CAP. III. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Quod vero quæſiuiſti, an debeat appellationi deferri, vbi ſub eius prætextu noſcatur adulterium vel aliud crimen committendum, conſultationi tuæ taliter reſponde-

mus, quod vbi notorium est crimen vel adulterium, si appellationi deferretur, deferri non debet. Nolumus enim incestus vel adulterii matrimonia aliquibus ministrare. Anno Christi 1179.

CAP. IV. *Idem abbati sancti Petri de* Diua.*

Ad nostram audientiam noueris peruenisse, quod si quando subditos tuos vis pro suis excessibus, secundum regulam sancti Benedicti & institutionem tui ordinis, corrigere & castigare: ipsi, vt liberius malitiam suam exercere valeant, ad remedium appellationis confugiunt. Quia vero appellationis remedium non ideo fuit inuentum, vt alicui a religionis & ordinis obseruantia exorbitanti debeat in sua malitia patrocinium exhibere, discretioni tuæ taliter, *&c.* quatenus si quando quilibet subditorum tuorum, ne ipsum pro suis excessibus corrigas & castiges, ad remedium appellationis conuolauerit, non ideo minus eum iuxta tenorem mandati, quod in scripta regula continetur, & institutionem ordinis tui corrigas.

CAP. V. *Idem Norvvicensi episcopo.*

Personas ecclesiarum in tua diœcesi consistentium, ita tuis & dominorum fundi authenticis scriptis præmunias, vt cum aliquem istorum decedere forte contigerit, decedentis filius, vel vicarius, seu alius quilibet, personatum ecclesiæ vacantis viro idoneo conferendi tibi viam præcludere aliqua calliditate non possit. Quod si aliquis talium frustratoriæ dilationis causa ad audientiam nostram appellauerit, & appellationi suæ prolixum terminum præfixerit: tu ei terminum, infra quem possit sedem apostolicam conuenienter adire, assignes: & si ad illam venire contempserit, tu illum extunc iudicio tuo super his quæ in quæstione vertuntur, sine contradictione aliqua stare, omni excusatione & appellatione cessante, districte compellas. Si autem quisquam appellationi suæ congruentem terminum præfigat, nec tamen causam ad diem appellationis fuerit prosecutus, ipsum nihilo minus extunc sententiæ tuæ, sicut de alia diximus, appellatione remota, parere constringas. Verum si coram te vel alio quolibet huiusmodi negotia ventilentur, nolumus vt morbo consimili laborantes, si certum sit, aut legitime possint conuinci su-

Morbo cõsimili laborantes cum reo, non admitti in testimoniũ pro eo.

ANNO CHRISTI 1179. ci super his, si ab alterutra parte adducti fuerint, in testimonium recipiantur.

CAP. VI. *Idem H. Rhemensi archiepiscopo.*

Cum sit Romana ecclesia caput & magistra omnium ecclesiarum, disponente Domino, constituta, & ad eamdem consultationes & quæstiones de diuersis mundi partibus referantur, quod eam super variis quæstionibus consulis, gratulamur, & prudentiam tuam non immerito commendamus. Inde est quod fraternitati tuæ taliter respondentes, præsenti scripto duximus respondendum: Si frustratoriæ dilationis causa vel etiam necessario ante sententiam vel postea fuerit appellatum, huiusmodi appellationibus annus indulgetur: aut si necessaria & euidens necessitas apparuerit, indulgetur biennium: nisi forte iudex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum & prouinciarum distantiam & qualitatem temporis, recisius tempus fuerit moderatus, infra quod si is qui appellauerit, causam appellationis non fuerit prosecutus, sententia tenebit, si post sententiam appellauerit; & a causa sua cecidisse videtur: nec amplius super eodem negotio audietur appellans. Si vero a grauamine & ante litis ingressum fuerit appellatum, huiusmodi audietur appellans, quoniam sacri Canones passim appellare permittunt. Si vero ante sententiam appellauit, cogetur illius stare iudicio, ad quem noscitur appellasse. Si autem in agro vel alias ante causæ ingressum fuerit appellatum, non solent dici huiusmodi appellationes, sed ad causam prouocationes. Præterea si raptor sit vel alias violentus detentor alienæ rei is qui appellat, huiusmodi appellatio in iudicio facta apud ecclesiasticas personas solet audiri, nisi manifestissimus raptor vel fornicator existat, sicut ille, quem absentem & non requisitum Apostolus excommunicauit.

Frustratoriam tenere appellationem.

1. *Cor.* 5.

CAP. VII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Si duobus coram non suo iudice litigantibus, alter ad nostram, alter ad sui iudicis audientiam appellauerit, & ille qui ad suum iudicem appellauerit, ad diem appellationis veniens, appellasse se ad eum proponit, eo tacito, quod aduersarius eius ad audientiam Romani pontificis

appellaſſet, ſi legitime citatus non venerit, nec aliquem miſit reſponſalem, aut etiam alias parere contemnit, & in eum excommunicationis ſententiam tulerit: tenebit excommunicationis ſententia in eum pro contumacia promulgata, niſi agnouerit eum iudex ad audientiam noſtram appellaſſe. Denique in fine quæſtionum tuarum quæris, ſi a ciuili iudice ante iudicium vel poſt ad noſtram audientiam fuerit appellatum, an huiuſmodi appellatio teneat. Tenet quidem in his, qui veſtræ ſunt epiſcopali iuriſdictioni ſubiecti: in aliis vero etſi de conſuetudine eccleſiæ teneat, ſecundum rigorem iuris tenere non credimus. Anno Christi 1179.

Tenere excommunicationem poſt appellationē iuſte interpoſitam.

CAP. VIII. *Idem Vuigornienſi epiſcopo.*

Ceterum cum aliquam cauſam contigerit tibi, appellatione remota, fuiſſe commiſſam, & aduerſa pars poſt factam citationem iter arripuerit ad ſedem apoſtolicam veniendi, nihilo minus poteris in negotii cognitione ſecundum iuris formam procedere; quod vtique ſi ante citationem factam iter arripuerit, non eſt aliquatenus procedendum.

CAP. IX. *Idem Vuigornienſi epiſcopo.*

Super eo quod a nobis tua ſolicitudo requiſiuit, vtrum ſententia pro appellatione, quam ex incidenti quæſtione fieri ſæpe contigerit, fuerit ſuſpendenda, licet cauſa fuerit, appellatione remota, commiſſa: prudentiæ tuæ duximus reſpondendum; quod ſi de aliqua exceptione ſuboriatur quæſtio, & exinde appellationem fieri contingat, eidem exceptioni erit merito ſuperſedendum: & ſi principalis cauſa ſine illa terminari non poterit, ei nihilo minus ſuperſedeatur. Si autem aduerſa pars de falſi ſuggeſtione in appellationem proruperit, non eſt ſententia propter hoc differenda, ſi in literis commiſſionis appellationis obſtaculum inhibeatur.

Incidens principali præiudicat.

CAP. X. *Idem eidem in eadem.*

De appellationibus quæ in cauſis minimis fiunt, tuam volumus cognitionem tenere, quod eis, pro qualicumque leui cauſa fiant, non minus in illis, quam pro maiori-

ANNO CHRISTI 1179.

bus ad deferendum. Verum si appellantes suam contempserint appellationem, tu ipsos aut appellationem prosequi, vel iudicio tuo stare, appellatione remota, districte compellas.

CAP. XI. *Idem Senonum archiepiscopo.*

Sicut Romana ecclesia omnium ecclesiarum, disponente Domino, mater est, ita etiam nos, qui eidem ecclesiæ, licet immeriti, supernæ dispositionis prouidentia præsidemus, & prout Dominus nobis ministrauerit, consultationibus singulorum cogimur respondere, & quæ videntur dubia, apostolicæ circumspectionis prouidentia declarare. Sane quæsitum est a nobis ex parte tua, vtrum si aliqua causa inter aliquos delegatis iudicibus, appellatione remota, committitur, & altera pars literis apostolicæ protectionis munita, quibus est ei generaliter indultum, vt libere sibi liceat appellare, si in vocem appellationis proruperit, eius sit in eadem causa appellationi deferendum. Hoc ergo præsentibus literis inquisitioni tuæ respondemus, quod eius in hac parte appellationi non est aliquatenus deferendum, postquam est iudicibus, appellatione remota, causa commissa, quia speciale mandatum derogat generali. Speciale mandatum derogat generali.

CAP. XII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Super eo quod interdum iudices delegati ab altera partium tamquam suspecti recusantur, hoc tuæ prudentiæ præsentibus literis innotescat, quod cum sacri Canones ante & post litis decisionem, & in prolatione sententiæ, & post sententiam singulis appellandi facultatem tribuunt, non admittunt aliud remedium præter solam appellationem, nisi in casu ante sententiam non admittunt. Verum in causis ecclesiasticis, vbi appellationis remedium tollitur, vtrumque remedium denegatur: & ita sicut appellationi, ita recusationi non est aliquatenus deferendum. Si autem infra certum temporis spatium aliquibus committitur lis decidenda, itaque contineatur in literis, causam post susceptionem literarum infra certum terminum terminari debere, extunc terminus incipit, cum eos quibus literæ delegantur, easdem contigerit literas accepisse. Sublata appellatione, tolli recusationem.

CAP. XIII. *Idem R. Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Anno Chriſti 1179.

Peruenit ad nos, quod cum presbyteri vel alii ſe conquerantur ab aliquibus vulneratos, vel aliter grauiter læſos & ad probandum quod aſſumunt, plerumque teſtes producunt, hi qui impetuntur, ad apoſtolicam ſedem appellant: ſed appellationem interpoſitam proſequi, vel conſortium hominum deuitare contemnunt. Vnde quia quid faciendum ſit, literis noſtris certiorari deſideras, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus illos qui pro tali cauſa appellant, ſi eorum exceſſus publicus & notorius non ſit, contradictione & appellatione ceſſante, eccleſiaſtica cenſura compellas, vt infra conueniens tempus ipſam appellationem interpoſitam proſequantur. Si vero exceſſus publicus ſit & notorius, appellationis obtentu, ſi quam ad iniquitatem ſuam fouendam interpoſuerant, nullatenus prætermittas, quin eos excommunicatos denunties, ſicut ex ipſa iniectione manuum in clericum, excommunicationis ſententiam incurrerunt, & ipſos ſicut excommunicatos cautius facias euitari, donec paſſis iniuriam ſatisfaciant, & cum literis tuis apoſtolico conſpectui ſere præſentent.

CAP. XIV. *Idem archiepiſcopo Toletano.*

In criminibus notoriis non eſt deferendum appellationi.

Conſuluit nos tua fraternitas, vtrum deferendum ſit appellationibus, quæ ſuper manifeſtis criminibus interponuntur, aut eorum appellationibus qui fruſtratoriæ dilationis cauſa appellant, nec appellationem proſequuntur. Super quo vtique conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi quando aliqui, quos manifeſtum ſit ac notorium, vxorem alterius detinere, aut manus violentas inieciſſe in clericum, appellant, nec appellationem proſequuntur, eorum appellationi non eſt aliquatenus deferendum. Sed cum multa dicantur notoria, quæ non ſunt, prouidere debes, ne quod dubium eſt pro notorio videaris habere. Illos autem qui appellant a præſentia tua, cogere debes infra tempus conueniens appellationem interpoſitam proſequi, aut iudicio tuo appellatione ceſſante parere.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XV.

Idem Rhemenſi archiepiſcopo. Pars capituli, Cum ſit Romana.

Si in vna cauſa aliquis appellauerit, & pendente appellatione aliquod crimen committat, vel prius commiſiſſe dicatur, vel modo etiam accuſetur vel conueniatur de alia re, ſuper qua non ſit appellatum, & illam perferri contingat ad audientiam iudicis, a quo etiam in alio negotio appellauerit, tum poteſt ſi voluerit tamquam ſuſpectum vitare. Alioquin debet iudicio ſtare illius, a quo appellatum eſt, maxime ſi iudex ſuus ordinarius exiſtat.

CAP. XVI.

Conſuluit nos fraternitas tua, vtrum recuſationes admittere debeas in cauſis, quas abſque remedio appellationis tibi committimus terminandas: Super quo diſcretioni tuæ taliter reſpondemus, quod licet ſacræ leges tale remedium admittant, cum cenſuræ ſacrorum Canonum aliud remedium præter appellationem non admittant, cum licitum ſit ſecundum ſtatuta Canonum ante litis conteſtationem, & in ipſa litis conteſtatione, & poſt deciſionem cauſæ, ad appellationis remedium conuolare. Ideoque remedium recuſationis non debes admittere, ſi quando cauſas aliquas tibi commiſimus, appellatione remota, terminandas. Verumtamen cognitioni cauſæ, quæ vertitur inter B. & nepotem Baldevvini, volumus in præſenti vt ſuperſedeas, quia vtraque pars conſpectui noſtro ſe præſentauit.

CAP. XVII.

Idem Exonienſi epiſcopo. Pars capituli, Significaſti; ſupra de poteſtate iudicum.*

Appellationi, ſi qua ſuper aliquo caſu ab alterutra partium fuerit interpoſita, niſi appelletur ab ipſo, cui cauſa ſit, appellatione remota, commiſſa, cum debita eſt deuotione deferendum.

CAP. XVIII.

Idem Lucius III. Vu. Lincolnienſi epiſcopo.

Poſtremo præſentibus literis fraternitati tuæ intima-

mus, quod si aliqua causa alicui fuerit delegata, qui consanguineus illius sit, qui literas impetrauit, aut in eodem negotio aduocati officio functus, aut ex alia quacumque causa suspectus, huiusmodi delegatus potest non immerito recusari, quamuis appellatione remota fuerit negotium delegatum. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XIX. *Alexander III. Dunelmensi episcopo.*

Suggestum est auribus nostris, quod cum oppressi & grauati ad præsidium sedis apostolicæ recurrunt, & appellatione facta iter arripiunt, aduersarii eorum, appellationem interpositam cognoscentes, nec ad præsentiam nostram accedunt, nec pro se responsalem transmittunt. Cum autem præsenserint eos rediisse & literas nostras reportasse, in vocem appellationis prorumpunt, & iter ad nos veniendi arripiunt, vt sic eorum solicitudinem, a quibus impetuntur, eludant. Verum quoniam nemini debet fraus sua patrocinari, & falce apostolici moderaminis sunt resecanda, quæ in se vitium calliditatis & fraudis continere noscuntur: & nos super hoc consulenti tibi respondemus, quod si quis deprehensus fuerit hoc ex fraude vel malitia facere, eius appellationi non deferas, neque ob id causam tibi commissam fine congruo terminare postponas: quia decretalem epistolam, qua tales videntur muniri, non ad deprimendam cuiusquam iustitiam, sed ad remouendum iniustum grauamen nos feciisse cognoscas.

CAP. XX.

Idem Cantuariensi archiepiscopo & eius suffraganeis.

Relatum est auribus nostris, quod quidam sint in prouincia vestra, qui vxoribus propria auctoritate relictis, concubinis adhærere non dubitant, & errorem suum ac temeritatem suam fouere ac tueri per appellationis obstaculum nituntur. Quoniam igitur officio nostræ solicitudinis imminet prouidendum, ne appellationis obtentu in sua malitia perseuerent: fraternitati vestræ, *&c.* quatenus si manifestum est, aliquos de prouincia vestra vxores suas sine rationabili causa dimisisse, & aliis adhæsisse, si commoniti vxores suas, concubinis abiectis, non receperint, propter appellationem, si quam ad errorem suum fouen-

ANNO CHRISTI 1179. dum interposuerunt, non prætermittatis, quin eos ad abiiciendas concubinas, & recipiendas vxores suas & maritali affectu tractandas, per excommunicationis sententiam compellatis.

CAP. XXI.

Idem Eboracensi archiepiscopo, & R. presbytero.

Ad præsentiam nostram R. presbytero veniente, episcopo Tusculano & P. sanctæ Susannæ cardinali, tuam & ipsius causam commisimus audiendam: qui ob excommunicationem tuam, licet non esset excommunicatus de iure, de facto tamen fecerunt eum absolui. Quia vero quod a fratribus nostris noscitur in hac parte constitutum, nolumus aliqua ratione mutare: fraternitati vestræ, *&c.* quatenus prædictum presbyterum pro eo quod post excommunicationem contra appellationem factam diuina cantauit, nullo modo attentetis inquietare, sed ad eum statum omni reducatis appellatione cessante, in quo erant tempore appellationis ad sedem apostolicam factæ.

CAP. XXII. *Idem Carnotensi episcopo.*

Ex literis venerabilis fratris nostri Bathonensis episcopi, & dilecti filii nostri VVellensis decani accepimus, quod cum causam, quæ inter Giclericum præsentium latorem, & abbatissam de Helenostoue, & H. clericum super quodam beneficio de ecclesia de VVestonensi suscepissent de mandato prædecessoris nostri I. felicis memoriæ terminandam, de ipsa plenius cognouerint, sed pro decessu prædecessoris nostri eam reliquerunt, quamuis appellatione remota eis esset commissa, indecisam. Adiecit autem præfatus clericus, quod persona abbatissæ, vt sententiam impediret, & eum amplius pro sua voluntate grauaret, ad festum beati Petri proximo venturum, vocem appellationis emisit. Sed ipse ad festum inuentionis sanctæ Crucis proximo venturum, terminum coarctauit: infra quem nuntius abbatissæ clericum suum præueniens, ad dilectos filios nostros abbatem sancti Albani, & priorem de Denustaple, & archidiaconum Cicestrensem super iam dicta causa literas nostræ commissionis impetrauit. Quoniam igitur alienum est & ab ordine iuris, vt de dolo vel fraude quilibet com-

modum reportet : fraternitati tuæ , *&c.* quatenus literas quas nuntius abbatissæ ad prædictos iudices impetrauit, tibi facias exhiberi; & ipsis inspectis, si eas infra terminum appellationi præfixum, sicut præfatus clericus asserit, obtentas fuisse cognoueris, eis non obstantibus, de prædicta causa cognoscas,& auditis quæ hinc inde proposita fuerint, & qualiter prædictus episcopus & decanus in ea processerunt, cognito, sublato appellationis remedio canonicum finem imponere non postponas : prouisurus, vt mandatum nostrum taliter exequaris, vt super causa ea, de qua toties scriptum est, vlterius scribere non cogamur. Si quid autem eidem G. super beneficio ipso grauaminis irrogatum fuerit, postquam iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi,ante ingressum principalis causæ contradictione & appellatione cessante, prout rectum fuerit, eneruari. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXIII. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Cum teneamur consultationibus singulorum, quantum Dominus ministrauerit, respondere ; tanto grauius volumus tibi responsum impendere, quanto personam tuam abundantiori diligimus caritate. Quoniam igitur nos consulere voluisti, vtrum si eorum qui appellant ad audientiam nostram, possessio turbata fuerit, reformare debeas, eo prætermisso, de quo appellatio est interposita; prudentiæ tuæ taliter respondemus:Si exinde ad te querela peruenerit, id ordine iudiciario tibi corrigere licebit.

CAP. XXIV.

Idem vniuerſis eccleſiæ Cantuarienſis & eius ſuffraganeis.

Significauit nobis frater noster R. Cantuariensis archiepiscopus,quod si quando vos appellatis ad audientiam nostram, vel archidiaconi vestri super aliquo certo negotio, episcopatus vel archidiaconatus vestros sub protectione apostolica ponitis ad annum,& infra : nec de præteritis commissis, nec de nouis excessibus vestris, nec de subditorum vestrorum delictis permittitis eum cognoscere, sed omnem iustitiam eius suspenditis, & protinus euacuatis. Quoniam igitur nobis prouidendum est, ne mala impunita sub appellationis obtentu remaneant, aut subditi vestri de suorum excessuum impunitate lætentur : fraternitati vestræ,

ANNO CHRISTI 1179. vestræ, &c. quatenus si qui vestrum episcopatus aut archidiaconatus apostolicæ protectioni subiiciunt, & audientiam nostram appellant, propter hoc prædictum archiepiscopum nullatenus impedire tentetis, quo minus de causis & de excessibus subditorum vestrorum cognoscere valeat, & iuxta meritorum qualitatem eos animaduersione debita punire, aut etiam excessus vestros persequi, qui manifesti sunt & notorii: his dumtaxat exceptis, super quibus appellatio est interposita, possit digne corrigere, & quod iniuste actum est, ad rectitudinis tramitem reuocare.

2. quæst. 6. Siquis ex pluribus.

CAP. XXV. *Idem Eboracensi episcopo.*

De priore qui non deferens nostræ protectioni & appellationi ad sedem apostolicam factæ, quemdam canonicum suum fecit vestibus omnibus ad camisiam spoliari, & eum accusationi & appellationi renuntiare coegit: qui de suis ac quorumdam fratrum enormitatibus murmurauit: id tuæ solicitudini duximus insinuandum, vt rei veritate diligenter inquisita, si inueneris quod pro euitanda disciplina prædictus canonicus appellauit, eidem priori propterea nullam pœnam infligere debes: quoniam sacrosancta Romana ecclesia huiusmodi appellationem non consueuit admittere, ne monachis vel canonicis regularibus præberetur audacia delinquendi. Ceterum si præfatus canonicus priorem propter suas enormitates manifestas, quæ ipsum notabilem redderent, ad apostolicam sedem appellauit, & si ipse tali appellationi deferre noluerat, eum cum literis tuis rei veritatem continentibus, de tanto excessu satisfacturum, ad sedem apostolicam venire compellas, & eius in tali malitia complicibus talem pœnam infligas, quod ceteri audientes, similia non audeant perpetrare.

Pœna non deferentis appellationi legitimæ.

CAP. XXVI.

Idem Exonienſi epiſcopo & * Ciſtrenſi decano.*

Ad audientiam nostram peruenit, quod R. presbyter de Curket & VV. clericus de Ciceſtro, decimas de * Beinosa, quas idem VV. multorum virorum testimonio probare dicitur, ad se & ad capellam suam rationabiliter pertinere, violenter auferre conatur. Vnde cum VV. propter hoc ad audientiam nostram appellasset, prædictus R. au-

Pœna clerici ad iudicē sæcularem in spiritualibus appellantis.

ctoritate sedis apostolicæ contempta, ad audientiam domini regis appellauit. Verum quoniam nemini licet super rebus spiritualibus ad sæcularem iudicem appellare, si verum est quod prædictus R. enormiter & immoderate deliquit, nec delictum huiusmodi debet inultum aut impunitum relinqui: discretioni vestræ, *&c.* quatenus vtramque partem ante præsentiam vestram conuocantes, rem solicite & diligenter inquiratis: & si ita esse inueneritis, præfatum R. ab omni ecclesiastico beneficio, appellatione remota, & officio suspendatis, & ad præsentiam nostram cum literis vestris, rei veritatem continentibus, suspensum mittatis, & prædictas decimas prædicto VV. præcipiatis sine molestia & contradictione restitui.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXVII. *Idem Ianuensi episcopo.*

Cum inter alios præemineamus, *&c.* Quoniam fraternitas tua nos consulere voluit, vtrum episcopus parochianum suum, publica fama eum accusante, ad purgationem cogere possit: consultationi tuæ taliter respondemus, quod si de aliquo crimine publica laborat infamia, accusatore & testibus deficientibus, ad purgationem per diœcesanum episcopum est compellendus: nisi forte super ipsa ad superiorem iudicem duxerit appellandum. Sane si appellauerit, eius iudicio apparebit, ad cuius examen causa per appellationem refertur. Quatenus vero inimicitia vel contrarietate aliquis parochianus iudicio diœcesani episcopi eximatur, quia nos consulere voluisti, duximus respondendum, quod non solum pro inimicitia, sed etiam pro manifesta causa suspicionis, potest sui episcopi iudicium euitare, & ad superiorem iudicem recurrere, cum nullus a suspecto iudice debeat iudicari.

CAP. XXVIII. *Idem Zamorensi episcopo.*

Cum parati essemus petitiones tuas, quas nobis per nuntium tuum porrexisti, benigne suscipere & efficaciter exaudire, dilectus frater noster, Hyacinthus scilicet in Cosmedin diaconus cardinalis, olim apostolicæ sedis legatus, constanti nobis assertione proposuit, quod cum te ad Synodum suam vocasset, & ad eius vocationem contempsisses accedere, in personam tuam excommunicationis

ANNO CHRISTI 1179. sententiam promulgauit: post cuius excommunicationem, qui vice nostra fungebatur, te fecisti in episcopum consecrari. Cumque dilectus filius noster Martinus canonicus beati Iacobi firmiter asseueraret, quod in legatione regis esses & non potuisses ad vocationem prædicti cardinalis accedere, cardinalis econtra asseruit, quod non in legatione regis, sed in Salmantina ecclesia te nuntius suus inuenisset, tibique dixisset, quod non in alia ecclesia esses * quæsiturus. Et cum iterum ex parte tua fuisset propositum, quod venerabilis N. archidiaconus Prædanus appellauit, tuam etiam appellationem interposuisses, cardinalis adiecit, quod appellatio illa te tueri in parte illa non potuit, quin ad illius vocationem accedere tenereris. Nos vero attendentes, quomodo te non decet contemnere, obtentu appellationis, ad vocationem cardinalis venire: fraternitatem tuam monemus, mandantes atque præcipientes, quatenus vel in propria persona, vel per idoneos nuntios apostolico conspectui te præsentes, innocentiam & immunitatem tuam, si poteris, ostensurus.

CAP. XXIX. *Idem R. Cantuariensi archiepiscopo.*

Præterea de his qui iuramentum præstant, quod stabunt iudicio ecclesiæ, & postea præstito iuramento appellant, id tua solicitudo prouideat, vt eos seruare quod iurant, vel infra quadraginta dies post appellationem interpositam iter arripere ad ipsam prosequendam compellas.

CAP. XXX. *Idem eidem.*

Relatum est auribus nostris quod si quando episcopi suffraganei tui vel archidiaconi prouinciæ tuæ super aliquo certo negotio ad audientiam nostram appellant, episcopatus & archidiaconatus suos nostræ & Romanæ ecclesiæ subiiciunt, & cum appellant, ad annum interim de suis vel suorum subditorum excessibus cognoscere non permittunt, sed omnem iustitiam tibi euacuant & suspendunt. Volentes igitur pastorali solicitudine prouidere, ne appellationis obtentu detur eis audacia grauiora committendi, auctoritate apostolica tibi duximus respondendum, quod si præfati episcopi & archidiaconi, quando appellauerint ad audientiam nostram, & episcopatus & Appellantē in eo solo tutum, de quo appellauit.

archidiaconatus ſuos ſub protectione apoſtolica poſuerint, pro eorum appellatione nullatenus prætermittas, quin de cauſis & de exceſſibus ſubditorum ſuorum, & de ſuis propriis exceſſibus, ſi qui manifeſti ſint & notorii, his dumtaxat exceptis, ſuper quibus appellatum eſt, cognoſcere poſſis, & ſuper his ſtatuere, quod ſecundum iuſtitiam videris ſtatuendum. Anno Christi 1179.

CAP. XXXI. *Idem VVintonienſi epiſcopo.*

Super eo vero quod a nobis tua quærendum duxit diſcretio, vtrum videlicet propter incidentem quæſtionem ſub qua fuerit appellatum, tota principalis cauſa, quæ commiſſa eſt iudici, appellatione remota, terminanda, debeat indeciſa relinqui: inquiſitioni tuæ duximus reſpondendum, quod ſi quæſtio incidens talis fuerit, quod ſine ea principalis cauſa non poſſit terminari, propter interpoſitum appellationis obſtaculum, totius cauſæ cognitioni debet de iure deferri, donec ſuperior iudex, ad quem ſuper prædicta quæſtione eſt appellatum, aliter de tota cauſa diſponat.

CAP. XXXII. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Significauerunt nobis dilecti filii N. prior & canonici ſanctæ * Frides Vuihæ, quod ſuper cauſa quæ inter eos & canonicos de Oſenia, de eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ vertitur, de mandato noſtro coram venerabilibus fratribus noſtris *Exonienſi & *Ciſtrenſi epiſcopis tractaretur, & ad audientiam noſtram appellaſſent, iidem epiſcopi canonicos de Oſenia in poſſeſſionem ipſius eccleſiæ, cauſa rei ſeruandæ iudicauerunt induci: & poſtmodum iidem epiſcopi literas commiſſionis noſtræ, quas ſuper cauſa receperant, diligentius intuentes, & videntes appellationem alterutri partium in eiſdem literis non fuiſſe inhibitam: quæſtione facta a Xenefordenſi archidiacono, mandauerunt vt omnia in eodem ſtatu ſeruaret, in quo tempore factæ appellationis fuiſſe dinoſcitur. Interim vero canonici de *Oſeneia, in præſcriptam eccleſiam irruerunt, & ibi manere volentes, a miniſtris S.* Frides VVerichæ eiecti fuerunt: Deinde canonici de *Oſeneia, ad Lundenſem & VVigornienſem epiſcopum literas noſtras impetrauerunt, conti-

ANNO CHRISTI 1179. nentes quod a possessione ipsius ecclesiæ fuissent violenter eiecti, eis possessio redderetur: & sicut vtraque pars eorum conspectui se præsentasset, præfatus prior S.* Frides VVichæ, quoniam literæ ante terminum appellationi præfixum, sicut aiebat, per surreptionem fuerunt impetratæ, ad audientiam nostram iterum appellauit. Sed Londoniensis episcopus appellationi non deferens, canonicos de Osenia in possessionem eiusdem ecclesiæ fecit induci. Inde est quod fraternitati tuæ, *&c.* quatenus siue in literis nostræ commissionis, prædictis* Exonienſi & Ciceſtrenſi episcopis factæ, siue ex assertione ipsorum episcoporum, aut etiam alias legitime constiterit, in prædictis literis appellationem inhibitam non fuisse, quidquid post appellationem ab eis episcopis ad nos interpositam, in causa ipsa innouatum est aut mutatum, in eo statu facias, appellatione cessante, reduci, in quo tempore appellationis factæ noscitur fuisse, non obstantibus literis, neque Lundensi neque VVigornienſi episcopis postea directis, si ante terminum appellationi præfixum, aut etiam in termino fuerint, tacita veritate, impetratæ. Non enim fuerunt violenter a possessione eiecti, si volentes intrare, sunt in continenti reiecti, cum liceat omnibus vim vi in continenti tantum repellere, & ab eorum violentia iura tueri. Deinde vero vtraque parte ante præsentiam tuam conuocata, causam ipsam diligentius audias, & eam sublato appellationis remedio termines.

Non deiicitur, qui volens prius ingredi, vi repellitur in continẽti.

Quis seu quando non auditur appellans.

Hæ glossæ, non textus instar, autographo inerant, eaque de causa & hic ita habentur.

Laicus detinens decimas.
Intrusor.
Adhærens concubinæ, relicta vxore.
Quoties sub prætextu appellationis, adulterium vel aliud crimen dignoscitur faciendum.
Si appellauerit quis, & infra terminum appellationi præfixum non fuerit appellationem prosecutus, cogetur stare iudicio eius a quo appellauit.
Si notorium fuerit, aliquem iniecisse manus violentas in clericum.
Religiosus, castigatus aut castigandus a prælato suo, appellans, ne corrigatur secundum regulam suam.

Appellans metu literarum, quas scit impetratas ab aduersario ante citationem. Anno Christi 1179.

Ante litis ingressum appellans.

Excommunicatus, præstito iuramento absolutus, si statim appellauerit, antequam mandatum susceperit, & susceptum secundum posse suum non fuerit prosecutus, non auditur appellans.

Institutus in ecclesia, dicens se velle ibi residere & curam eius gerere, postmodum absentans se sine causa rationabili, priuatusque beneficio, non auditur appellans.

Si tibi habenti alios reditus prima vacans concessa fuerit, & cum vacauerit, appelles, ne alius instituatur, non audieris.

Si dispositio alicuius ecclesiæ spectet ad capitulum, & non disposuerit infra terminum præfinitum, episcopus appellatione cessante disponere poterit: sic & e conuerso.

Si interponit generalem appellationem ab omni grauamine, non auditur appellans.

A delegato, qui delegauit, reseruata sibi definitiua sententia, appellare non potest.

PARS XI.

VT ACTOR RESPONDEAT EI QVEM CONVENIT.

CAP. I.

Idem Volterano archiepiscopo.*

Ex literis vestris accepimus, quod dilecti filii nostri abbas & fratres Maturienſis monasterii, super quæstionibus quas plebanus & clerici Maturienses aduersus eos proponunt, vestrum parati fuerint grauamen subire, si illi in continenti de suis quæstionibus* debent respondere. *vellent

Actorem reo, quem conuenit super aliis negotiis, in eodem iudicio respondere debere.

Vnde quoniam indignum penitus, & absurdum videtur, vt memorati plebanus & clerici, abbati & fratribus de his quæ aduersus eos proponunt, respondere non debeant, cum sibi exinde iustitiam postulant exhiberi: discretioni tuæ, *&c.* quatenus actione clericorum & plebani proposita, & responsione facta, eos moneatis auctoritate nostra & districtius compellatis, memoratis abbati & fratribus

ANNO CHRISTI 1179. super quæstionibus suis coram vobis respondere, & vos vicissim postmodum rationes & allegationes partis vtriusque diligentius audiatis, & cum concordia vel iudicio terminetis.

CAP. II. *Idem decano & clericis Maturiensibus.*

Miramur plurimum & mouemur, quod cum causam quæ inter vos & dilectos fratres abbatem & fratres Maturiensis monasterii vertitur, dilectis filiis nostris archidiacono VVolterano & abbati de Spongia commisissemus fine debito terminandam, & abbas & fratres parati essent iudicium illorum subire, si vos eis super quæstionibus, quas aduersus vos proponunt, deberetis respondere in continenti, sicut iidem iudices nobis literis suis intimauerunt, id efficere noluistis. Vnde quia rationis ordo hoc exigit, vt si quis sibi vult ab aliquo iustitiam exhiberi, ei non debet quod iustum est denegare, fraternitatem vestram *&c.* quatenus accusatione ipsa, quam aduersus prædictos abbatem & fratres intenditis, proposita, & responsione facta eidem abbati & fratribus coram prædictis iudicibus in continenti respondeatis: vt causa vestra & ipsorum vicissim postmodum audiri debeat & terminari. Nos enim eisdem iudicibus dedimus in mandatis, vt vos ad id faciendum instanter moneant, & auctoritate nostra districte compellant.

DE EO QVI CONSANGVINEAM VXORIS SVÆ, VEL SPONSAM PATRIS SVI, vel consanguineam sponsæ propriæ cognouit. PARS XII.

CAP. I.

Idem Vuigornienſi epiſcopo.

SI quis parochianorum tuorum matrem forte vel sororem, vel filiam vxoris suæ carnaliter cognouerit, & hoc publicum & manifestum fuerit, ab ea penitus est separandus, & vterque illorum, scilicet tam mœchus quam mœcha, debet sine spe coniugii perpetuo permanere. Si autem hoc secretum & occultum fuerit, pœnitentiam de commisso debet accipere, & vxori suæ infra tempus pœ- 27. Quæst. 2. Qui dormit.

nitentiæ vel extra, debitum, si exegerit, soluere. Sane si aliquam vxoris suæ consanguineam, quæ illi in tertio gradu vel deinceps contingat, carnali commixtione cognouerit, non est propterea diuortium inter eos celebrandum: sed delinquenti, secundum qualitatem personæ & criminis, est pœnitentia iniungenda. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. II. *Idem.*

Fraternitatis tuæ literas suscepimus, ex quarum tenore perpendimus, quod quidam parochianus tuus A. nomine, cum esset perfectæ ætatis, quamdam puellam in cunabulis desponsauit. Procedente vero tempore idem A. matrem puellæ cognouit, & eam in vxorem duxit. Vnde quia dubitas an huiusmodi matrimonium stare debeat, exinde a nobis consilium postulasti. Super quo fraternitati tuæ duximus respondendum, quod si memoratus vir matrem præfatæ puellæ, antequam puella illa annum septimum implesset, accepit in vxorem; matrimonium non dissoluas, sed eumdem virum præfatam mulierem sicut vxorem libere tenere permittas, cum huiusmodi dispensationes nullæ sint, quæ in cunabulis factæ sunt. Verum si postquam præfata puella septimum annum compleuit, prædictus vir matrem eius accepit in vxorem, cum extunc sponsalia placere consueuerint, inter eos sententiam diuortii non differas promulgare, nec ipsum filiam siue matrem in vxorem habere permittas.

CAP. III. *Idem Tullensi episcopo.*

Præsentium lator P. cum literis tuæ fraternitatis ad præsentiam nostram accessit, ex quarum tenore innotuit, quod pater eius quamdam iuuenculam sibi desponsauit, ipsumque tempus vt illam adduceret, destinauit. Sed ipse diabolico instinctu sponsam patris sui, licet vxoratus, carnali commixtione corrupit. Cumque patratum scelus ambo celarent, pater ignarus commissi sceleris, ad sponsam suam secundum morem accessit. Tum is de diuina miseratione compunctus, ad præsentiam vestram accessit, & crimen, quod illicite commiserat, humiliter est confessus. Mulier vero interrogata, prius negauit: sed postea discussione cautius facta, eamdem culpam confessione propria pate-

ANNO CHRISTI 1179. patefecit. Quod cum patri eius innotuisset, vehementi dolore commotus, ad te pro consilio venit. Constitutis igitur in facie ecclesiæ tribus prædictis, licet clerici tui abundarent sensu, diuersi diuersa dantes consilia, vnum tamen omnium consilium fuit, vt super instanti periculo in causa tam difficili apostolicum oraculum adirent. Indicta itaque patri continentia & vxori suæ, filium pœnitentem cum literis tuis, rei veritatem confessum, ad præsentiam nostram curasti destinare, quærens tibi formam præscribi, quam in similibus, si forte aliquid tale per diabolicam cooperationem emerserit, deceat obseruari: & quam eis debeas satisfactionem imponere, scripto nostro postulas edoceri. Tuæ igitur inquisitioni respondentes, præsentium tibi significatione mandamus, quod si pater eius postquam rei conscius fuit, vxorem suam carnaliter non cognouit, de priori commixtione leue aut nullum peccatum incurrit: ei tamen viuenti, vel alii, ea viuente, non poterit copulari. Ceterum si sciens facinus, carnaliter eidem mulieri adhæserit, ei septennis pœnitentia indicatur: nec illi, nec alii carnaliter de rigore commiscri valebit. Mulieri quoque perpetuam continentiam & quatuordecim annorum pœnitentiam duximus imponendam. Lator autem præsentium totidem annis pœniteat. Ab vxore tamen legitima, quam prius habuerat, nisi de communi consensu, nullatenus separetur.

De rigore, ex dispensatione tamẽ ab vxore debitum exiget, cum occultum fuerit delictum.

CAP. IV. *Idem Pictauiensi episcopo.*

Veniens ad nos lator præsentium P. nobis fraternitatis tuæ literas reportauit: ex quarum tenore perpendimus, quod cum quamdam vxorem duxisset, quidam dissuaserunt ei per mensem, quo eam duxerat, carnaliter cognoscere. Contigit autem, sicut dixit, quod pater iussit vxorem suam, quæ mater erat sponsæ, in lecto huius iacere: quam, diabolo suadente, cognouit: transacto vero mense, tam pater quam alii propinqui coegerunt, vt matrimonium cum sponsa sua consummaret: quod facere noluit, donec tecum super hoc loqueretur. Tu vero audita eius confessione, ipsum cum literis tuis ad sedem apostolicam transmisisti. Tuæ igitur inquisitioni taliter respondemus; quod si occultum esset huius delictum, non posset rescin-

dere matrimonium, quod publice contraxisset. Verum si publicum est, quod matri sponsæ carnaliter adhæsit, imponenda est pœnitentia paulo maior quam de adulterio: & exinde peracta pœnitentia, vel parte pœnitentiæ, poterit ex dispensatione cum alia matrimonium contrahere, & illa alii nubere. Ceterum si sponsam cognouerit antequam matrem vel post, nunquam poterit eam vel aliam in vxorem accipere. Anno Christi 1179.

CAP. V. *Idem* B. Exonienſi epiſcopo.*

Veniens ad præsentiam nostram R. lator præsentium, sua nobis assertione monstrauit, quod cum quamdam mulierem cognouisset, postea sciens consobrinam eius ausu temerario in vxorem accepit. *Et infra:* Si publicum & notorium fuerit, & eam quam prius cognouit, vxoris suæ consobrinam esse constiterit, aut alii comparent qui hoc velint vel possint legitime comprobare, ipsum religionem intrare commoneas & inducas. Si autem eum ad hoc inducere non poteris, ei de tanto delicto dignam pœnitentiam imponas, & ipsum ab vtraque muliere remoueas, & sine coniugio perpetuo manere præcipias. Quod si delictum eius occultum esse cognoscis, ipsum cum vxore, quam in facie ecclesiæ duxit, morari permittas, & eidem de commisso condignam pœnitentiam imponas.

Sed hoc de rigore, illud ex dispensatione.

CAP. VI.

Idem Burdegalenſi epiſcopo. Pars capituli, Conſuluit; ſupra, de ſponſalibus.

Super eo quod quemdam iuuenem asseris puellam nondum nubilem, fide interposita, iurasse: quæ dum facta nubilis virum repetit, & ille excipit, dicens eam non se debere ducere, pro eo quod postquam eam affidauit, carnaliter propinquam eius cognouit: inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si manifestum est, eumdem iuuenem cognouisse propinquam iam dictæ puellæ, aut si manifestum non est, & id fama loci habet, cum sponsio tantum esset de futuro, idem iuuenis potest & debet a puella absolui.

CAP. VII. *Idem* Exonienſi epiſcopo.*

Super eo quod a nobis tua solicitudo requisiuit, vtrum

ANNO CHRISTI 1179. ille qui prius cognouerat matrem siue sororem eius quam postea duxit in vxorem, teneatur ei carnaliter debitum soluere, & ab ea non possit exigere: quod etiam consilium dandum sit ei, qui hoc secretius confitetur, cum probari non possit, nec ipse velit vllatenus continere: tuæ petitioni duximus respondendum, quod attentius est monendus, vt vxorem suam laboret inducere ad continentiam seruandam: vt si illa continere voluerit, continentiam simul obseruent. Si autem ad hoc induci non possit, & vir debitum soluat, & de commisso pœnitentiam agat. In hoc vero casu cum aliquis post contractum matrimonium, vxoris suæ siue matrem siue sororem cognoscit, idipsum quod in priori seruetur.

CAP. VIII. *Item Eugenius tertius. Sed presbytero.*

Iuuenis ille qui puellam nondum septennem duxit, quamuis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate tentauit quod complere non potuit. Quia igitur in his quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus, tum propter honestatem ecclesiæ, quia ipsa ipsius coniux esse dicitur, tum propter prædictam dubitationem, mandamus tibi, vt consobrinam ipsius puellæ, quam postmodum duxit, ab eo diuidas. In dubiis quid tenendum.

DE RELIGIOSIS VIRIS DECIMAS EX PRIVILEGIO NON PRÆSTANTIBVS, & de priuilegio abutentibus. PARS XIII.

CAP. I.

Item Alexander III. canonicis regularibus & monachis Eboracensis ecclesiæ.

AVARITIÆ, quæ est idolorum seruitus, radicem extirpare debent, qui sæculi vanitatibus renuntiantes, Domino elegerunt in religionis habitu militare. Intelleximus autem, quod in ecclesiis vestris, de quibus certas pensiones consueuistis percipere, portiones vel aliquos reditus minorastis, quos in illis ante tempora venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi apostolicæ sedis legati, etiam postquam est archiepiscopatum adeptus, clerici habuerunt. Vnde quoniam hoc ex radice auaritiæ processit, *Ephes. 5. Coloss. 3.*

& cupiditatis, quam debetis modis omnibus deuitare: fraternitati veſtræ, *&c.* quatenus ſi quas portiones vel antiquos reditus clericorum indebite & ſine conſenſu & auxilio prædicti archiepiſcopi, poſtquam ipſe archiepiſcopatum habuit, in miniſtris vel per parochias diuiſiſtis, eas ad integritatem priſtinam reuocetis, & inde rationabiles & antiquas penſiones clericorum qui debent altaribus deſeruire, integras eis & illibatas ſeruetis, & eccleſiis de quibus certas penſiones ſoliti eſtis percipere, partitiones vel antiquos reditus, quos in illis clerici ante tempora ipſius archiepiſcopi, & poſtquam adeptus eſt archiepiſcopatum, habuerint, nullatenus præſumptione temeraria minuatis, nec parochias eccleſiarum auctoritate veſtra diuidere vllatenus præſumatis. Anno Christi 1179.

CAP. II. *Idem monachis.*

Dilecti filii noſtri abbas & fratres S. Crucis, tranſmiſſa nobis conqueſtione demonſtrauerunt, quod prædia de quibus decimas & in magna parte ſuſtentationem habere conſueuerunt, conduxiſtis & recepiſtis ad firmam. Vnde quoniam iidem fratres ex hoc immoderate & enormiter grauantur, nec fuit intentionis anteceſſorum noſtrorum, vt de poſſeſſionibus quas conducitis, decimas non deberetis perſoluere: diſcretioni veſtræ per, *&c.* quatenus eiſdem fratribus de prædiis quæcumque conduxiſtis in parochiis ſuis, de quibus * conſueuiſtis decimas percipere, plenarie perſoluatis, vel cum ipſis tam pacifice & amicabiliter conueniatis, quod nulla debeant inter vos ſcandali mala ſuſcitari, & ne vos videamini vltra quam vobis indultum eſt manus extendere. * *f.* conſueuerãt

CAP. III. *Idem Eboracenſi archiepiſcopo.*

Fraternitatem tuam ſcire volumus & firmiter tenere, quod vt te ex caritatis feruore ob multiplicia tuæ deuotionis gratiſſimæ obſequia nobis frequenter impenſa, diligimus, ita & aliquando tibi negare nolumus, quod cuilibet fratrum noſtrorum concedere debemus. Super eo quod de compellendis monachis albis & nigris, & canonicis regularibus ad ſoluendas decimas de terris conductis, quas habent ad terminũ vel ad firmam, a nobis tua diſcre-

ANNO CHRISTI 1179. tio postulauit, te vel quemlibet alium audire & exaudire nulla ratione possumus, nisi manifeste vellemus obuiare iustitiæ, & prædecessorum institutis contraire, ne videamur religionem persequi: quam si forte non habemus in nobis, in iis diligere & fouere tenemur. Cautum siquidem in scriptis prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum habetur, quod religiosi viri ab exactione decimarum de laboribus, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, & de nutrimentis animalium suorum prorsus erunt immunes. Sed piæ recordationis Hadrianus papa prædecessor noster labores in noualia pro sua voluntate conuertit. Illud etiam debet nos a tuæ petitionis effectu retrahere, quod in veteri testamento non vsquam legisse recolimus, vt Leuitæ Leuitis decimas persoluerint: imo sicut tua discretio non ignorat, non ambigimus esse statutum, vt ecclesiis illis decimas persoluant, vbi ecclesiastica sacramenta percipiunt. Vnde Apostolus: *Non est magnum si metimus temporalia, vbi spiritualia seminauimus.* Non graue tibi sit, sicut esse non debet, si ratione diuinæ scripturæ & honestate nostra pensata, petitionem illam, quantumcumque te diligamus, & sicut carissimum fratrem nostrum defendentes, non duximus admittendam. In nullo patereris repulsam, quod secundum iustitiam fieri a nobis postulares. 1. Cor. 9.

CAP. IV. *Idem.*

Suggestum est nobis ex parte tua, quod abbas & fratres de * Vrsitun decimas auferre conantur, & alia damna & grauamina vobis irrogare non cessant. Quia non decet honestatem siue religionem monasticam litibus & contentionibus intendere, discretioni vestræ per A. S. monendo consulimus & hortamur, quatenus cum prædicto abbate & fratribus super decimis ipsis & aliis, vnde inter vos est controuersia, pacifice conueniatis, ne pro huiusmodi contentionibus fama vestræ religionis valeat denigrari. Nam quando ordini vestro Romana ecclesia priuilegia de decimis dederat, domus vestræ ita erant raræ, quod exinde nulli poterat de iure scandalum suboriri. Sed per gratiam Dei nunc sunt in tantum augmentatæ & possessionibus ditatæ, quod multi viri ecclesiastici de confinibus vestris apud nos querelam sæpe deponunt.

CAP. V. *Idem Trecenſi epiſcopo.*

Anno Christi 1179.

Ex parte fraternitatis tuæ ad audientiam noſtram noueris peruenisſe, quod albi monachi & nigri, & quidam alii viri religioſi, eccleſias tuæ iuriſdictionis reditibus decimarum ſpoliare præſumunt, occaſione priuilegiorum quæ ſibi Romana indulſit eccleſia. Sane tuam nolumus latere prudentiam, quod ſanctæ memoriæ prædeceſſores noſtri fere omnibus religioſis decimas laborum ſuorum conceſſerunt. Sed bonæ memoriæ prædeceſſor noſter Hadrianus, ſolis fratribus *Ciſtrenſis ordinis, & Templariis & Hoſpitalariis, decimas laborum ſuorum indulſit. Ceteris vero, vt de noualibus ſuis, quæ propriis manibus & ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium & de hortis ſuis decimas non perſoluant, conceſſit. Quem ſuper his imitati ſumus, quatenus hi quibus indultæ ſunt decimæ de noualibus ſuis & de nutrimentis animalium ſuorum & de hortis ſuis, hac occaſione decimas de aliis eccleſiæ ſuæ rebus non debent nec poſſunt ſubtrahere, vel ſibi vlterius aliquid vendicare.

* Fort. Ciſtercienſis

CAP. VI. *Idem & fratribus * Ramenſis eccleſiæ.*

Licet de benignitate ſedis apoſtolicæ vobis ſit indultum, vt de laboribus veſtris, quos propriis manibus vel ſumptibus colitis, nemini decimas ſoluere teneamini: propter hoc tamen non eſt vobis licitum, cuilibet decimas de terris illis ſubtrahere, quas aliis traditis ad colendum. Relatum eſt ſiquidem auribus noſtris, quod cum terras quaſdam, quas in decimatione dilecti filii noſtri theſaurarii Senonenſis habetis, datis ruſticis excolendas, & ei exinde decimas ſicut debetis, non ſoluitis, nec facitis a ruſticis ipſis exolui. Quoniam igitur quanto arctius viuitis, tanto tardius debetis efficere vos quæ ſunt honeſtati contraria vel obuia rationi, aut ex quibus priuilegiorum veſtrorum tenorem tranſgredi videamini, cum priuilegium mereantur amittere, qui conceſſa ſibi abutuntur poteſtate: fraternitati veſtræ, *&c.* quatenus de terris illis, quas in decimatione prædicti theſaurarii, propriis manibus non colitis, ſed ruſticis traditis excolendas, decimas vobis vſurpare nullatenus præſumatis: ſed eas in primis eidem theſaurario facia-

ANNO CHRISTI 1179. tis cum omni integritate persolui, sciturí pro certo, quod si præceptum nostrum contempseritis, nos venerabili fratri nostro Senonensi archiepiscopo dedimus in mandatis, vt rusticos quibus in decimatione præfati thesaurarii terras dederitis excolendas, ad soluendas inde decimas eidem thesaurario, appellatione cessante, districte compellat.

CAP. VII. *Idem ex priuilegio Alexandri papæ.*

Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus excolitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum, nullus omnino clericus vel laicus a vobis decimas exigere præsumat. Hoc etiam idem ex priuilegiis aliis aliorum Romanorum pontificum.

CAP. VIII.

Idem Couentrensi episcopo, & officialibus eius.

Ad audientiam nostram noueritis peruenisse, quod quidam vestratium a dilectis filiis nostris abbate & fratribus de * Pipennella, qui sunt * Cistrensis ordinis, de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, decimas exigere & extorquere conantur, illud priuilegii capitulum sedis apostolicæ praua interpretatione ac malitiose peruertentes, quo eisdem fratribus indulgetur, ne de laboribus quos propriis manibus & sumptibus excolunt, aliquis ab eis decimas exigere audeat. Asserunt enim quod pro laboribus noualia intelligi debent. Verum quoniam fratres præscripti ordinis benignitate apostolica fouere debemus, & ne vllus contra eos materiam habeat malignandi, vel ipsos contra iustitiam quantumlibet molestandi, attentius prouidere: tuæ venerabilitati, *&c.* quatenus a præscriptis fratribus de laboribus suis quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nullatenus decimas exigatis, nec a parochianis vestris exigi permittatis, vel quolibet modo extorqueri. Nam si tantum de noualibus intellexissemus, vbi ponimus, De laboribus, poneremus, De noualibus, sicut in priuilegiis quorumdam aliorum præsumimus.

* Pepenuella, * Cistertiensis

CAP. IX. *Item Gregorius.*

Statuimus vt monasteria ex suis prædiis nullo modo decimas soluere cogantur. Quia si legitime dandæ sunt, or-

phanis & peregrinis dandæ sunt. Indignum est enim vt a clericis exigantur, qui propter eum cuius sunt decimæ, pauperes efficiuntur. Nam si pauperes Domini sunt, pauperum hereditas pauperibus eius eroganda est, illis videlicet, qui propter amorem illius quæ poterant possidere dimittunt: eumque nudi sequentes, potestati alterius se submittunt. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. X. *Item Hadrianus papa.*

Nobis in eminenti specula, disponente Domino constitutis, si cunctarum iura ecclesiarum integre non debeant & illibata seruari, locum beati Petri apostolorum principis inutiliter obtinere, & iuxta nobis commissæ dispensationis officium negligenter agere videmur. Sic enim ecclesiæ Dei, nobis cum diuina gratia prouidente gubernantibus, recto suo cursu diriguntur, dum nos & errata quam vigili prouisione corrigere, & vnicuique studemus ius * suum seruare. Dilecti filii nostri * Partonolensis ecclesiæ, aduersum vos quæstione deposita, sua nobis relatione monstrauerunt, vos quasdam decimationes ad ius suum pertinentes violenter auferre, & ipsos fratres eisdem decimationibus ausu temerario infestare: qui si beati Benedicti regulam, iuxta quam viuitis & monachicum habitum gestatis, attenta solicitudine pensaretis, ad proximorum bona deripienda non præsumeretis manum extendere, vel quæ alterius iuris sunt, vobis illicite vsurpare. Ne ergo vos de cetero aut auaritiæ malum, aut vitium (quod absit) rapacitatis accuset, per apostolica scripta vobis mandamus, quatenus nullam eorum antiquam possessionem, vel decimationem, vel eam quæ in illo loco præsertim, qui * Macien appellatur, existit, auferre seu protrahere præsumatis, & si quas eis præter solitum in hoc anno de ipsis decimis negastis, quascumque etiam possessiones per violentiam detinetis, secundum quod antiquitus præfata ecclesia noscitur possedisse, eis in integrum, omni occasione cessante, nullatenus restituere differatis. Nos siquidem viris religiosis non alias decimas, nisi eas quæ de noualibus prouenire noscuntur, duximus indulgendas. Si vero huius mandati ausi fueritis existere contemptores, & ad sedem apostolicam querimonia peruenerit iterata, timendum

* pro-prium
* Parto-nolensis

vobis

ANNO CHRISTI 1179. vobis erit, ne sentire debeatis seueritatis ecclesiasticæ vltionem.

CAP. XI.

Idem V Vigornienſi & Herefordenſi epiſcopis.

Ex multiplici conquestione VV. presbyteri de Tritona accepimus, quod cum * in ecclesia de Tritona, triginta annis & eo amplius * ministrasset, monachi de * Beria decimas vniuersas quas de terris cultis a prima fundatione eadem ecclesia semper percipere consueuit, infra hoc quadriennium sibi & ecclesiæ subtraxerunt: cum inter abbatem de * Bueria VV. nomine de consensu totius conuentus, & prædictum presbyterum, quindecim annis & eo amplius elapsis, talis interuenisse dicatur conuentio, scripto authentico monachorum roborata, quod monachi prædicto presbytero & ecclesiæ suæ de blado & vniuersis leguminibus in integrum, quamdiu viueret, deberent persoluere, exceptis minutis decimis, quas idem presbyter, ob exaltationem ecclesiæ monachorum, quietas clamauit. Cumque conuentio temporibus trium abbatum præscripti loci seruata fuisset, abbas illius loci ad præsentiam nostram accedens, a nobis scriptum priuilegium obtinuit, in quo monasterio suo indultum est, vt de laboribus quos propriis manibus & sumptibus excolit, nulli decimas soluere teneatur. Qui siquidem reuersus ad propria, tantam gratiam * aduersus H. illustrem regem Angliæ & fauorem inuenit, quod rex totam terram illius villæ, in qua ecclesia præfati presbyteri sita est, monasterio ipsius in perpetuam eleemosynam contulit. Quo facto, prædictus abbas vniuersis illius villæ colonis expulsis, totam terram prædictæ parochiæ excolens propriis sumptibus, ecclesiæ debitos reditus subtraxit. Vnde quia non fuit intentionis nostræ per prædictum priuilegium nostrum prædictæ conuentioni derogare: fraternitati vestræ, *&c.* quatenus vtraque parte ante vos conuocata, rei veritatem diligentius inquiratis, & si inter prædecessorem prædicti abbatis & prænominatum presbyterum consensu monachorum talis conuentio fuerit, & per annum seruata, eumdem abbatem & monachos auctoritate nostra moneatis, & districte compellatis, vt eamdem conuentionem & compactionem, non obstante

* ecclesiã de
* posse-disset,
* Bueria

priuilegio, nisi (quod non credimus) de transactione illa in eodem priuilegio contineatur, occasione & appellatione cessante, inuiolabiliter teneant & obseruent, vel exinde pacifice secum conueniant, & secundum formam compositionis reditus ipsius integre persoluant. Anno Christi 1179.

CAP. XII.

Idem Thomæ Cantuariensi archiepiscopo.

Commissum nobis a Domino dispensationis officium nos admonet multipliciter & hortatur, vt vniuersis Christi fidelibus debeamus vtiliter prouidere, atque iura sua integre nos oportet atque illibata seruare. Peruenit quidem ad nos, quod monachi de Boxle, ecclesiæ sanctæ Mariæ, in cuius parochia commorantur, decimas ex integro non persoluant, & eas reddere contradicunt. Eapropter fraternitati tuæ, *&c.* quatenus prædictos monachos * vt ipsas decimas & de ipsis cultis, in quibus domus olim constructæ fuerant, præfatæ ecclesiæ cum integritate persoluant: quoniam priusquam in eadem ecclesia morarentur, solebant persolui. Si non, appellatione cessante, auctoritate nostra cum omni districtione, sicut olim de pascuis soluebantur decimæ, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione persolui. *f. cogat, aut inducas

CAP. XIII. *Idem monachis de sancto Laurentio.*

Sicut vobis iura vestra integra & illibata vultis seruari, sic aliis iustitiam suam subtrahere nequaquam debetis. Audiuimus etiam, quod decimas ecclesiæ de* Colingham, cum ea in qua debeant solui integritate, quando fundus ad vestrum dominium peruenit, non soluitis. Verum quoniam indecens & inhonestum vobis valde existit, vt aliis damna * inferre præsumatis, quæ vobis nullatenus inferri velletis: vniuersitati vestræ, *&c.* quatenus prædictas decimas memoratæ ecclesiæ sine diminutione aliqua, & cum ea integritate, in qua antiquitus solui solebant, soluere non differatis: quia nobis plurimum graue existit, si super his vlterius ad nos querimonia deferretur. Verumtamen si aliquid iuris ibi vos habere confiditis, in præsentia fratris nostri VVigornensis episcopi, & dilecti filii nostri decani * irrogetur

ANNO CHRISTI 1179. Ciceſtrenſis, occaſione & appellatione ceſſante, ordine iudiciario experiamini, quod ipſi inter vos & partem alteram duxerint ſtatuendum, firmiter ſuſcepturi & inuiolabiliter ſeruaturi.

CAP. XIV. *Item Gregorius.*

Vt nullus abbas decimas & primitias, & reliqua quæ ſecundum ſtatuta Canonum ad epiſcopos pertinent, detineat ſine auctoritate Romani pontificis, ſeu epiſcopi in cuius diœceſi habitat, apoſtolica auctoritate firmamus.

CAP. XV. *Item Ioannes papa.*

Certam habemus prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionem & rationem, nil in hoc mundo habentibus decimas, oblationes viuorum & mortuorum, conuenire, qui ſpontaneam eligentes paupertatem, in monaſterio ſuo degere volunt ſub imperio, in quibus Chriſtus alitur & veſtitur.

CAP. XVI. *Item Paſchalis II.*

Nouum exactionis genus eſt, vt clerici a clericis frugum vel animalium decimas exigant. Nunquam enim hoc in lege Domini præcipi legimus aut permitti: nec enim a Leuitis Leuitæ decimas * extorſiſſe leguntur. Illi profecto ſoluere laborum ſuorum decimas debent, qui a clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt.

* cepiſſe

DE ILLIS QVI INCIDVNT IN CANONEM DATÆ SENTENTIÆ, vel incidere videntur, cum non incidant: & qui propter abſolutionem ſint ad ſedem apoſtolicam mittendi. PARS XIV.

CAP. I.

*Alexander III. Bathonienſi & *Exonienſi epiſcopis.*

SI vero aliquis in clericum comam nutrientem, ignorans quod clericus fuerit, manus violentas iniecerit, propter hoc non debet apoſtolico conſpectui præſentari, De clerico nutriente comam.

nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum ignorarit, & si hoc dubium fuerit, propria manu voluerit praestare * sacramentum. Anno Christi 1179.

* iurando.

CAP. II. *Idem abbati de Nexibus.*

Consuluit nos tuæ discretionis prouidentia, quid tibi faciendum sit de his, qui de sæculo fugientes in monasterium, tuæ religionis habitum susceperunt, & infra certum tempus postmodum confitentur se tale delictum commisisse, quod ipso actu sententiam excommunicationis incurrerunt. Hos autem non potes sine licentia summi pontificis, nec debes absoluere, sed præsumptionem delinquentium debita animaduersione punire.

CAP. III. *Idem.*

Porro si aliqui violentas manus in fratres tuos mittunt, & pœnitentia ducti, non conuicti, sed priuatim, sicut asseris a te veniam postulant, eos monere debes propensius & inducere, vt his quos læserunt, congrue satisfaciant, & apostolico conspectui se præsentent, cum a te vel ab aliquo sine speciali mandato Romani pontificis absolui non possint.

CAP. IV. *Idem * Exonienſi epiſcopo.*

Nulli autem monachi Templarii se possunt priuilegio apostolicæ sedis tueri, quo minus excommunicatos vitare debeant, & pro violenta manuum iniectione in clericos, sicut excommunicatos vitare.

CAP. V.

Idem Cantuarienſi archiepiſcopo, & eius ſuffraganeis.

Non sine cordis dolore & amaritudine audiuimus, quod cum viri ecclesiastici per vos aut per alias personas ecclesiasticas in ecclesiis secundum statuta Canonum ordinantur: laici vero, qui forte aliquando contra ecclesiasticam ordinationem ex vsurpatione consueuerunt in periculum suæ salutis habere, in tantam vesaniam & furorem prorumpunt, quod ecclesiasticos viros canonice in ecclesiis ipsis ordinatos multis iniuriis afficiunt, aliquando affligunt eos verberibus, & interdum etiam, quod est

ANNO CHRISTI 1179. auditu terrible, occidere non verentur. Quoniam igitur quanta sit præsumptio & impietas eorum, qui talia & tam atrocia & nefaria facinora committunt, nemo potest, qui recte sapit, ignorare: ad eos puniendos & castigandos, qui hoc instinctu diabolicæ fraudis committunt, spiritalem gladium debetis exercere, & vos ita volumus in eos ecclesiasticæ disciplinæ rigorem exercere, vt nil videamini omittere, quod aduersus hos ex iuris districtione fieri possit. Inde est quod fraternitati vestræ, *&c.* quatenus si qui se in tantam vesaniam & præsumptionem erexerint, quod hac vel alia occasione clericos occidant, vel occidere faciant, vel aliter violentas manus in eos iniecerint: tam malefactores ipsos, quam illos de quorum mandato id fuerit perpetratum, publice accensis candelis & pulsatis * campanis * signis, aperte excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos deuitari, donec Deo & sanctæ matri ecclesiæ satisfaciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus, ad sedem apostolicam accedant.

CAP. VI. *Idem.*

Grauiter oculos diuinæ maiestatis offendunt, qui religiosos viros indebitis fatigant molestiis, & locum suæ perturbant quietis. Sane a prædecessore nostro sanctæ memoriæ papa A. III. in Concilio Lateranensi statutum est, vt qui violentas manus in clericos vel monachos, Hospitalarios, Templarios, mittunt, seu in viros alterius religionis, excommunicationi subiaceant. Nos autem statutum prædecessoris nostri ratum & firmum tenere volentes, fraternitati vestræ, *&c.* quatenus si qui parochianorum vestrorum in fratres hospitalis Hierosolymitani manus violentas iniecerint, eos publice excommunicatos, appellatione remota, denuntietis, & ab omnibus faciatis cautius euitari, donec prædictis fratribus de illata iniuria congrue satisfaciant, & cum literis episcoporum suorum rei veritatem continentibus, apostolico conspectui se præsentent.

CAP. VII.

Idem * *Exonienſi epiſcopo. Pars capituli, Sicut dignum.*

Super eo quod a nobis consilium postulasti, vtrum si

ſcholares ſeſe inuicem percuſſerint, in plena vel minori ætate, clerici aut religioſi viri in clauſtro, ſecundum Canonem illum quo ſtatutum eſt, vt illi qui in clericos manus violentas iniecerint, ad ſedem apoſtolicam pro ſua abſolutione venire debeant: inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi clerici infra puberes annos ſeſe ad inuicem, vel vnus alterum percuſſerit, non ſunt ad ſedem apoſtolicam mittendi, quia eos ætas excuſauit: nec etiam clerici, ſi ſint plenæ ætatis, ſi non de odio, aut inuidia, vel indignatione, ſed leuitate iocoſa ſe inuicem percuſſerint: nec magiſtri, ſi clericum ſcholarem intuitu diſciplinæ vel correctionis percuſſerint, quia non poteſt in ipſis violenta manus iniectio notari. Ceterum ſi ex odio ſeſe iidem ſcholares percuſſerint, pro ſua abſolutione debent ad ſedem apoſtolicam venire.

Anno Christi 1179.

Excuſat ætas.

Iocoſa leuitas. Intuitus diſciplinæ.

CAP. VIII. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

Monachi vero & canonici ſæculares, quocumque modo ſeſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ſuper hoc ad ſedem apoſtolicam mittendi: ſed ſecundum diſcretionem & prouidentiam abbatis ſui diſciplinæ ſubdantur: & ſi abbatis diſcretio non ſufficiat, ad eorum correctionem diœceſani epiſcopi prouidentia erit adhibenda.

CAP. IX. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

Si vero alicuius potentis oſtiarius, ſub prætextu officii ſui malignatus, clericum læſerit, ab officio ſuo poteſt abſolui, niſi forte eumdem clericum grauiter vulnerauerit.

CAP. X.

Caſus violentiæ repulſæ.

Officialis pro iniectione manuum in clericum non poteſt ſine mandato Romani pontificis abſolutionis beneficium promereri. Quia nulli laico tanta ſuper clericum datur poteſtas, niſi forte turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, ſed caſu fortuito clericum læſerit. Si forte clericum vim ſibi inferentem vi repellat vel lædat, non debet propter hoc ad ſedem apoſtolicam tranſmitti: ſed ſi in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges & omnia iura permittant. Nec ille compellendus eſt ad ſedem apoſtolicam venire, qui in clericum, cum vxo-

ANNO CHRISTI 1179. re, matre, vel sorore, vel filia sua propria inuentum turpiter, manus iniecerit violentas. Ceterum si eum in stupro vel adulterio, quando ea cum qua stuprum committitur vel adulterium, ita proxima ipsum consanguinitatis linea non contigerit, ceperit, aut alias in eum manus violentas iniecerit, a sententia excommunicationis non erit ille immunis.

CAP. XI.

Idem episcopis, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis per Angliam constitutis.

Parochianos autem vestros, si qui in monachos vel conuersos præfati ordinis manus violentas iniecerint, sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos denuntietis, ipsosque sicut excommunicatos, faciatis cautius euitari, donec eis quos læserint, congrue satisfaciant, & cum literis vestris apostolico conspectui se præsentent.

CAP. XII. *Idem Bathonienſi epiſcopo.*

Mulieres etiam vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, possunt a diœcesano episcopo absolui, si manus violentas in clericum iniecerint. De his vero qui magnæ sunt potentiæ, & ita delicati, quod magnum laborem sustinere nequierint, si manus in clericos iniecerint violentas, tale damus petitioni tuæ responsum, quod status personæ prius & veritas negotii, Romano pontifici est intimanda, & secundum consilium eius de commisso scelere erunt puniendi. Illi vero qui non iniiciunt, sed eorum auctoritate & mandato manus violentæ iniiciuntur in clericos, ad sedem apostolicam, omni excusatione cessante, sunt mittendi, cum is vere committat, cuius auctoritate delictum committi probatur.

CAP. XIII. *Idem Cenomanenſi epiſcopo.*

De cetero noueris, quod si laicus pro violenta manuum iniectione in clericum est excommunicationis vinculo adstrictus, si habens capitales inimicitias vel alias iustas causas, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, vt sine periculo apostolico nequeat se conspectui præsentare: licet

diœceſano epiſcopo accepto iuramento, ſecundum morem eccleſiæ abſolutionis gratiam impartiri. Sed illi ſub iuramenti debito eſt iniungendum, vt quamcitius habuerit opportunitatem, Romanum pontificem adeat, mandatum apoſtolicum ſuſcepturus. Anno Chriſti 1179.

PARS XV.

DE IVRE PATRONATVS, ET CLERICORVM INSTITVTIONIBVS.

CAP. I.

Idem R. Eboracenſi archiepiſcopo.

RELATVM eſt nobis ex parte tua, quod cum in Laterano Concilio ſit ſtatutum, vt perſonæ tali eccleſia vel eccleſiaſticum beneficium conferatur, quæ reſideat in loco, & curam eius per ſe valeat exercere: Nonnulli autem ad eccleſias præſentati, ſe poſſe reſidere affirmant, & curam habere eccleſiæ & eccleſiaſtici beneficii profitentur, id tamen efficere contradicunt. Ideo conſulere nos voluiſti, an propter hoc tales poſſis repellere, vel inſtitutos ſine appellatione remouere. Tuæ itaque prudentiæ innoteſcat, quod cum verba accipienda ſint cum effectu, tales ſi præſentati fuerint, licite poterunt amoueri, niſi forte de licentia prælatorum vel ſtudio literarum, vel pro aliis honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe: nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, ſi contra decreti intentionem fuerit interiectum. Quia autem conſulis, ſi clericus idoneus ad vacantem eccleſiam præſentatus ab epiſcopo diœceſano non fuerit admiſſus, & poſtmodum alius idoneus præſentatus, & ab epiſcopo inſtitutus, poſſeſſionem tenuerit corporalem, an clerico priore eccleſiam petente, debeat poſterior priori præferri: dubium non eſt, quin in hoc caſu melior ſit conditio poſſidentis: quoniam antequam præſentatio per diœceſanum epiſcopum approbetur, ratum non eſt quod a patrono fuerit inchoatum.

Verba cum effectu recipienda.

Appellatio vbi non proſit.

CAP. II. *Idem.*

De cetero prudentiæ tuæ præſentibus literis intimamus, quod ſi laici clericis vel collegiis de conceſſionibus vel donationibus inſtrumenta conceſſerint in hæc verba vel ſimilia: Conceſſi, vel, dedi eccleſiam, & præſenti charta con-

ANNO CHRISTI 1179.

ta confirmaui : si consensus episcopi non accesserit, nil actum vel datum videtur. A laico enim ecclesia dari non potest. Patronatum autem de auctoritate & assensu episcopi, certum est a laico in eosdem iure conferri.

CAP. III. *Idem eidem.*

Cum laici, episcopis nescientibus aut non consentientibus, clericis ecclesias concedunt, in quibus habent ius patronatus; & postea pœnitentia ducti, alios ad ecclesias ipsas episcopis præsentant, & illi ad eorum præsentationem in eisdem ecclesiis ab episcopis instituuntur, eorum debet institutio stare & firmiter obseruari, qui auctoritate episcopi fuerint instituti, concessione priori, quæ nulla est, omnino euacuata. Non enim licet laicis in ecclesiis clericos propria præsumptione ordinare.

CAP. IV. *Idem Herefordensi episcopo, & abbati de Forde.*

Quia clerici quidam vestræ diœcesis aduocationem ecclesiarum, sicut accepimus, comparant, vel quocumque modo possunt acquirunt, vt postmodum filii vel nepotes ad easdem præsententur ecclesias, nos tam prauam consuetudinem penitus eradicare volentes, nihilo minus præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus, ne id attentare præsumant, vniuersis clericis iurisdictionis vestræ arctius inhibere curetis : & si presbyteri ecclesiarum vestrarum aduocationes acquisierint, eos aduocationibus taliter acquisitis, appellatione cessante, apostolica auctoritate spolietis.

CAP. V.

Idem I. basilicæ XII. apostolorum presbytero cardinali.

Ex literis Sarensis episcopi accepimus, quod cum defuncta persona de Lauerchon, G. miles, qui villam in qua ecclesia sita est, a monasterio de VVilthon ad firmam tenebat, ad eamdem vacantem Vu. de Leicester clericum prædicto episcopo præsentabat, post aliquantum temporis abbatissa prædicti monasterii ad episcopum veniens, ei Vu. de Norhale ad prædictam ecclesiam præsentauit. Episcopo vero nolente præsentatam personam ab ea recipere, tum ad venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem

archiepiscopum abbatissa accessit, & apud eum querimoniam deposuit de ipso. Archiepiscopus vero, quia visum sibi erat, quod factum militis super præsentatione præfata nullius esset momenti, prædicto episcopo in vi obedientiæ iniunxit, vt personam illam reciperet, & in possessionem induceret, quam abbatissa duxerat præsentandam. *Et infra:* Restitutione autem facta, causam audiatis, ita quod si vobis constiterit, quod præfato militi præscripta villa fuerit, non excepto iure patronatus, ad firmam concessa, vel antequam de iure patronatus inter abbatissam & militem controuersia esset suborta, præfatus Vu. de Leicester in præscripta ecclesia per institutionem episcopi ad præsentationem militis fuisset institutus, ei, dummodo alias idoneus fuerit, ecclesiam ipsam adiudicetis, ita quod si abbatissa obtineat aduersus militem, illi de temporalibus debeat respondere. Anno Christi 1179.

CAP. VI. *Idem VVintonienſi epiſcopo.*

Illud prætereundum non duximus, super quo te intelleximus dubitare, quod si aliquis laicus inconsulto episcopo, ecclesiam non vacantem concedat alicui religiosæ domui, & postea cum vacauerit, ad præsentationem eius laici aliquis clericus ibi fuerit per diœcesanum episcopum institutus; prior concessio per secundam concessionem, quo minus rata habeatur, infirmari non potest: nec debet aliquatenus impediri, cum illa concessio de iure nullius possit esse momenti: tum quia de re non vacante facta est, tum quia laicus sine auctoritate episcopi nemini potest ecclesias dare, licet religioso loco ius patronatus conferendi liberam habeat facultatem. Si vero ius patronatus, ecclesia vacante, religioso loco contulerit, & aliquis postea sine præsentatione fratrum eiusdem loci fuerit in ipsa ecclesia institutus, eius institutio secundum rigorem iuris est irritanda.

CAP. VII. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Querimoniam prioris & fratrum de Lauch nobis literis destinatam audiuimus, quod R. quondam de Hereford comes, ius quod idem prior & fratres in ecclesia de Vuica, ex ordinatione R. de * Laci fundatoris ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1179. suæ, & ipsius Richardi socii, habere debebant, coram bonæ memoriæ I. quondam Vuigornienſi episcopo recognouit. Vnde idem episcopus postea iam dictum priorem & fratres, nullo reclamante aut contradicente, inuestiuit, & exinde eam deinceps illi quiete & pacifice possederunt. Deinde cum inter præfatum comitem & C. vxorem, in cuius patrimonio ecclesia illa consistit, diuortium per ecclesiasticum iudicium celebratum fuisset, eadem C. Vu. Pictauiensi nupsit, qui ecclesiæ præscriptæ fructus memorato priori & fratribus omnino subtraxit, & eos in vsus R. sacerdotis eiusdem loci sine episcopali auctoritate conuertit. Cumque postmodum Vu. de medio sublato, præfata C. tertio viro, Vu. scilicet de Meduan esset matrimonio copulata, idem Vu. in ea qua alter Vu. temeritate persistens, iam dictum R. in præscripta ecclesia contra priorem supradictum manutenere & fouere incepit, dicens quod prænominati episcopi institutio, quam super ecclesia ipsa, quæ de vxoris suæ aduocatione consistit, dum erat in potestate illius viri, a quo postmodum separata esse dignoscitur, fecit, nullam debet firmitatem habere; præsertim cum matrimonium vxoris suæ, sicut asserit, integre sibi restitutum non esset, nisi de ecclesia illa suam posset adimplere voluntatem. Verum quoniam absurdum videtur omnino, & ab ecclesia penitus eliminandum, vt ad singulas patronorum secundum humanam conditionem mutationes, ecclesiarum debeant ordinationes mutari: ne quod a supradicto R. taliter factum fuerit, alicui successorum liceat irritare; fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rei veritatem diligenter & studiose inquiras: & si ita inueneris esse prout superius narratur, sæpe dictis priori & fratribus ecclesiam prælibatam, omni occasione & appellatione cessante, restituas, & in pace facias possidere. Vicissitudines etiam huiusmodi ecclesiarum ab aduocatis vel aliis quibuslibet in tua diœcesi fieri, de cetero nulla ratione permittas: sed earum præsumptores vsque ad dignam satisfactionem, dilatione sublata, vinculo excommunicationis percellas.

CAP. VIII. *Lucius tertius Norvvicensi episcopo.*

Cum aduocatus clericum vnum idoneum præsentauerit episcopo, & postulauerit postmodum, eo non insti-

tuto alium æque idoneum, in ecclesiam eamdem admitti, quis eorum alteri præferatur, episcopi iudicio credimus relinquendum, si laicus fuerit, cui competit ius præsentandi. Verum si collegium vel religiosa persona præsentationem habuerit, prior tempore, potior iure merito videtur. Anno Christi 1179.

CAP. IX. *Idem.*

Cum pastorali necessitate constringamur, & auctoritate iniuncti nobis officii prouocemur pro statu ecclesiarum vigili cura satagere, & ne contra iuris ordinem alicui conferri debeant, attentiori solicitudine prouidere: inde est, quod vniuersitati vestræ, *&c.* quatenus ex donatione laicorum, nisi auctoritas diœcesani episcopi interueniat & consensus adsit, nullus vestrum sibi ecclesias vendicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas, nisi * longa fuerit præscriptione munitus, aut postea diœcesani episcopi forte habuerit consensum. Nos enim, cum laici non possint nisi ius quod habent transferre in alios, huiusmodi concessiones viribus carere decernimus, & penitus irritas esse censemus. * lõgæua

CAP. X. *Idem.*

Relatum est auribus nostris, quod vos ius præsentandi clericos ad ecclesias, contra institutionem antiquam vestri ordinis, emptionis titulo & modis aliis satagitis adipisci, vt sub tali prætextu vobis liceat habere ecclesias, & per vos vel per alios detinere. Quoniam igitur non decet nos occasione qualibet vel obtentu ab antiquis Canonibus patrum nostrorum recedere, aut quidquam efficere, in quo possitis de vitio cupiditatis reprehendi: discretioni vestræ, *&c.* quatenus iura patronatus in ecclesiis, aut in ecclesias de cetero acquirere desistatis, quia non expedit vobis, nec nos volumus sustinere, vt sub tali prætextu vobis vel ordini vestro derogetur. Sane vsque adeo vos & ordinem vestrum diligimus, vt in vobis quæ honestati & religioni contraria sunt, nullatenus fouere velimus: quia de vobis nil incommodi, nil volumus audire siniſtri.

CAP. XI. *Idem.*

Ea quæ honestatis doctorem deformant, & Canonum

ANNO CHRISTI 1179. probantur sanctionibus obuiare, penitus sunt euellenda, & falce apostolici moderaminis resecanda. Vnde quia cum ecclesia viuentibus personis aliis conferri non debeat, consultationi tuæ taliter respondemus, vt si quas concessiones ecclesiarum tui episcopatus, viuentibus personis, factas esse constiterit, & super hoc ventum fuerit ad iudicium, eas auctoritate vestra in irritum reuoces, & friuolas & vanas esse decernas.

CAP. XII. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Si vero aliquando ordinatio alicuius ecclesiæ ad tuam institutionem spectat, & pro controuersia laicorum de iure patronatus inter se discrepantium ordinationes malitiose differuntur: fas tibi sit de auctoritate nostra, nullius contradictione & appellatione obstante, in eadem ecclesia personam idoneam instituere, ita quod ipsa eadem præsentetur ab eo, qui ius patronatus euicerit.

CAP. XIII. *Idem.*

Cum sæculum relinquitis, vt creatori vestro possitis in arce contemplationis placere, decet vos ab his quæ sunt obuia rationi, abstinere, & quæ reprehensioni subiaceant, aut vestram opinionem aut famam valeant denigrare. Inde est quod vniuersitati vestræ districtius per apostolica scripta prohibemus, ne cum ratione feudorum emptorum, aliterve acquisitorum, vel etiam alio modo ius patronatus in ecclesiis parochialibus acquisieritis, in eis presbyteros, nisi per episcopos, instituatis: nec episcopo ita ius parochiale minuere vel auferre aliquatenus præsumatis, excommunicatosque ipsius episcopi vel archidiaconorum suorum, contra authentica scripta Romanæ ecclesiæ, ad digna officia in capitulis vestris recipere non audeatis.

CAP. XIV. *Idem.*

Ius patronatus licito donari.

Ex insinuatione dilecti filii nostri O. clerici accepimus, quod cum frater suus ius ei patronatus, quod in quibusdam ecclesiis in Lincolnienſi & Saren. episcopatibus constitutis habeat, liberaliter contulisse: easdem ecclesias quidam presbyteri alii occasione fratris sui prædicti O. sine

ipsius voluntate & consensu, per violentiam occupauerunt, & eas iniuste occupatas detinent. Quia igitur nostrum interest, quæ nimis inordinate ab aliquibus super ecclesiis attentantur, ad rectitudinis tramitem reuocare: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, si ita sicut dictum est, cognoueris memoratos presbyteros earum ecclesiarum detentores, moneas, modisque omnibus inducas, vt easdem ecclesias prædicto clerico sine mora & difficultate restituant libere & pacifice ordinandas, & nullam ei exinde molestiam inferant vel grauamen. Quod si prædicti presbyteri commonitioni tuæ acquiescere forte noluerint, tu ipsos excommunicationi, & terras si quas habent, omni occasione & appellatione cessante, interdicto subiicias, & in memoratis ecclesiis diuina facias cessare officia, quamdiu ab aliquibus, prædictorum militum auctoritate, occupatæ detinebuntur; quod si nec sic earumdem ecclesiarum detentores resipuerint, ipsos, appellatione cessante, ecclesiastica censura compellas. Anno Christi 1179.

CAP. XV. *Idem.*

Consuluit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de clericis, qui ecclesias a parentibus constitutas, hereditario iure sibi vendicant, nec tibi volunt respondere: & de laicis, qui filiis vel nepotibus suis prædictas ecclesias dare nituntur. Cum autem sanctuarium Dei hereditario iure non possit teneri, & indignum sit penitus & absurdum, vt quilibet auctoritate propria ecclesias occupet, vel taliter occupatas detineat, nec te decet aliquatenus sustinere, vt in episcopatu tuo vel clerici ecclesias a parentibus fundatas, auctoritate propria detineant, aut laici filiis, vel aliquibus aliis ecclesias concedant.

CAP. XVI. *Idem VVintonienſi epiſcopo.*

Ad aures nostras peruenit, quod R. & Vu. de Hortun ius patronatus eiusdem loci ab eo, ad quem spectabat præsentatio, emerunt. Quibus decedentibus, R. filius Vu. iam dicti patris exemplo ius patronatus ecclesiæ emere non dubitauit, & canonicis de Stodleia tantas molestias intulit, persecutiones & grauamina, quod metu & dolo illius

ANNO CHRISTI 1179. seducti, iuri suo penitus renuntiauerunt. Vnde cum ius patronatus annexum sit spirituali, nemini licitum est vendere illud. Discretioni tuæ, &c. quatenus vtraque parte ante te conuocata, rei veritatem diligentius inquiras, & si ita esse inueneris, prædicto R. super patronatu ecclesiæ, occasione & appellatione remota, perpetuum silentium imponas, & prædictis canonicis ius quod ibi habebant, si prior eorum metu captus, quod idem R. se abscissurum fide * nititur, firmauit, eidem renuntiauit, integre facias restitui, non obstantibus literis nostris, si quæ sunt, tacita veritate, impetratæ.

Ius patronatus annexũ esse spirituali.

CAP. XVII. *Idem.*

De iure vero patronatus in præscripta ecclesia, hoc tuæ discretioni mandamus, quatenus si prædictus R. ius patronatus comparauit, cum hoc inconueniens sit & penitus inhonestum, vendi ius patronatus: contractum illum, sublato appellationis remedio, apostolica fretus auctoritate, non differas reuocare.

CAP. XVIII. *Idem.*

Nullus laicus decimas aut ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici iuris est, sine concessione sui pontificis, nec monasteriis, nec canonicis offerat: & si quis episcopus improbitatis causæ & auaritiæ consentire voluerit, Romano pontifici nuntietur, & quod offerendum est, tunc eis licentia offeratur.

CAP. XIX. *Idem Norvvicensi episcopo.*

Ceterum si episcopi post promotionem suam præsentationes personarum ad ecclesias a patronis ecclesiarum pro ecclesiis sibi commissis adepti fuerint, personæ idoneæ, quas ad eas vacantes præsentauerint, sunt admittendæ.

CAP. XX.

Idem abbati sancti Albani. Pars capituli: Inconsultum.

De cetero si quis clericus ab ordinario iudice in aliqua ecclesia fuerit institutus, ad præsentationem ipsius qui eiusdem ecclesiæ credebatur patronus, & postea ius patronatus alius euicerit in iudicio: clericus qui institutus

Cum certũ non esset, ipsum illicite occupasse patronatum; aliquo secus est.

est, non debet ab ipsa ecclesia remoueri, si tempore præsentationis suæ ille qui eum præsentauit, ius patronatus ecclesiæ possidebat. Si vero tunc non possidebat ius patronatus, sed tantummodo credebatur esse patronus, cum tamen non esset, nec possessionem patronatus haberet, secundum consuetudinem Anglicanam poterit ab eadem ecclesia remoueri. Donationes vero vel concessiones, si quæ fiant priuatis personis, illis viuentibus quæ ipsas ecclesias possident, nullius debent esse momenti. Si fiant religiosis locis, ratæ debent haberi, ita quidem quod personæ, quæ iam dictas ecclesias possident, sine assensu ipsorum in vita sua eis non debent spoliari.

Anno Christi 1179.

CAP. XXI. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Cum nos plerumque ordinationes clericorum oporteat differre, pro eo quod quandoque minus idoneæ personæ præsentantur, aut interdum inter nos & præsentatores personarum alia de causa radix dissensionis emerserit: prouidendum est, ne occasione huius scandali aut fructus ecclesiis depereant, aut eis in spiritualibus grauia proueniant detrimenta. Inde est quod fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si quando in illis ecclesiis vacantibus, in quibus persona ecclesiastica præsentationem non habet, vel quia personæ minus idoneæ vobis præsentantur, vel alia de causa de iure personas non poteris instituere in ecclesiis ipsis, contradictione & appellatione cessante, ponatis œconomos, qui debent reditus ecclesiarum percipere, & eos aut in vtilitatem ecclesiarum expendere, aut futuris personis fideliter obseruare.

Distinct. 75. Quoniam.

CAP. XXII. *Idem.*

Dilecti filii nostri decanus Eboracensis & prior de Neubure, quibus causam quæ inter canonicos de Giseburne & R. clericum super ecclesia de Cradun, vertitur, commisimus terminandam; transmissa nobis relatione monstrauerunt, quod canonici concessionem domini fundi habeant: R. vero donationem venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, & non domini fundi, se habuisse probauit. Vnde quoniam donatio ecclesiarum ad episcopos pertinet, & ad laicos assen-

sum

ANNO CHRISTI 1179. sum præbere spectat, eisdem significamus, quod si res ita se haberet, videbatur nobis, concessionem archiepiscopi donationi laicali debere præiudicare: quia sicut diximus, episcoporum est ecclesiarum beneficia conferre: laicorum vero, qui in ecclesia ius patronatus habent, assensum præbere. Quibus in concessionibus ecclesiarum illud obseruandum est, quod sancti patres seruare noscuntur.

CAP. XXIII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Suggestum est auribus nostris, quod cum ecclesiæ de *Ochon. *Ochera, & de Malessart, & de * Leinder, de assensu domini fundi, & auctoritate Eboracensis archiepiscopi, ecclesiæ beati Petri Eboracensi concessæ & assignatæ sint in præbendam, canonici de Nouoburgo concessionem illam attenuare & irritare nituntur, occasione donationis, quam sibi asserunt prius factam fuisse. Vnde quoniam licet in donationibus ecclesiarum requirendus sit & expectandus patronorum consensus, ecclesiæ tamen ipsæ, nisi auctoritas pontificalis interuenerit, canonice concedi non possunt: vniuersitati vestræ significamus, quod prior concessio, si cum consensu patroni & auctoritate diœcesani episcopi facta est, aut eius fuerit assensus postea subsecutus, posteriori concessioni præfertur. Alioquin illa debet præferri, quamuis posterius facta sit, quæ consensu domini fundi & episcopi auctoritate fulcitur.

CAP. XXIV.

Idem vniuersis monachis regularibus per Cantuariensem prouinciam constitutis.

Cum deceat nos commodis & profectibus ecclesiarum firmiter intendere, nobis summopere competere dignoscitur, vt earum ordinationibus tanto studiosius intendamus, & ne inordinatæ remaneant, vigilem curam, & solicitudinem adhibeamus: inde est quod vniuersitati vestræ, *&c.* vt in ecclesiis, in quibus præsentationem habetis, cum vacauerint, diœcesanis episcopis clericos idoneos præsentetis, qui illis de spiritualibus, vobis de temporalibus debeant respondere.

CAP. XXV. *Idem Panormitano episcopo.*

ANNO CHRISTI 1179.

Insinuatum est auribus nostris, quod quidam clerici tui episcopatus, ecclesias ipsas ad tuam ordinationem pertinentes, sine auctoritate & conscientia tua, in manibus aduocatorum resignant: quod quia indignum, & sacris Canonibus omnino contrarium, nec aliquatenus debet tolerari; fraternitati tuæ taliter respondemus, quod huiusmodi renuntiationes non debes aliquatenus ratas habere, nisi sint ab eisdem factæ, quos religionis habitum constat induisse: sed ipsos clericos, vt eleemosynas retineant, quibus tali modo renuntiant, teneris compellere, dignam eis pro tantæ leuitatis & culpæ reatu infligere vltionem: quia nec debent nec possunt ecclesias suas resignare, nisi in manibus episcoporum, ad quorum donationes pertinere noscuntur.

CAP. XXVI.

Clemens papa III. episcopo VVigornienſi, & abbati de Theokesbr. & priori ſancti ſepulcri de VVaruuic.

Referentibus nobis canonicis de Kinildevvrde, accepimus, quod cum controuersia quæ vertebatur inter ipsos & clericos de * Gnoshale, super ecclesia de Cule, fuisset dilectis filiis nostris de Cumbermere & de Derlee abbatibus, & archidiacono Couentrensi ab apostolica sede commissa canonice dirimenda, procurator R. militis de Stanford, qui ius habet defensionis in illa ecclesia, sentiens partem canonicorum iniuste grauari, cum ipsi clerici illam contra antiquam libertatem vellent iurisdictioni capellæ suæ de * Gnosale subiugare, vocem appellationis ad sedem apostolicam emisit. Iudices vero appellationi legitime interpositæ minime deferentes, in decisione controuersiæ, absente altera parte, processerunt. Quia vero ipsi canonici iuri suo in hoc queruntur plurimum derogari, discretioni vestræ per A. S. præcipiendo mandamus, quatenus partibus ad vestram præsentiam conuocatis, audiatis causam, & appellatione remota, mediante iustitia terminetis. Datum Laterani, 10. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

ANNO CHRISTI 1179.

DE VSVRIS.

PARS XVI.

CAP. I.

Alexander III. Panormitano archiepiscopo.

Super eo quod a nobis tua discretio postulauit, vtrum possit in recipienda pecunia ad vsuram, fieri dispensatio, vt pauperes qui in Sarracenorum captiuitate tenentur, per eamdem possint pecuniam liberari: præsentibus tibi literis duximus respondendum, quod cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam non vidimus admittendam, quia cum scriptura sacra prohibeat vel pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendum est, ne quis in redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur.

CAP. II.

Idem Ianuensi episcopo. Pars capituli; Tua fraternitas.

In ciuitate tua dicis sæpe contingere, quod quidam piper seu cyminum, aut alias merces comparant, quæ tunc vltra quinque libras non valent, & promittunt per publicum instrumentum, se illis a quibus merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licet autem contractus huiusmodi ex forma non possit censeri nomine vsurarum, nihilo minus tamen venditores peccatum incurrunt: nisi dubium sit, merces illas plus minusve tempore quo precium debent recipere, valituras: & ideo ciues tui saluti suæ bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

CAP. III. *Idem.*

Quoniam non solum viris ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est, vsurarum lucris intendere: auctoritate præsentium tibi duximus iniungendum, vt liceat tibi clericos tuos, qui de possessionibus vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem suam deductis expensis receperunt, ad eadem pignora restituenda sine vsurarum exactione, ecclesiastica districtione compellere.

CAP. IV. *Idem Vigilensi episcopo.*

ANNO CHRISTI 1179.

Debitores autem ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant, cogi non debent, nisi eas iuramento soluere teneantur. Si vero de ipsarum solutione iuramentum fecerint, cogendi sunt Domino reddere iuramentum, vt a creditoribus absoluantur: & cum vsuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas ecclesiastica, si necesse fuerit, cogendi sunt seueritate.

CAP. V. *Idem Salernitano episcopo.*

Cum sicut tu asseris, manifestos vsurarios, scilicet qui in illo decesserunt peccato, communione altaris & ecclesiastica, iuxta decretum nostrum nuper in Concilio promulgatum, præceperis sepultura priuandos, donec reddant quæ tam praue receperint: quidam eorum dicunt ad soluendas perceptas vsuras, proprias non sufficere facultates: alii vero promittunt se partes vsurarum quas habent præ manibus, reddituros: sed alias quas extorserunt vsuras, cum de his possessiones comparatæ sint, & eorum filiis vel parentibus traditæ, se non posse reddere profitentur. Alii vero ad excusandas excusationes in peccatis, impudenter affirmant, illas dumtaxat vsuras restituendas, quæ sunt post interdictum nostrum receptæ, nec aliquos ad soluendas vsuras, quas ante interdictum receperant, debere compelli. Super his discretioni tuæ respondemus, quod siue ante, siue post interdictum nostrum vsuras receperint, cogendi sunt sub pœna quam statuimus in Concilio, eas his, a quibus extorserint, vel eorum heredibus restituere: vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, vnde ipsas restituere possint, cum iuxta verbum beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus, de quibus vsuras valeant restituere, non debent pœna illa mulctari, cum eos nota paupertas excuset. Possessiones vero quæ de vsuris comparatæ sunt, vendi debent, & ipsa precia his a quibus vsuræ extortæ sunt, restitui, vt sic non solum a pœna ista, sed etiam a peccato, quod per vsurarum extorsiones incurrerunt, possint liberari.

Psal. 140.

Restitutio vsurarum.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. VI. *Idem Vuintonienſi epiſcopo.*

Super eo quod nos conſulere voluiſti, vtrum clericus ſit cogendus vſuras creditori ſoluere, prudentiæ tuæ taliter reſpondemus, quod cum periculoſum ſit omnibus Dei fidelibus vſuras recipere, ad earum ſolutionem nullus Chriſtianus eſt cogendus, niſi iuramento vel fide eas ſoluere teneatur: ſed potius creditores ab vſurarum exactione, eccleſiaſtica debent coerceri ſententia.

CAP. VII. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Ad noſtram noueris audientiam peruenisse, quod cum Petrus de Vrſiton tempore guerræ, quæ fuit inter cariſſimum filium noſtrum Henricum illuſtrem regem Anglorum & filios eius, quibuſdam hominibus pro tuitione regni Francorum, pecuniam certæ ſummæ permutaſſet, ab eis quaſdam poſſeſſiones & reditus recepit in pignus; ipſos etiam ſibi iuramenti religione adſtrinxit, quod ei ſuper poſſeſſionibus & reditibus illis, donec ſibi mutuatam ſoluerent pecuniam, nullam moleſtiam vel grauamen inferrent. Licet autem de poſſeſſionibus illis & reditibus præfatus Petrus nondum ſortem ſuam, ſicut aſſerit, deductis expenſis, receperit: quia tamen tu frater archiepiſcope propter hoc eum vinculo excommunicationis adſtrinxiſti, exinde cogimur literas noſtras vobis deſtinare, præſertim cum ipſe, ſicut aſſerit, ſorte velit eſſe contentus. Inde eſt quod fraternitati tuæ conſulenti, *&c.* quatenus percepta a præfato P. ſufficienti cautione, quod exinde mandato veſtro debeat parere, ipſum contradictione & appellatione ceſſante, a ſententia qua tenetur, auctoritate noſtra penitus abſoluas: & deinde debitores, qui ſibi prædictas poſſeſſiones & reditus contra iuramentum ſuum ſubtraxiſſe dicuntur, ſi ita eſt, eccleſiaſtica cenſura compellas, vt poſſeſſiones illas & reditus eidem Petro dicto appellatione ceſſante reſtituant: nec ſibi de cetero contra iuramentum moleſtias inferant, donec ei pecunia ſoluatur. Quia non eſt tutum cuilibet, ſed periculoſum potius, religionem infringere iuramenti. Cum autem prædicto P. pecuniam ſuam, ſicut iurauerunt, perſoluerint, vos ipſum ad reſtituendum quidquid eum nouis deductis expenſis vltra ſortem rece-

piſſe conſtiterit, ſtudioſe monere curetis & diligenter inducere: & ſi commonitus id non fecerit, ipſum remoto appellationis obſtaculo, in eamdem excommunicationis ſententiam reducas: quia ſicut periculoſum eſt debitoribus ſuum infringere iuramentum, ita non minus periculoſum eſt creditoribus retinere quod pro vſuris receperunt, cum ſit vſurarum crimen deteſtabile plurimum & horrendum, & vtriuſque teſtamenti pagina condemnatum. Anno Christi 1179.

CAP. VIII. *Idem Vuintonienſi epiſcopo.*

Nihilo minus præcepimus tibi præſentium auctoritate, vt ſi qui ſunt in parochia tua, qui ſortem ſuam * de fructibus arborum vel animalium, deductis expenſis, receperint, eos moneas & per excommunicationis ſententiam compellas, ſublato appellationis remedio, vt debitoribus ſuis pignora ipſa ſine difficultate & dilatione reſtituant. * de fructibus pignorum vel aliunde,

CAP. IX. *Idem in Turonenſi Concilio.*

16. Quæſt. 7. Demas 14. quæſt. 4. Ab illo.

Plures clericorum eorum, quia præſens ſæculum profeſſione vocis & habitu religionis reliquerunt, communes vſuras quaſi manifeſtius damnatas non excercent, commodata autem pecunia indigentibus, poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt, & fructus prouenientes recipiunt vltra ſortem. Idcirco generalis Concilii decreuit auctoritas, vt nullus amodo in clero conſtitutus, vel hoc, vel aliud vſuræ genus exercere præſumat: & ſi aliquis hactenus poſſeſſionem alicuius data pecunia ſub hac ſpecie in pignus acceperit, ſi ſortem deductis expenſis de fructibus iam perceperit, abſolute poſſeſſionem reſtituat debitori. Si autem aliquid minus habet eo recepto quod deeſt, poſſeſſionem ei reſignet. Si autem quis in clero extiterit, qui deteſtandis ſibi lucris vſurarum inſiſtat, eccleſiaſtici beneficii periculum patiatur: niſi forte beneficium eccleſiæ fuerit, quod redimendum ei de manu laicali videatur.

CAP. X. *Idem.*

Ex tranſmiſſa nobis conqueſtione T. & matris eius innotuit, quod pater eius qui eſt de hac luce ſubtractus, terram ſuam de * Dullis, monachis de VVardone pro qua- * Dullen,

ANNO CHRISTI 1179. dam pecuniæ ſumma, pignori obligauit: qui licet exinde ſortem ſuam & vltra receperint, eam tamen ſibi reddere contradicunt. Quia vero vſurarum crimen Deo & hominibus abominandum exiſtit, & tanto grauius in eccleſiaſticis & religioſis perſonis eſt reprehendendum, quanto magis ſe & alios e peccatorum laqueis tenentur eruere: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquiſita & cognita, ſi tibi conſtiterit quod prædicti monachi de præfata terra ſortem ſuam deductis expenſis receperint, eos attentius moneas, & ſi neceſſe fuerit, appellatione remota, eccleſiaſtica diſtrictione compellas, vt memorato * Teſaleyſi T. & matri eius prædictam terram abſque difficultate reſtituant pacifice poſſidendam.

DE IVRAMENTIS SERVANDIS. PARS XVII.

CAP. I. *Idem.*

SI vero aliquis quemquam grauiſſimo metu ſub religione iuramenti ius ſuum refutare coegerit, ipſum quoque ſibi retinuerit, quia nos conſulere voluiſti, alter, an neuter, id habere debeat, hoc tibi duximus reſpondendum, quod non eſt tutum, quemlibet contra iuramentum ſuum venire, niſi tale fuerit iuramentum, quod ſeruatum vergat in interitum ſalutis æternæ: nec nos cuilibet ex reſponſione noſtra volumus dare materiam contra iuramentum ſuum venire, ne auctores periurii eſſe videamur. Vnde aliquando in Romana eccleſia a pluribus & a prædeceſſoribus noſtris factum eſſe recolitur, quod clerici, qui coacti eccleſiæ miniſterium abiurauerunt, de iuramento abſolutionis beneficium meruerunt: & ad coercendam improbitatem eorum, qui eccleſiaſticos viros ad præſtandum illud iuramentum impulerant, permiſſi ſunt in eadem eccleſia miniſtrare.

CAP. II. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Inſinuatum eſt nobis ex parte Vu. quod cum ipſe capellam de N. canonice fuiſſet adeptus, canonici de Lanſtanet ſuper eadem eccleſia huiuſmodi conuentionem fecerunt, quia ipſi eamdem eccleſiam tenere a præfato Vu. & exinde ei annuum canonem deberent perſoluere. *Et infra:*

Sed quia compositio eorum huic fuit damnosa, de iuramento violato pœnitentiam recipiant, & prælibatam ecclesiam prædicto clerico restituant. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. III. *Idem Santonensi & * Bilonensi episcopis.*

De rescripto quod nobis est præsentatum, manifeste nobis innotuit, R. quondam * Treuorensem abbatem cum VV. super summa septem millium solidorum taliter conuenisse, *&c. Et infra:* Super hoc quidem prædictus abbas de monachis obsides quosdam dedit, qui de obseruanda conuentione iuramentum dederunt, vt si ipsi decesserint, alii monachi loco eorum in ostagio reuerterentur. Insuper si dicti monachi fidem non seruarent, abbas dedit eidem VV.I.& eius vxorem fideiussores: qui similiter fidem præstitisse dicuntur. Si ita est, tam abbatem & monachos qui iurauerunt, quam I. & eius vxorem studiose monere curetis; vt sicut iurauerint, eamdem coniurationem faciant adimpleri. Si vero commonitionem vestram facere neglexerint, eidem abbati & monachis ingressum ecclesiæ interdicatis, & in terra præfati I. & vxoris eius vsque ad dignam satisfactionem inhibeatis diuina officia celebrari.

CAP. IV. *Idem Norvvicensi episcopo.*

Tua nos fraternitas duxit consulendos, cui standum sit iuramento, cum clericos quidam religiosi iurisiurandi religione constringunt ad maiorem pensionem soluendam, vel præstandum aliquid nomine beneficii, præter solitam pensionem. Cum autem instituuntur ab episcopis, iurant quod antiquam pensionem & solitam non augebunt. Tuæ igitur consultationi breuiter respondemus, quod posterius iuramentum, quod ratione & Laterani Concilii auctoritate iuuatur, primo præiudicat, quod de cupiditate processit. Iustum est autem, vt clerici sic perplexi, pro periurio quod vitare non possunt, ab ecclesiis perpetuo excludantur.

CAP. V.

Idem Londonensi & VVigornensi episcopis.

Querelam R. clerici Lincolnensis ecclesiæ accepimus, quod

ANNO CHRISTI 1179. quod cum VV. Saluagius clericus ei duos Byzantios nomine ecclesiæ de Stantun, annis plurimis persoluisset, & se illos annuatim persoluturum interposito sacramento firmasset, contempta religione sacramenti, iam per biennium ab huius pensionis cessauit solutione: quoniam igitur non tenentur ecclesias regere, qui sunt crimine irretiti periurii; fraternitati vestræ, *&c.* quatenus partes ante præsentiam vestram conuocetis, & super his rei veritatem curetis diligenter inquirere: & si vobis constiterit, memoratum VV. contra iuramentum suum non necessitate, sed voluntate, a pensionis solutione cessasse, ipsum a præscripta ecclesia, auctoritate nostra, contradictione & appellatione cessante, remouere curetis: & ecclesiam ipsam præfato R. restituere minime differatis, & ipsum faciatis eam pacifice possidere.

CAP. VI. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Si Stephanum contra compositionem fidei interpositione firmatam venisse constiterit, nisi manifestam rationem poterit allegare, ipsum præfata ecclesia & beneficiis eius, appellatione cessante, non differas spoliare, & eam VV. cum integritate resignes.

* f. *Item*

CAP. VII. * *Idem ex regiſtro Gregorii.*

Peruenit ad nos, Laodicenum episcopum ab Arnulpho comite rebus suis spoliatum, & ad nequitiæ augmenta gladiis iurare compulsum, quod ablata nunquam repeteret, & huius tanti sceleris veniam sibi impetrasse rogat. Cognita itaque contumelia, valde doluimus, asserentes eius fraternitatem nullius iuramenti vinculis posse adstringi, quia nefandissima coactione iurauerat; eum tamen apostolica auctoritate absoluimus.

DE CLERICIS MATRIMONIO COPVLATIS, VEL ALIIS FORNICARIAS habentibus. PARS XVIII.

CAP. I. *Alexander III. Salernitano epiſcopo.*

CLERICOS autem in sacris ordinibus constitutos, qui in domibus suis propriis publice detinent concubinas,

ad eas abiurandas volumus a tua fraternitate compelli, ne in eamdem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeant, & insuper reatum periurii incurrant. Vnde ipsos per suspensionis & interdicti sententiam arctius cogere debes, vt mulieres ipsas ita a se remoueant, vt de ipsis siniſtra suspicio non habeatur. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. II.

Idem Cantuariensi archiepiscopo & eius suffraganeis.

Sicut ad extirpanda vitia, quæ periculum pariunt animarum, summopere nos decet intendere, ita etiam nos conuenit germina virtutum propagare, ex quibus Dei fidelibus salutis augmentum, & sacris ecclesiis decor proueniat honestatis. Vnde cum in Anglia praua & detestabili consuetudine & longo tempore fuerit obtentum, vt clerici in domibus suis fornicarias habere volentes, tam graue scandalum a populo remouere, & in prædictos clericos ad honestatem ecclesiasticam reducere, fraternitati vestræ, *&c.* quatenus clericos iurisdictionis vestræ, qui in subdiaconatu & supra in domibus suis fornicarias habent, studiose monere curetis, vt a se illas, occasione & appellatione cessante, remoueant, eas vlterius non admissuri. Si vero infra 40. dies post commonitionem vestram vobis in his forte acquiescere contempserint, eos auctoritate apostolica, appellatione remota, ab ecclesiasticis beneficiis vsque ad congruam satisfactionem suspendatis: & si eas suspensi detinere præsumpserint, ipsos ab eisdem beneficiis perpetuo remouere curetis. Si qui autem clericorum ipsorum infra subdiaconatum accipiant vxores, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica, si quæ habent, & retinendas vxores suas ecclesiastica districtione compellatis. Sed si forte in subdiaconatu & aliis superioribus ordinibus vxores accepisse noscuntur, eorum vxores dimittere, & pœnitentiam agere de commisso, auctoritate nostra per suspensionis & excommunicationis sententiam appellatione postposita, compellatis.

In subdiaconatu matrimonium soluendum.

CAP. III. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Vniuersalis solicitudo ecclesiæ, quam (prouidente Domino) gerimus pro ecclesiarum statu, nos compel-

ANNO CHRISTI 1179. lit propensiori cura satagere, & vt secundum Deum & iustitiam disponamus, vigilem diligentiam & studium adhibere. Accepimus autem, quod plerique in tuo episcopatu degentes, cum essent in acolytatus officio & infra constituti, vxores duxerint, & nihilo minus ecclesias, quas prius habebant, detinere præsumant. Vnde quoniam & vxorati diuisi sunt, eos cogitare oportet, quomodo vxoribus placere valeant & seruire, obsequiis solummodo diuinis non possunt intendere: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus prædictos viros ecclesias libere & absolute dimittere, appellatione cessante, compellas, & aliis eas personis idoneis, in sacris ordinibus constitutis, concedas. Verum si qui illorum aliquando in eisdem ecclesiis simplex prius beneficium habuerint, ipsum eis, excepto * magistro ecclesiarum, sub dissimulatione dimittere poteris.

*magisterio

CAP. IV.

Idem Hipponensi & Salernitano episcopis. Pars capituli; Continebatur.

Super eo quod asseris, quosdam viros tuæ iurisdictionis in sacris ordinibus constitutos, matrimonium contraxisse: hoc tuæ prudentiæ respondemus, quod si qui in diaconatu & supra matrimonium contraxerint, cogendi sunt vxores dimittere & continenter viuere, ita quod post actam pœnitentiam ex dispensatione possint in suis ordinibus ministrare. Si vero subdiaconi contraxerint matrimonium, eos dummodo ante * tale fuerint, quod timendum sit, ne pro vna pluribus abutantur, dissimulare poteris cum suis mulieribus remanere: quia tolerandum est malum, vt peiora vitentur.

*magisterio

CAP. V.

Idem Herefordensi episcopo. Pars capituli; Super eo quod quæsitum est.

Sane de clericis inferiorum ordinum, qui in coniugio constituti, diu ecclesiastica beneficia ex concessione prædecessorum nostrorum habuere, a quibus sine magno discrimine ac effusione sanguinis non possunt priuari, fraternitati tuæ id duximus respondendum, vt quia ibi natio & barbarica gens, & multitudo est in causa, eos sub dissimula-

Simplex beneficium clerico coniugato concedi cum dissimulatione.

tione sustineas ecclesiastica beneficia tam diu habita possidere, prouisurus attentius, ne deinceps clericis coniugatis ecclesiastica beneficia conferantur. Sed nec eorum aliqui ad sacros ordines vel ecclesiarum administrationes admittantur, nisi castitatem forte vouerint, & perpetuo seruent, & qui vnicam & virginem habuerint vxorem. ANNO CHRISTI 1179.

Quod indulsit in præteritũ; vetat in futurum.

CAP. VI. *Idem Vuigornienſi epiſcopo.*

Inter cetera solicitudini tuæ conuenit studiose diligenterque attendere, vt tales ecclesiis tuæ gubernationi commissis ministros ordines & proponas, qui domui Domini sciant decenter disponere, & populo Domini sciant præesse & prodesse. Peruenit autem ad audientiam nostram, quod quidam in tua diœcesi commorantur, qui se ecclesiasticæ professionis esse fingentes, cum tamen ecclesiastica beneficia habeant matrimonium contrahunt, & adepta beneficia nihilo minus obtinere contendunt. Alii autem, licet filii sacerdotum existant, patribus suis quasi iure hereditario succedunt: & in his postmodum constituti, minus licite promouentur. Quod quia indignum est, & sanctorum Canonum institutionibus noscitur penitus obuiare: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus illos qui infra subdiaconatum matrimonium contraxerunt, a suis vxoribus nulla ratione permittas diuertere: nisi de communi consensu illi ad religionem transire voluerint, & ibi in Dei seruitio iugiter commorari. Si autem cum vxoribus vixerint, ecclesiastica beneficia, quæ ad illos tantum, qui assidue in Dei seruitio persistunt, spectare noscuntur, non debent vllatenus obtinere. Illi vero qui in subdiaconatu & supra ad matrimonium conuolauerunt, possunt & debent mulieres inuitas & renitẽtes relinquere: nec huiusmodi coniunctio matrimonium, sed contubernium est potius nuncupandum.

Distinct. 34. Presbyteris. Dist. 17. Mulieris.

CAP. VII. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

De sacerdotibus publice fornicarias habentibus discretioni tuæ nihilo minus præcipiendo mandamus, vt eos diligenter conuenias, & attentius commoneas, vt fornicarias suas dimittant, & a se prorsus expellant. Quod si forte admonitionem tuam facere contempserint, sed in immunditia sua duxerint persistendum, tu eos, appellatione

ANNO CHRISTI 1179. remota, ab omni officio & beneficio ecclesiastico non differas spoliare.

CAP. VIII. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Si autem clerici tuæ iurisdictionis, siue sint in sacris ordinibus, siue in inferioribus constituti, fornicarias detinent, nisi eas ad secundam & tertiam commonitionem tuam a se dimiserint, eas contempturi, de cetero liceat tibi eos ecclesiis vel earum portionibus, si quas habent, appellatione postposita, spoliare, & ipsis diuina officia interdicere.

CAP. IX. *Idem Eboracenſi archiepiſcopo.*

Super eo quod asseris A. presbyterum fornicariam detinere, & eum ad crebram admonitionem tuam dimittere nolentem, ab officio suspensum, prudentiæ tuæ respondemus, quod si super hoc appellatum fuerit ad præsentiam nostram, si contigerit ipsum ad nos accedere, prout expedire viderimus, petitionem eius & audaciam corrigemus. Si vero non venerit ad præsentiam nostram, suspensionis sententiam in eum propter hoc latam, tam diu volumus obseruari, donec fornicariam suam a se abiiciat, & viuat (sicut decet presbyterum) continenter. Porro si literas a nobis obtinuerit, quæ facti seriem non contineant, nolumus ipsas sibi prodesse.

CAP. X. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Cum in Cantuariensi prouincia, vbi legationis officio fungeris, quod tibi commisimus, multi clerici sint, qui in domibus suis fornicarias habere dicuntur: satis graue est, quod in spurcitia vitiorum eorum eos permanere permittas, qui ad resecanda vitia & præparandas virtutes diligens omnino & solicitus esse deberes. Vnde fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si qui clerici prouinciæ tuæ concubinas vel fornicarias habent, eos constanter admoneas, & si opus fuerit, ecclesiastica districtione compellas, vt concubinas & fornicarias a se, dilatione & appellatione postposita, prorsus amoueant, eas vel alias nequaquam vlterius admissuri. Si qui autem eorum ita fuerint pertinaces, quod noluerint in

hac parte mandatis parere, ipsos ab ecclesiis quas habent, appellatione remota, non differas spoliare. Anno Christi 1179.

CAP. XI.

De cetero quia Stephanus clericus * Deuellentin. in archidiaconatu prædicti archiepiscopi adulteram in domo sua & commatrem dicitur detinere: si hoc publicum est & manifestum, ob tantum excessum, animaduersione debita nullius contradictione & appellatione obstante, corrigas. * de Vallentin.

CAP. XII. *Idem.*

Infamiam aboleri post actam pœnitentiam.

De diacono qui in sabbato sancto quemdam alium diaconum vulnerauit, & mulierem vxoris nomine susceperit, hoc prudentiæ tuæ duximus respondendum, quod si contrito & humiliato animo ad ecclesiam redire voluerit, dimissa illa quam in vxorem accepit, cum non possit (sicut nosti) contrahere matrimonium, ipsum recipere potes & absoluere a sententia excommunicationis, quam pro violenta manuum iniectione noscitur meruisse; & iniuncta sibi pœnitentia de vtroque excessu, post peractam pœnitentiam poteris ei diaconatus officium reddere, & etiam dispensatiue, si perfectæ vitæ & conuersionis fuerit, in presbyterum ordinare.

CAP. XIII. *Idem * Exonienſi epiſcopo.*

Malum dissimulari.

Significatum est nobis, quod quidam subdiaconi in tua diœcesi commorantes, matrimonium contrahere præsumpserunt, & sicut laici quilibet cum vxoribus commorantur. Vnde quoniam id, sicut tua non ignorat discretio, sacrorum Canonum obuiat institutis: fraternitati tuæ, &c. quatenus cuiusmodi vitæ subdiaconi ante contractum matrimonium extiterint, & quales futuri credantur, si vxores dimiserint, diligenter ac studiose inquiras: & si eos honestæ vitæ ante contractum matrimonium fuisse, aut dimissis illis quæ vxores eorum esse dicuntur, caste victuros credideris, tu ipsos mulieres a se dimittere moneas diligentius, & appellatione remota, districte compellas. Si autem antea dissolutæ vitæ fuerint, aut illis, quas tenent, dimissis, in deteriora lapsuri credantur, & plures pro vna frequentare: tu id dissimulare poteris, & pro grauiori lapsu

ANNO CHRISTI 1179. vitando, quod insimul maneant sustinere: ita tamen quod ad altaris ministerium non accedant, nec ecclesiastica beneficia percipiant. Verumtamen si tales * aliqui ecclesiæ personas gerunt, aut ecclesias, aut vxores prorsus dimittere sunt cogendi.

*f. nimis

CAP. XIV.

Idem decano & canonicis Lincolnienſibus vel Lemouicenſibus.

Cum institisset apud nos lator præsentium H. parochianus vester, vt de ordine subdiaconatus, ad quem recipiendum * minus enormiter & inordinate se ingesserat, cum eo misericorditer ageremus, ne potuisset, sicut nec debuerat, in parte proficere: tandem tamen a nobis licentiam postulauit, vt posset sibi aliquam in matrimonio copulare. Nos itaque studiosius attendentes, quomodo prædictus ordo cum nullam sibi dignitatem attulerit vel honorem, matrimonium eius non impedit, discretioni vestræ, *&c.* quatenus si matrimonium legitime duxerit contrahendum, nullus vestrum eum a contracto matrimonio prædicti ordinis obtentu prohibere præsumat, nec sibi propter hoc molestiam inferat vel grauamen.

CAP. XV. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Ex parte prioris & fratrum de VVellebec nobis innotuit, quod C. presbyter, qui habet vicariam in ecclesia ipsorum de Hortun, publice concubinam tenet, & sicut laicus quilibet tabernas frequentare non erubescit. Sed quia indecens & rationi contrarium est, vt ii qui altario seruiunt, feminarum amatores sint, cum eos sobrios & castos esse oporteat: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, si eum talem inueneris, qualis esse describitur, ipsum ab eadem ecclesia, occasione & appellatione cessante amoueas.

PARS XIX.

DE ORDINATIONE FILIORVM SACERDOTVM, ET EISDEM in eccleſiis paternis non tolerandis.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. I.

Idem VVigornienſi epiſcopo.

CONQVERENTE nobis Milone clerico, quod cum R. presbyter eccleſiam beatæ Mariæ de * VVicun, tanquam perſona diutius habuiſſet, & poſt mortem eius idem Milo a Richardo Paciford domino fundi tibi fuiſſet præſentatus, R. filius presbyteri in ſacerdotio genitus, inſtitutionem ipſius clerici viſus eſt impedire, & ad habendam eamdem eccleſiam modis omnibus, quibus poteſt, adſpirat. Quoniam igitur indignum eſt, & canonicæ obuiat ſanctioni, vt filii debeant patribus in eccleſiis ſuccedere: nos ad enormitatem iſtam eradicandam ſolicite volentes & diligenter intendere, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus ſi publicum eſt & notorium, patrem prædicti R. in præſcripta eccleſia perſonatum habuiſſe, filium eius ibidem miniſtrare, aut eiuſdem eccleſiæ perſonatum habere nullatenus patiaris. Sed ſi forte * aliqua cauſa inſtitutus eſt, ibi * alia eum, appellatione remota, auctoritate noſtra non differas amouere, & memoratum Milonem, ſicut fuerat ad ipſam eccleſiam præſentatus ab eo, ad quem præſentatio ſpectare dinoſcitur, ibi, dummodo alias idoneus ſit, contradictione & appellatione ceſſante, non poſtponas recipere, ipſumque facias prædictam eccleſiam quiete poſſidere.

CAP. II. *Idem Dunelmenſi epiſcopo.*

Quod ſuper his, de quibus dubitas, a nobis poſtulas edoceri, & ab animo tuo dubitationem auferri, ſolicitudinem tuam & diligentiam, ſicut dignum eſt, commendamus: & conſultationi tuæ libenter in eo quod poſſumus reſpondemus. Inde eſt quod a nobis deuotio tua poſtulauit, vtrum filii ſacerdotum, ſi idonei inuenti fuerint, ad ſacros ordines promoueri poſſint, vel eis cura animarum committi. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod filii ſacerdotum, niſi in monaſterio vel canonia regulari, ſi probatæ

ANNO CHRISTI 1179. probatæ vitæ fuerint & conuersationis habiti, ad diaconatum vel sacerdotium non debent admitti.

CAP. II. *Pars capituli; Ex insinuatione.*

Ad præsentiam nostram accedens R. presbyter, tacita veritate quod esset filius sacerdotis, per fraudem a nobis literas impetrauit, vt ecclesia de Bilesbi, in qua R. pater eius ministrauerat, capellanus existeret. Quia vero nulli fraus vel dolus patrocinium præstare debet, discretioni tuæ, *&c.* quatenus infra 40. dies post harum literarum susceptionem, rei veritatem diligenter inquiras: & si tibi constiterit, quod memoratus R. sit in sacerdotio genitus, & quod pater eius in eadem ecclesia ministrauerit, non obstantibus literis nostris, ipsum exinde, omni occasione & appellatione cessante, amoueas.

Fraus & dolus nulli debet esse bono.

CAP. IV. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Præsentium tibi auctoritate iubemus, vt filios sacerdotum in paternis ecclesiis ministrare, vel eas occasione aliqua obtinere nullatenus permittas, & ipsos ab ecclesiis in quibus patres eorum ministrare noscuntur, cessante omni appellationis obstaculo studeas penitus amouere.

CAP. V. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Veniens ad præsentiam nostram VV. presbyter lator præsentium, supplici nobis assertione proposuit, quod cum ipsum ad ecclesiam sancti Laurentii de Nouoburgo, quam ei concessisti & assignasti, articulasses, & ad eamdem in presbyterum ordinasses, ipsum postea præscripta ecclesia spoliasti, eo quod pater eius in præscripta ecclesia ministrauit. Quia vero ad nostrum spectat officium, viris ecclesiasticis paterna prouisione consulere, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si tibi innotuerit, quod pater eiusdem presbyteri in præscripta ecclesia ministrauerit, quando eum instituisti, ipsam eidem, dilatione & appellatione cessante, in pace dimittas, amoto alio si quem instituisti. Verum si te ignorante, quod pater eius in eadem ecclesia ministrauerat, ipsam ei assignasti, ex quo ad ecclesiam ipsam eum in presbyterum ordinasti, sibi restituas, donec in alia ecclesia ei prouideas, vnde honeste valeat sustentari, & sibi nullam super præscripta ecclesia molestiam vel grauamen inferas.

CAP. VI. *Idem B.*

Anno Christi 1173.

Propoſuit nobis præſentium lator R. quod cum ipſe ad eccleſiam de Salesbi a domino fundi fuiſſet præſentatus, tu cauſam animarum noluiſti ſibi committere, vel huic rei aſſenſum tuum præſtare, pro eo quod erat filius ſacerdotis. Super quo itaque diſcretionem tuam, ſicut dignum eſt, in Domino commendamus, & prouidentiam tuam gratam gerimus, accommodam & acceptam. Ceterum quia neceſſitatibus eius & laboribus, quos ad nos veniendo ſuſtinuit, in tanta mentis affectione compatimur: indignum eſt autem, vt poſtquam ipſe in ſubdiaconatum eſt ordinatus, omni debeat eccleſiaſtici beneficii ſuſceptione carere: diſcretionem tuam per A. S. monemus, vt aliquem honeſtum presbyterum cum aſſenſu eiuſdem presbyteri infra 46. dies poſt harum literarum ſuſceptionem, contradictione & appellatione ceſſante, inuenire ſtudeas, qui eidem eccleſiæ deſeruiat, ita quidem, quod præfatus R. medietatem omnium beneficiorum præſcriptæ eccleſiæ in ſuo ordine ſeruiendo diuino intuitu, quoad vixerit, noſtra & tua auctoritate pacifice debeat obtinere. Non enim ſolus presbyter Miſſarum ſolennia vel alia officia poteſt ſine miniſtri ſuffragio celebrare.

CAP. VII.

*Idem Sarenſi & * Exonienſi epiſcopis.*

Suggeſtum eſt nobis, quod cum I. dicatur filius ſacerdotis, *&c. Et infra:* Quia manifeſtum eſt & publicum, patrem prædicti I. perſonatum prædictæ eccleſiæ geſſiſſe: ipſum ab eadem eccleſia, ſi eam adeptus eſt, excludatis, nec ad eius gubernationem vlterius aſſumatur. Nolumus tamen vt propterea id in iudicium deducatur, vel teſtes ſuper hoc producantur, dummodo factum ipſum manifeſtum ſit.

CAP. VIII.

Idem Cantuarienſi archiepiſcopo, & VVigornienſi epiſcopo.

Ex tranſmiſſa nobis conqueſtione VV. clerici accepimus, quod ad dilecti fratris noſtri abbatis de Caſtin præſentationem, in quoddam beneficiū eccleſiæ de VVinton, ſibi canonice conceſſum, recipere diſtuliſti in præſenti, eo

ANNO CHRISTI 1179. quod quidam, qui pater eius dicebatur, in præfata ministrauit ecclesia. Præterea nobis ex parte eius insinuatur, quod memorato E. defuncto, media interceſſit persona, cui prædictum collatum est beneficium. Inde est quod fraternitati vestræ, *&c.* quatenus si prædicta constiterint, prænominatum VV. in possessionem ei collati beneficii *mittere non differas, omni occasione & appellatione cessante; nec ideo minus obseruare rescripta apostolica decet, quia hæc in ecclesia Dei hereditariam detestantur successionem, vt canonicam approbent in posterum possessionem. Porro si is *ex. *A. inter. non possint, alter nihilo minus exequatur.

*inducere

CAP. IX.

Idem VVigornienſi epiſcopo, & priori de Lucivvreden.

Constitutus in præsentia nostra G. clericus lator præsentium, supplici nobis insinuatione monstrauit, quod cum capellam de Streiton canonice fuisset adeptus, & eam pluribus annis pacifice tenuisset, R. miles ipsum præscripta ecclesia sine iudicio & iustitia spoliauit. Cumque memoratus clericus exinde episcopo querelam deposuisset, obiectum fuit ei quod pater eius in eadem ecclesia ministrauit, & præscriptam capellam non potuit rehabere. Quia vero ad nostrum spectat officium, insolentiam laicorum contra viros ecclesiasticos debita seueritate compescere: discretioni vestræ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, si vobis constiterit, quod idem clericus a præscripta ecclesia per manum laicalem fuerit eiectus, & quod pater eius præfatæ capellæ persona seu vicarius perpetuus non fuerit: licet in eadem nomine ipsius G. quandoque ministrauit, ipsam sibi cum reditibus inde perceptis, amoto alio, si quis eam detinuit, dilatione & appellatione & occasione cessante, restituatis, literis nostris, si quæ sunt impetratæ, veritati & iustitiæ non præiudicantibus, & ipsum sicut eam canonice adeptus fuit, faciatis pacifice possidere. Porro si *his ex. in n. po. . . . . alter, adhibitis sibi viris discretis & honestis, ea nihilo minus exequatur.

CAP. X.

Ex tua parte nobis propositum est, quod cum olim ad

consultationem tuam super filiis sacerdotum tales literas susceperis a nobis, vt eos possis in ecclesiis, quas patres eorum nullo mediante possederant, sustinere, quos * bonæ vitæ & sanæ conuersationis cognosceres, vel quos eas longo tempore tenuisse constaret: quidam ad iudices literas impetrauerunt, vt si constaret eos esse filios sacerdotum vel clericorum qui proxime ante eos ecclesias tenuerunt, super his imponant eis, appellatione cessante, silentium, & ecclesias istas eis assignent, quamuis in eis se ostendere nequeant per episcopum institutos. Super quo tibi respondemus, quod si per priores literas nostras cum aliquibus clericis dispensasti, dispensationem tuam posteriorum literarum nostrarum intuitu nolumus irritari, sed eam præcipimus seruari illibatam. Alios vero clericos laicæ donationis intuitu in ecclesiis, ipsis parochiali iure subiectis, sine auctoritate pontificis institui, aut institutos in eis remanere auctoritate apostolica prohibemus. Anno Christi 1179. * proba-ta

---

PARS XX.

DE IVDÆIS, ET NE CHRISTIANI MANCIPIA EORVM FIANT.

CAP. I.

SICVT Iudæis non debet esse licentia, vltra quam permissum est lege, synagogis suis præsumere, ita in eis quæ concessa sunt, nullum debent præiudicium sustinere. Hos ergo cum in sua magis velint duritia permanere, quam prophetarum verba arcana cognoscere, atque Christianæ fidei & salutis notitiam habere: quia tamen defensionem & auxilium nostrum postulant, ex Christianæ pietatis mansuetudine prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Callisti & Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, ipsorum petitiones admittimus, eisque protectionis nostræ clypeum indulgemus. Statuimus enim, vt nullus Christianus inuitos vel nolentes eos ad baptismum venire compellat: sed si eorum quilibet ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed inuitus cogno-

ANNO CHRISTI 1179. scitur peruenire. Nullus etiam Christianus eorum quemlibet sine iudicio potestatis terrenæ vulnerare vel occidere, vel suas eis pecunias auferre præsumat: aut bonas, quas hactenus in ea quam prius habitabant regione habuerunt, consuetudines immutare; præsertim in festiuitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos nullatenus perturbet: nec aliquis ab eis coacta seruitia exigat: nisi ea quæ ipsi præfato tempore facere consueuerunt. Ad hæc malorum hominum prauitati & nequitiæ obuiantes decernimus, vt nemo cœmeterium Iudæorum mutilare vel inuadere audeat, siue obtentu pecuniæ corpora humana effodere. Si quis autem huius decreti tenore agnito, quod absit, temere contraire præsumpserit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis sententia plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Dist. 45. Qui sincera.

CAP. II. *Idem.*

Licet vniuersis Dei fidelibus ex commissi nobis officii debita debeamus prouisione adesse, attentius tamen ecclesiasticos viros a prauorum molestiis malignantium vigili cura defendere, ad quorum regimen specialius sumus, licet insufficientibus meritis, prouidentia * deputati. Perlatum est autem ad audientiam nostram, quod Iudæi in ciuitate vestra commorantes, ad tantam superbiam & elationem peruenerunt, quod si quando inter eos & quemlibet clericum, siue inter vos & ipsos causa emerserit, vos ad sæcularem iudicem trahunt, & coram quocumque iudice vobiscum litigant per simplicem chartam absque testibus, vel per vnum qualemcumque Christianum siue Iudæum, contra omnem rationem * & iustitiam, sententiam suam probare intendunt, & aduersus eos magnorum & bonorum virorum non recipiunt testimonium. Quia vero quod non est licitum Christiano cuilibet, multo minus inimicis crucis Christi, vt scilicet viros ecclesiasticos ad sæcularem iudicem trahant, & causæ suæ, vnius tantum & non legitimo testimonio finem imponant: discretioni tuæ, *&c.* quatenus si inter vos & quoscumque Christianos siue Iudæos causa emerserit, pro nullius vocatione ad sæcularem curiam, vt ibi de negotio tractetis, aut iudicem sæcularem 12. quæst. 11. Religiosa.

* *f.* diuina deputati.

* & institutũ, causam suam

ibi accedere præsumatis. Sed sicut iustitia exigit, & æquitatis ratio postulat, in qualibet causa Christiani, & maxime clerici, ad minus duorum vel trium testium, qui sint probatæ vitæ & conuersationis, admittatis, iuxta illud dominicum: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Quia licet quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes, nulla tamen est quæ vnius tantum, quamuis legitimo, testimonio terminetur. Ad hæc præsentium auctoritate tibi significamus atque præcipimus, quatenus omnibus Christianis, qui sunt in vestra iurisdictione, penitus interdicatis: & si opus fuerit, ecclesiastica districtione prohibeatis, ne ipsi Iudæorum seruitio assidue pro aliqua mercede se exponant. Obstetricibus etiam & nutricibus Christianis omnibus prohibere curetis, ne infantes Iudæorum in domibus eorum nutrire præsumant: quia Iudæorum mores & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob frequentem conuersationem & assiduam familiaritatem, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem & perfidiam, simplicium animos inclinarent. Præterea parochianis vestris vsuram accipere omnibus modis interdicatis: quia vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestatur. Quod si monitis vestris parere contempserint, si clerici sunt, eos ab officio & beneficio suspensos, cum literis vestris rei veritatem continentibus, ad præsentiam nostram mittere non differatis. Si laici fuerint, vsque ad dignam satisfactionem vinculo excommunicationis eos adstringatis.

Matth. 18.

CAP. III. *Idem.*

Non sine multa admiratione auditur & creditur, quod Iudæi parochias ecclesiarum per prouinciam vestram, emptionis siue conductionis, aut etiam pignoris titulo, contemptu Dei & fidei Christianæ institutionis, detinent occupatas: & cum reditus eisdem ecclesiis non soluantur, hæ ecclesiæ penitus deperisse iam noscuntur. Quia igitur ad ea corrigenda quæ sunt diuinæ maiestati contraria, & a fidei Christianæ institutionibus aliena, promptos nos decet & diligentes existere: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si qui Iudæi sunt in prouincia vestra, qui tali modo parochias detineant, ipsos ad eas dimittendas, requisito prius & ha-

ANNO CHRISTI 1179. bito consensu carissimi in Christo filii nostri Henrici illustris Anglorum regis, arctius compellatis: aut si receptas detinuerint aut parochias amodo receperint, ipsos cum omni districtione cogatis, vt ecclesiis, quarum eædem parochiæ sunt, debitos & collectos reditus cum integritate persoluant, prohibentes omnibus Dei fidelibus sub interminatione anathematis, ne quis Iudæis hominia vel fidelitates faciat: quoniam contrarium est sacris Canonibus, vt Christiani debeant Iudæis adstringi. Si quis vero contra inhibitionem nostram venire præsumpserit, contradictione & appellatione cessante, in eos excommunicationis sententiam proferatis.

CAP. IV. *Idem.*

Ad hæc cum sacris Canonibus cautum sit, ne Iudæi Christiana mancipia habeant, præsentium tibi auctoritate præcipimus, quatenus sublato appellationis remedio anathematis interminatione iubeas publice, ne quis Christianorum alicuius Iudæi mancipium efficiatur. Si quis autem *f.* eum contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, * eos sublato appellationis remedio, ecclesiastica censura compellas.

DE MONACHIS ET MONIALIBVS SINE PROBATIONE SVSCEPTIS. Item in probatione positis, recedere volentibus. PARS XXI.

CAP. I.

AD audientiam nostram noueris peruenisse, quod eremitæ de monte Filiano quosdam pueros infra decimumquartum annum in tantum seduxerint, quod quidam illorum, suasionibus eorum assensum præbentes, ad ecclesiam illorum accesserunt. Quos cum statim religionis habitum induissent, vnus prædictorum puerorum T. nomine, statim pœnitens quod habitum ipsum suscepisset, id quod fecerat, suis parentibus intimauit: qui ad locum ipsum, mora postposita, accedentes, eum exinde extraxerunt: & cum stetisset ibi, nisi per vnam noctem prout accepimus, præfati eremitæ & quidam alii eum non per-

Dist. 28. De his.

mittunt quamdam puellam ducere in vxorem, quam ipse iurauit in vxorem accipere, ac (sicut dicitur) desponsauit. Quocirca discretioni tuæ, &c. quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, si tibi constiterit, quod præfatus T. ante consummationē decimi quarti anni habitum ipsum susceptum deposuerit, aut si post decimumquartum annum habitum ipsum sine probatione susceperit, & infra triduum deposuerit; eum ab impetitione prædictorum eremitarum vel aliorum in hac parte, occasione & excusatione & appellatione cessante, penitus absolutum, & eam quam iurauit accipere in vxorem, libere posse traducere, si alia rationabilis causa non impedit, denunties.

CAP. II. *Idem Herefordensi episcopo.*

Super eo quod quæsitum erat a nobis ex parte tua, vtrum sacerdotes qui religionis habitum susceperunt, & antequam essent vinculo professionis adstricti, ad priorem statum reuersi sunt, permittendi sint ecclesias & curam animarum habere: & an clerici, si monachicum habitum ante oblatum professionis libellum deferunt, ad sacros ordines promoueri, & ad gubernationem animarum possunt assumi: sanctitati tuæ taliter respondemus, quod si austeritatem religionis, ad quam * transisse noscuntur, seruare noluerint, ad minorem religionem transire cogendi sunt, nec amplius in ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum probentur venire. Verumtamen si ante susceptum habitum in probatione positi, recedere voluerint, secundum regulam beati Benedicti non videntur prohiberi ad priorem statum redire. Sed illa videtur præcipere, vt in eadem veste redeant in qua venerunt.

Accipe hæc de iis qui religionis votum nuncuparunt.

* migrasse

Nam in laicali veste probantur.

CAP. III.

Meminimus nos ex parte tua huiusmodi quæstionem audiuisse, scilicet vtrum illi qui se ad religionem coram episcopo deuouerunt transituros, & habitum religionis suscipiunt, si & postmodum vxores duxerint, cogendi sunt eas dimittere, & ad ecclesiam, cui se contulerant, redire. Super quo vtique * dicimus respondendo, quod si quispiam qui se religioni deuouit, & habitu suscepto professionem

* damus respondemus, quod

fecit,

ANNO CHRISTI 1179. fecit, postmodum sibi aliquam copulauit, est ab ea cogendus recedere. Verum si habitum non suscepit, nec professionem fecit, sed votum fecit, & se ad religionem transiturum promisit, licet postea matrimonium contraxerit, non est cogendus ad ecclesiam transire, & matrimonii vota rescindere. * Item ex Concilio Toletano, vt clerici qui se fingunt habitu & nomine monachos esse. *

DE SPOLIATIS RESTITVENDIS VEL NON. PARS XXII.

CAP. I.

Idem V Vigornienſi epiſcopo.

Spoliatum iuramento renuntiantem, restituendum.

SOLICITE cures & diligenter, quo tempore H. renuntiauit ecclesiæ: & si vobis constiterit, ipsum spoliatum esse cum eidem ecclesiæ renuntiauit: si hac vice tantum renuntiauit, aut pluribus vicibus renuntiauit præscriptæ ecclesiæ, dummodo spoliatus renuntiauit, contra eum testes alterius partis de iuramento & de renuntiatione spontanee facta, nullatenus admittas: quia non est verisimile, quod sponte iuri suo renuntiauerit, qui spoliatus renuntiauit. Sed testes H. qui pro se intendunt, quod violenter prædicta ecclesia fuit spoliatus, dummodo idonei sunt, minime differas accipere.

CAP. II. *Item decano Lincolnienſi & abbati de * Riuaus.*

Idiotæ, non discretæ personæ, peremptorias exceptiones reprobant.

Accepta conquestione P. clerici, quod violenter ecclesia de * Sprotebtur fuisset spoliatus, discretioni tuæ, si bene meminimus, dedimus in mandatis, vt si per officiales venerabilis patris nostri Eboracensis archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, ex concessione ipsius in eadem ecclesia introductus fuisset, & inde per violentiam exire coactus, eam sibi auctoritate nostra restitui faciatis. Quibus cognitis, responsum est, sicut nobis dicitur, ab aduersario ista omnia non debere proficere, eo quod spontanea voluntate præscriptam ecclesiam in præsentia præfati archiepiscopi abiurasset. Quia vero non scripsimus idiotis, sed discretis personis, & nitimur discernere quid ratio dictet: discretioni vestræ iniungimus præsentium auctoritate, vt rei veritatem diligenter & subtiliter inquiratis, &

si vobis constiterit, quod præfatus P. nullo metu vel vi coactus, sed spontanee prælibatam ecclesiam abiurauit, ei (omni contradictione & appellatione remota) super hoc perpetuum silentium imponatis. Anno Christi 1179.

CAP. III. *Idem.*

Fratres * Arcemarenes grauem ad nos contra abbatem suum transmisere querelam, dicentes eum bona illius monasterii dilapidasse, ipsumque inutilem & sortilegum esse. Nuntius vero abbatis in præsentia nostra constitutus, hæc omnia instantius denegabat, adiiciens præscriptum abbatem ab administratione absque rationabili causa destitutum. Ideo dilectioni vestræ, *&c.* quatenus ad locum in quo facilius possitis partes præsentes habere, & de causa cognoscere venientes, & quæ hinc & inde proposita fuerint, audientes diligentius, negotium ipsum, omni gratia & amore postposito, terminare curetis, ita quod si vobis constiterit prædictum abbatem irrationabiliter destitutum, ipsum restituatis. Si vero destitutus non est, & eum inueneritis destituendum, illum auctoritate nostra destituatis, indemnitati ecclesiæ, sicut melius noueritis expedire, consulentes. Verum si prædicti fratres ipsum canonice conuicerunt de obiectis, depositionis sententiam afferatis. Ceterum si præfati fratres, accusationis libello porrecto, in probatione defecerint, abbati canonica purgatione iniuncta, illos debita animaduersione puniatis.

24. Quæst. 1. Pudenda.

CAP. IV.

Idem V Vigornienſi epiſcopo & Helienſi archiepiſcopo.

Audita querela dilecti filii nostri T. clerici carissimi in Christo Scotorum regis, quod H. persona ecclesiæ de Sandeta, ipsum super ecclesia de Porten indebite molestauit *, quam liberam tunc & vacantem ad præsentationem eiusdem regis prædictus T. adeptus fuerat, licet idem H. sponte iurasse dicatur, quod super eadem ecclesia de Porten præfato T. nullam quæstionem moueret: venerabili fratri nostro Londonienſi episcopo & tibi fili archidiacone dedimus in mandatis, vt rei veritate diligenter inquisita, si vobis constaret, quod prædictus H. alterius ecclesiæ personatum haberet, vel iuramento spontanee

ANNO CHRISTI 1179. præstito firmauerit, se memorato T. super eadem ecclesia de cetero quæstionem non moturum: ei exinde perpetuum silentium, appellatione remota, imponatis, & ab eius impetitione eumdem T. absoluere minime differatis. Postmodum vero nuntius præfati H. ad præsentiam nostram accedens, constanti nobis assertione proposuit, quod per violentiam idem H. eadem ecclesia fuerit spoliatus: & ideo ad vos literas impetrauit, vt si constaret vobis veritate cognita, ipsum H. spoliatum esse cum eidem renuntiauit ecclesiæ, contra eum testes alterius partis de iuramento & de renuntiatione spontanee facta nullatenus reciperetis: sed testes potius ipsius H. quibus intendebat posse probare, quia violenter præfata ecclesia spoliatus fuerit, dummodo essent idonei, non differretis recipere, & secundum eorum depositiones & rationes & allegationes hinc inde productas, in causa ipsa, remoto appellationis obstaculo, quod iustum esset, iudicaretis: non obstantibus literis, si quæ aliæ ab alia parte impetratæ essent tacita forma quam expressimus in aliis literis super hoc impetratis. Addidimus insuper, quod si in causa ipsa aliquid esset mutatum, postquam nuntius præfati Henrici iter arripuit ad nostram præsentiam veniendi, totam causam ante ingressum principalis causæ, contradictione & appellatione cessante, in eum statum reduceretis, in quo fuisse dignoscitur, cum nuntius ipsius H. est iter ipsum aggressus: nisi forte idem H. cum altera parte spontanea voluntate posset super ipsa ecclesia conuenire. Nunc autem ex literis prædicti episcopi & tuis, fili archidiacone, nobis innotuit, quod vos priorum literarum tenorem secuti, partes debita solennitate citastis, & cum post plures citationes die tandem peremptorio constituto, de iam dicti H. contumacia legitima probatione vobis plenius constitisset, idonearum personarum testimonio cognoscentes sæpedictum H. alterius ecclesiæ personatum habere, & spontanea voluntate ecclesiam de Porten in facie ecclesiæ in perpetuum abiurasse, ei super eadem ecclesia perpetuum silentium imposuistis, & ab eius impetitione prænominatum T. penitus absoluistis. Licet autem nuntius eiusdem H. alias literas, sicut diximus, impetrauit, formam aliam continentes, & quod reuocari deberet, si quid im-

mutatum esset in causa, postquam idem nuntius iter arripuit ad nos veniendi: quia tamen non intelleximus, nec intelligere volumus, vt si quid per iudices delegatos factum esset, reuocaretur in irritum auctoritate nostrarum literarum; sed si quid præsumptione vel violentia immutatum est, *&c.* discretioni vestræ, *&c.* quatenus si ante receptionem literarum nostrarum, quas nuntius præfati H. super ipsa causa a vobis impetrauit, memoratus episcopus & tu, fili archidiacone, super iam dicta ecclesia sententiam protulistis, eamdem, contradictione & appellatione cessante, ratam habeatis & firmam: nec eam obtentu literarum posteriorum reuocare tentetis, ita quidem, quod si contra sententiam ipsam aliquid statuistis, id sublato appellationis remedio, & præfatum H. contra eamdem sententiam venire nullatenus permittatis, sed potius sententiam, contradictione & appellatione postposita, faciatis auctoritate nostra inuiolabiliter obseruari. Si vero post susceptionem sequentium literarum sententia lata fuerit, eadem sententia non obstante, in causa iuxta tenorem literarum ipsarum, appellatione postposita, procedatis, dummodo præfatus H. spoliatus fuerit, eadem sententia non obstante, & per violentiam spoliatus illud præstiterit sacramentum.

CAP. V.

Idem Lexouiensi episcopo. Pars capituli; In literis. supra de potestate iudicum.*

Quid si laicus a possessione ecclesiæ esset ejectus, quam ei nulla ratione possidere liceret?

Super illa quæstione, videlicet cum quis dicit se de possessione violenter esse eiectum, & aduersarius dicit eum non fuisse canonice institutum, huiusmodi tibi damus responsum: Prius de violenta eiectione, quam de canonica institutione agi debet: quia prædo etiam est secundum rigorem iuris restituendus.

CAP. VI. *Idem eidem in eadem.*

Item cum aliquis dicit se de possessione eiectum, vel aduersarium clam possessionem intrasse, & aduersarius ei crimen obiiciat, vt eum ratione criminis a sua intentione repellat: non occurrit nobis, quod illius abiectio debeat admitti, vel executio principalis causæ propter hoc retar-

ANNO CHRISTI 1179. dari, quoniam criminaliter aduersus eum agere non potest, cum ipsum constet eius inimicum existere.

CAP. VII. *Idem VVigornienſi episcopo.*

Abbas sancti * Eadmundi, a quo R. lator præsentium patrimonium suum tenere dignoscitur, milites suos & burgenses ad domum prædicti R. misit, qui eum a domo & vniuersa possessione sua expellerent, nisi ecclesiam suam penitus abiuraret. Quod cum idem R. tali modo coactus fecisset abbas, prædictam ecclesiam alii concessit. Vnde, quia quæ metu & vi facta fuerunt, de ratione iuris & ordine in irritum debent reuocari, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus prædicto R. si ita constiterit, omnia cum integritate restituas.

CAP. VIII.

Idem Cantuarienſi archiepiscopo, & VVigornienſi episcopo.

Præcipimus vt N. restitui faciatis ecclesiam, non obstante quantum ad restitutionem, si post eiectionem ei obiicitur, quod filius illius fuit personæ, qui in eadem ecclesia proximo ministrauit, vel quod ab eo annuam pensionem acceperit.

CAP. IX.

Idem VVigornienſi episcopo, & abbati de ſancto Albano.

Quia VV. qui violenter dicebatur ecclesiam de N. ingressus, defunctus est, vt accepimus, & Nigellus in eadem ecclesia intrusus, volumus & præcipimus, vt secundum formam literarum inter ipsum & Patricium iudicetur ratione mediante, sicut inter eumdem & præfatum VV. si viueret, iudicaretur.

DE IVRAMENTO CALVMNIÆ. PARS XXIII.

CAP. I.

Item Honorius II. omnibus episcopis orientalibus.

INHÆRENTES vestigiis prædecessorum nostrorum, dicentium grauiores per summum pontificem terminari debere quæstiones, nostrorum fratrum consilio diligen-

ter inquisito, huius causæ speciem irrefragabiliter Deo opitulante terminantes decidimus. Legibus itaque cautum esse comperimus, vt nullus clericus iurare præsumat: alibi vero reperitur scriptum, vt omnes principales personæ in primo litis exordio iusiurandum de calumnia subeant. Nonnullis legisperitis & aliis sapientibus venit in dubium, vtrum clericus iusiurandum præstare debeat, an alii personæ liceat hoc officium delegare. * Quia enim illud constitutionis edictum, vt clerici iurare prohibeantur, a Marco Augusto Constantino præfecto prætorio de Constantinopolitanis clericis constitutum promulgatum fuisset, idcirco ad alios pertinere non creditur. Vt ergo dubietas ista penitus auferatur ab omnibus secundum decisionem etiam filii nostri H. quondam imperatoris, anno sui imperii (vt accepimus) factam tertio: nos eius, inquam, interpretationem corroboramus, & D. Marci constitutionem ita interpretari debere decernimus, vt ad omnium ecclesiarum clericos generaliter pertinere iudicetur. Nam cum imperator Iustinianus decreuerit, vt Canones patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Canonibus reperiatur, vt iurare clerici omnino non audeant: dignum est vt totus clericalis ordo a præstando iuramento immunis esse procul dubio censeatur. Præterea statuti * principalis tenor penes nos talis esse dinoscitur. Nos itaque vtriusque legis diuinæ & humanæ intentione seruata decernimus, & imperiali auctoritate * irrefragabiliter diffinimus, vt non episcopus, non presbyter, non cuiuslibet ordinis clericus, non abbas, non monachus, non sanctimonialis, in quacumque causa, vel controuersia, siue criminali, siue ciuili, iusiurandum compellatur qualibet ratione subire: sed aliis defensoribus idoneis, si expedire ecclesiæ suæ nouerint, huiusmodi officium liceat delegare: verum cum hac moderatione, vt episcopus inconsulto Romano pontifice, vel quilibet clericus inconsulto prælato suo, minime iurare audeat. Omnibus autem episcopis, ac generaliter cunctis sacerdotibus, ac vniuerso clero ita custodiri debere mandamus, vt si quis in hanc constitutionem commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Non sumentes exemplum siue formam a nobis, quod aliter in causa fratrum &

Anno Christi 1179.

* Can.

* principalis

* irrefragabiliter

ANNO CHRISTI 1179. coepiſcoporum noſtrorum * Areanæ & Senonenſis eccleſiæ nuper fecimus, quoniam eorum voluntati & poſtulationi annuimus.

CAP. II.

*Item Eugenius tertius Cardioni Romanæ eccleſiæ ſubdiacono, & * magiſtro Omnibono.*

* *Magno*

Literas benignitatis tuæ benigne accepimus, in quibus vtrum in cauſa, quæ vertitur inter venerabilem fratrem noſtrum G. Bononienſem epiſcopum, & dilectum filium noſtrum Paduanum abbatem, ſub veſtro examine iuſiurandum de calumnia præſtari conueniat, requiſiſti. Sane Romana eccleſia, in quibus cauſis de decimis eccleſiarum & rebus ſpiritualibus tantum agitur, iuramentum calumniæ nec dare, nec recipere conſueuit. Et quidem huiuſmodi cauſæ non ex legum diſtrictione, ſed Canonum æquitate finem debitum ſortiuntur. Canones autem iuramentum calumniæ nulli prorſus indicunt. Vnde de iuramento calumniæ præſtando contentione dimiſſa, ad vlteriora fraternitas tua procedat.

CAP. III. *Idem.*

In pertractandis cauſis iuramentum de calumnia non paſſim exhiberi præcipimus, ſed cum fieri ſinimus, & cauſæ, & principalium perſonarum qualitate diligenter inſpecta, quandoque per principales perſonas, quandoque per œconomos ſibi indultos, qui cauſam omnino non neſciunt, in anima principalium perſonarum præſtari iubemus.

CAP. IV.

Idem R. Marabenſi & Anemenſi epiſcopis.

Imperatorum ſæcularium leges, & eccleſiaſticæ patrum conſtitutiones, viros religioſos in omnipotentis Dei ſeruitio protegunt & defendunt, & nullam eis moleſtiam, vel turbationem, quæ ſacro ordini contradicat, irrogari permittunt. Accepimus autem quod quidam cauſidici de terra veſtra, occaſione decidendarum litium, quæ aliquando ſolent emergere, ab abbate & fratribus Franciæuallis iuramentum de calumnia, ſicut ab aliis hominibus, exigebant: quod quidem inter fratres eiuſdem ordinis inuſi-

tatum est: & nos ad id faciendum eos cogere non possumus, nec debemus. Sed ne aliena iura alieni hac occasione videantur detinere illicite, & ipsi a causa sua decidant, si ex parte ipsorum prædictum iuramentum, si res ita postulauerit, non fuerit præstitum: eis præcipimus, vt in suo monasterio, sicut imperiales constitutiones consentiunt, œconomum statuant, qui pro eis petere & excipere, atque iuramentum de calumnia, cum necesse fuerit, valeat exhibere.

CAP. V.

Item Lucius tertius episcopo Helienſi & S. archidiacono Norvvicenſi.

Peruenit ad nos de transmissa nobis conquestione R. clerici de sancto Albano, quod cum ipse pro Ph. & pro Helia clericis de Lund. ad eorum instantiam pro altero illorum, Helia videlicet in sex, pro altero in septem marcis argenti fideiussisset mercatoribus Bononiæ, & ei vnus fide, sicut & alter iuramento promiserat: præscriptam pecuniam non soluentibus, coactus est prædictis creditoribus pro ipsis, sicut inter eos conuenerat, prædictam pecuniam exhibere. *Et infra*: Ceterum, quia nouis morbis noua conuenit antidota præparari, volumus & mandamus, vt ad veritatem eliciendam, appellatione remota, præstari faciatis ab vtraque parte iuramentum calumniæ.

CAP. VI. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Constitutus in præsentia nostra M. Stephanus sua nobis assertione monstrauit, quod Ma. P. de Bleis, cancellario tuo tempore Laterani Concilii ad preces ipsius in 15. marcas Sterlingorum legalium & communium interceſſerit. *Et infra:* Quia vero contra diuersa experimenta morborum, varia nos conuenit medicamina inuenire, præsentium tibi significatione iniungimus, vt si præfatus P. debitum, vel assertiones denegauerit, consuetudine, quæ legi contraria est, non obstante, sacramentum calumniæ subire cogatur.

DE

ANNO CHRISTI 1179.

DE EXCESSIBVS EPISCOPORVM CONTRA SVOS ARCHIDIACONOS, & archidiaconorum contra suos episcopos.

PARS XXIV.

CAP. I.

Item Alexander III. Londonienſi epiſcopo.

AD aures noſtras noueris peruenisse, quod quidam archidiaconi tui, te inconsulto, contra consuetudinem ecclesiæ sibi commissæ, personas in ecclesiis instituerunt, & sic in ecclesiis vel eorum portionibus nunc filios, nunc alias personas & vicarios instituere non verentur. Volentes itaque pro officii nostri debito in irritum deducere, quod contra iuris ordinem attentatur, auctoritate apostolica tibi duximus iniungendum, vt si iidem archidiaconi post prohibitionem tuam ipsis inde factam, instituerint sine mandato & auctoritate vestra aliquos in ecclesiis, in quibus patres eorum ministrasse noscuntur, aut personas alias: vel vicarios, cum id sit canonicæ sanctioni contrarium, liberum tibi sit, nullius contradictione, vel appellatione obstante, institutiones huiusmodi penitus irritare, & taliter institutos remouere ab eccleſiis.

CAP. II. *Idem Helienſi archidiacono.*

Cum satis sit absurdum, & a sanctorum patrum institutionibus alienum, vt archidiaconus auctoritate propria debeat cuilibet causam animarum committere: ægre nimis ferimus, quod tu sine mandato episcopi tui personis animarum curam committis. Quoniam igitur obtentu alicuius consuetudinis non debes sanctorum patrum institutiones transgredi, & quod ad tuum non spectat officium, vendicare: ideo mandamus, vt nemini de cetero sine mandato & licentia episcopi tui, curam animarum committere præsumas.

CAP. III. *Idem Exonienſi epiſcopo.*

AD aures noſtras peruenit, quod quidam archidiaconi tui se in ecclesias, quæ in suis archidiaconatibus vacant, au-

ctoritate propria non verentur intrudere, & sic ipsas ecclesias detinere non erubescunt. Nos attendentes absonum esse atque omni rationi contrarium præsumptionis excessum, nec volentes incorrectum relinqui: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si qui archidiaconi sint in episcopatu tuo, qui tali modo ecclesias occupatas detineant, ipsos ad eas dimittendas, omni occasione & appellatione cessante, ecclesiastica districtione compellas, & easdem ecclesias personis idoneis & honestis ordines, & præfatos archidiaconos pro tanta præsumptione, debita animaduersione punire cures. Anno Christi 1175.

CAP. IV. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Adhæc quoniam prædictus episcopus, sicut accepimus, plures ecclesias, & præcipue ecclesiam de Nortun, a consuetudine & obsequio archidiaconorum liberas constituit & immunes, & in hac parte reditus eorum diminuit & attenuauit: nihilo minus præsentium significatione iniungimus, vt si res ita se habet, factum episcopi hoc, appellatione remota, corrigas & emendes: & ita prouideas, vt præfato archidiacono G. consuetudines, quas presbyteri in ecclesiis sui archidiaconatus debent, plenarie conseruentur, & illi debitam reuerentiam exhibeant, & honorem.

CAP. V. *Idem Burdegalenſi archiepiſcopo.*

Præterea de archidiacono G. * qui in tua & in Tolosana ecclesia archidiaconus sit constitutus, * in vtraque ecclesia regulariter professus, collectis illis quæ in archidiaconatu tuæ ecclesiæ colligere potest, præter conscientiam tuam Tolosanam ecclesiam ingreditur, & ibi per annum vel eo amplius moratur: prudentiæ tuæ significamus, vt eum de cetero altero, quem maluerit, archidiaconatu, si res ita se habet, appellatione remota, facias esse contentum.

* *f.* qui eum in
* *f.* & in

ANNO CHRISTI 1179. QVIBVS, ET QVANDO, PARS XXV.
ET IN QVAM ÆTATEM CONFERATVR ecclesiasticum beneficium, & ad quem spectet ecclesiarum reparatio.

CAP. I.

Alexander III. Cantuariensi archiepiscopo.

EX ratione commissæ tibi dignitatis, & consideratione legationis ad vniuersas ecclesias, aciem tuæ solicitudinis debes extendere: & quæ enormiter seu contra iustitiam fiunt, pastorali cura corrigere & emendare: quatenus de commissis ouibus in patrisfamilias præsentia ratio- *Matth. 25.*
nem reddere valeas, & tibi pro labore & solicitudine merces copiosa cumuletur in cælis. Accepimus autem quod Couentrensis episcopus, non attendens quid sacrorum Canonum statuta decernant, nec modestiam pontificalem conseruans: pueris qui sunt infra decennium constituti, in archidiaconatu dilecti filii nostri R. archidiaconi Couentrensis, ecclesias plures concessit, quæ non per clericos, sed per laicos dispensantur & disponuntur. Vnde quoniam hoc ecclesiasticæ vnitati est inimicum & rationi contrarium, & non debet eatenus tolerari: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si res ita se habet, prædictum episcopum super his dura increpatione corrigas & castiges, & clericis seu ministris idoneis * custodiam præscriptarum ecclesiarum, donec prædicti pueri ad congruam perueniant ætatem, omni occasione & appellatione cessante, laicis amotis, committas: & eidem episcopo arctius prohibeas, ne de cetero ecclesias nisi personis quæ ætatem & scientiam habeant, regendas concedat. Quod si secus fecerit, ei debitam pœnitentiam infligas, & institutionem & concessionem ipsius, omnino viribus carere decernas.

* administrationem

CAP. II.

Idem Cantuariensi archiepiscopo, & eius suffraganeis.

Indecorum est admodum & absurdum, vt hi debeant ecclesias regere, qui semetipsos regere non nouerunt, cum ad regimen ecclesiarum tales personæ sint admittendæ,

quæ discretione præemineant, & morum fulgeant honestate. Nolentes itaque sustinere, vt ad preces vel ad instantiam aliquorum, sicut frequenter solet in vestris partibus fieri, paruulis regimen committatur ecclesiarum: fraternitati vestræ, *&c.* quatenus nemini infra 14. annum constituto, personatum alicuius ecclesiæ aliquorum gratia vel obtentu concedere præsumatis: scituri pro certo, quod si præcepto nostro in hac parte contraire præsumpseritis, quod inde feceritis, auctoritate Dei penitus irritabimus, & inobedientiam vestram grauiter puniemus. Anno Christi 1179.

CAP. III. *Idem decano & capitulo Sareſberienſi.*

Cum Hugo Bunet in nostra esset constitutus præsentia, *&c. Et infra:* Nos diligentius attendentes, quod pater suus, sicut vterque recognouit, eam habuerit prius, quia pernicioſum est exemplo, vt in eamdem quasi iure hereditario ei succederet: considerantes etiam, quod cum ei prębenda concedi debuit, illius ætatis erat, quod curam animarum gerere non potuit: memoratum episcopum, vos etiam & ecclesiam vestram ab ipsius impetitione absoluimus, & ei perpetuum exinde imponimus silentium.

CAP. IV. *Idem.*

A nobis tua discretio requisiuit, vtrum is cui ante 15. annum ætatis suæ nondum Concilio quod, nuper Laterani fecimus, celebrato, ecclesiæ magisterium concessum fuit, occasione decreti, quo in Concilio eodem clericis minoris ætatis conferri ecclesias prohibuimus, possit ecclesia spoliari, quam ante Concilium obtinuerat, præsertim cum ipsa concessio fuerit ab ipso diœcesano episcopo post Concilium approbata. Super quo consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi alia causa rationabiliter obstet, occasione minoris ætatis aut decreti, quod in Concilio promulgauimus; nolumus eum a percepto ante beneficio remoueri.

Distinct. 31. Ante triennium.

CAP. V. *Idem* Lexonienſi epiſcopo.*

Præterea licet aliquis ad personatum parochialis ecclesiæ non debeat, nisi subdiaconus ad minus, admitti vel recipi, dispensatiue tamen in minoribus ordinibus

ANNO CHRISTI 1179. constituti, consueuerunt admitti: dummodo tales sint, qui infra breue tempus subdiaconatum, vel diaconatum recipere possint.

DE DEPOSITIONE CLERICORVM, ET DISPOSITIONE CIRCA EOSDEM.

PARS XXVI.

CAP. I.

Ex literarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam longa ægritudine confectus, cepit consilium a sortilegis mulieribus, quod si sanari vellet, se permitteret iterum baptizari. Qui insano credens consilio, vt sanaretur, iniuriam fecit per iterationem sacramento. Adstitit autem huic sacrilegio adolescens bonæ, vt videtur, indolis acolytus, frater carnalis illius, in quo baptismus asseritur iteratus, & ministerium exhibuit in respondendo presbytero baptizanti, & cooperator extitit rei nefandæ. Quia ergo nos tua duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat vel purgari acolytus quem minor ætas & intentio fraternæ salutis corporeæ aliquantulum excusare videtur: dilectioni tuæ præsentibus literis respondemus, quod quamuis non multum videatur propterea plectendus, ad superiores tamen ordines promoueri, si publicum est quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, vt fauore illius religionis circa eum debeat dispensari. Si vero occultum est, promoueri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.

CAP. II.

Idem abbati & fratribus Trium fontium.

*fraternitas *f. qui

Consuluit nos tua * deuotio super quodam confratre vestro, * quod cum esset in sæculo, & quinque solidos pro ordinatione dedisset, statim postquam delicti quantitatem cognouit, pœnitentia ductus religioni se contulit. Nos igitur quæstioni vestræ satisfacere cupientes, vobis præsentibus literis significamus, quod ordine susceptо carere meruit, nec ad superiores promoueri potest. Verumtamen in ordinibus quos prius susceperit, Domino poterit deseruire.

CAP. III.

Anno Christi 1175.

Idem VVigornienſi & Norvvicenſi epiſcopis.

Dist. 19. In memoriam.

De ſacerdote qui literas noſtras falſauit, quas tibi miſſus diſcretioni veſtræ, *&c.* vt ſi inueniri poterit, omni officio ſacerdotis, & beneficio eccleſiaſtico perpetuo priuatum,

Dist. 50. Si quis epiſcopus.

in aliquod monaſterium diſtrictæ religionis detrudas: vt ibi tanti facinoris pœnas luens, ſe taliter defleat commiſiſſe, & alii per hoc a ſimilibus valeant deterreri. Quod ſi aliquos de conſimilibus comprehendere poteris, ipſos arctiſſimæ cuſtodiæ, ſublato appellationis remedio, retrudas, donec inde apoſtolicum ſuſceperitis mandatum.

CAP. IV.

Idem Salernitano archiepiſcopo. Pars capituli; Licet præter.

Confeſſionem coram ſæculari iudice factã, clerico non præiudicare.

At ſi clerici coram iudice ſæculari conuicti fuerint vel confeſſi de crimine, non propter hoc ab epiſcopo ſuo aliqua ſententia ſunt condemnandi. Sicut enim ſententia a non ſuo iudice lata non tenet, ita nec confeſſio coram ipſo facta. Si vero coram epiſcopo de crimine in iure ſunt confeſſi, ſeu legitima confeſſione conuicti, dummodo ſint talia crimina, propter quæ ſuſpendi debeant, vel deponi, non immerito ſunt a ſuis ordinibus deponendi, & ab

Circa clericos adulteros epiſcopum poſſe diſpenſare.

altaris miniſterio perpetuo remouendi. De adulteriis & aliis criminibus quæ minora ſunt, poteſt epiſcopus cum ſuis clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare, vt in ſuis ordinibus deſeruiant: ſed non debet quemlibet depoſitum pro ſuis exceſſibus iudici tradere ſæculari: quia ſuo functus eſt officio, non debet eum duplici contritione conterere.

CAP. V. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

Porro ſi clericus alicui ſponte duellum obtulerit, vel ſi oblatum ſuſceperit, & victus fuerit ſiue victor, de rigore iuris merito eſt deponendus. Sed quantumcumque eius grauis in hac parte & enormis ſit exceſſus, euadere poteſt depoſitionis ſententiam, ſi cum ipſo ſuus epiſcopus miſericorditer duxerit diſpenſandum: dummodo ex illo duello homicidium, vel diminutio membrorum non ſit ſubſecuta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. VI. *Idem eidem in eadem epistola.*

De presbytero autem Campaniæ, qui sponte duellum obtulit, & oblatum susceptit, & in eo partem digiti amisit, sicut olim, ita & nunc prudentiæ tuæ respondemus, quod cum ipse, sicut & nos vidimus, non perdidit tantum ex digito, quin ipse sine scandalo possit solennia celebrare: satis potes cum ipso post peractam pœnitentiam misericorditer agere, & permittere ipsum in suo ordine ministrare, licet eius excessus grauis sit.

CAP. VII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Presbyterum autem alium, qui quemdam puerum intuitu disciplinæ percussit in capite, & vulnerauit, cum post paucos dies exspirasset, sicut asseris, ab omni altaris ministerio debes perpetuo remouere, eumque ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur exspirasse. 24. Quæst. 4. Qui peccat.

CAP. VIII. *Idem.*

Quamuis sit graue nimis, & diuina dignum animaduersione habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est, de ecclesiasticis rebus vsurpent; maiorem tamen metuent formidinem ac dolorem, qui fomitem sui erroris in ipso clero dicuntur aliquoties inuenire, dum quosdam fratrum & coepiscoporum nostrorum, aliorumque prælatorum ecclesiæ decimas eis & ecclesiarum dispositiones indulgent, & in deuia mortis eos impellunt, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerant reuocandi, de quibus dixit Dominus per prophetam: *Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem prouocant animas eorum.* Vnde statuimus, vt si quis alicui laico in sæculo remanenti, ecclesiam vel decimas concesserit, a statu suo tamquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, ruinæ suæ iaceat dolore prostratus. *Osee 4.* *Luc. 13.*

CAP. IX. *Idem G. Liuonensi episcopo.*

Veniens ad nos P. lator præsentium, nobis exposuit, quod antiqui hostis suggerente versutia, furtiue diaconatus ordinem susceptit. Vnde tibi duximus respondens-

dum, quod si forte non fuerit a te, vel aliquo archidiaconorum vel prælatorum tuorum sub interminatione anathematis prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad officium sacerdotale, condigna satisfactione, nisi aliqua impediant, imposita, pro tuo arbitrio dispenses. Si vero interminatio anathematis super hoc facta est, commoneas eum, sicut nos fecimus, vt in aliquo monasterio seu canonia habitum suscipiat regularem: cui iuxta admonitionem tuam, ex quo in habitu illo fuerit aliquanto tempore laudabiliter conuersatus, poteris misericorditer prouidere: Alioquin nulla ratione concedimus eum ad sacerdotalem ordinem promoueri. Anno Christi 1175.

CAP. X. *Idem eidem.*

Clerici autem si qui a suis, aut etiam de mandato Romani pontificis, ab alienis episcopis interdicti vel excommunicati, ante absolutionem diuina officia celebrarint, nisi ad commonitionem * vestram sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant. *nostram

CAP. XI. *Idem Lucensi episcopo, & eius capitulo.*

Præsentium lator in quodam conflictu asserit se fuisse, pro parte tamen illorum qui violentiam repellebant, in quo lapides ipse proiecit, sed aliquem non percussit: quem nos, quia per alios illic aliqui dicuntur occisi, a celebratione Missarum præcipimus abstinere. Mandamus itaque vobis, vt si res ita se habuerit, & alia causa non impedit, decurso huius temporis spatio, ad sui eum executionem officii admittatis.

CAP. XII. *Idem * archiepiscopo * Cusentino.*

Continebatur in literis, quas tua nobis deuotio destinauit, quod diaconus præsentium lator, & quidam clerici qui rogati ad vineas ecclesiæ putandas perrexerint: & cum circa vesperas opere consummato redierint, leuandi laboris gratia quemdam ludum imitati sunt viatorum, proiicientes baculos suos in longinquum: studebant enim in directum iacere, & alter alterius fustem ferire. Huius autem ludi, sicut asserunt, talis conditio est, vt qui alterius bacu-

ANNO CHRISTI 1179. baculum percuteret, quasi victo eo cuius baculus percussus esset, vteretur pro equo. Sed præfati clerici equitandi licentia non vtentes, sola iactatione contenti sunt: vt dum ad baculos suos alacrius concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut prædictus diaconus asserit, dum baculum prædicti diaconi percussit, incaute in eum equitaturus insiliit, & sic a falce ipsius diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo exspirauit. Inde est quod commonemus fraternitatem tuam atque mandamus, quatenus eumdem diaconum sine licentia summi pontificis ad superiorem gradum ascendere, vel in diaconatus officio nullo vnquam tempore ministrare permittas, sed cum dispensatione in subdiaconatus officio ministrare patiaris.

CAP. XIII. *Idem* Exonienſi epiſcopo.*

Presbyterum etiam istum in homicidii crimine lapsum, annis duodecim graui pœnitentia afflictum, si ita est, tibi remittimus absolutum in Dei nomine, suoque restitutum sacerdotio, non tam considerantes spatium & mensuram temporis, quam pœnam doloris. Ne tamen cuilibet imprudenti videatur iniquum, eum sacris altaribus restitutum, discat hoc a sanctis patribus confirmatum. Vnde Callistus papa: Errant, qui putant, post dignam pœnitentiam, sacerdotem lapsum non posse reparari, & ministrare posse, si a malis abstineat. Pars capituli, Tanta est vis.

CAP. XIV. *Idem.*

Lator præsentium nobis viua voce proposuit, quod cum quadam die casu quodam cum clerico luderet, contigit quod ille proiecit illum ad terram, & cultellus quem ad latus habebat, in alterum incidit, & fortuito vulneratus occubuit. Eumdem igitur ad vos duximus remittendum, discretioni vestræ mandantes, quod rei veritate comperta, si ita res se habuit, & alia iusta causa non impedit, prædictum D. permittatis libere ad sacros ordines promoueri.

CAP. XV. *Item Eugenius papa primus Sarenſi epiſcopo.*

Presbyterum, cuius duos digitos cum medietate palmæ

a prædone abſciſſos eſſe ſignificaſti, Miſſam celebrare non permittimus: quia non ſecure propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter membri deformitatem id fieri poſſe confidimus. Ipſum autem ceteris officiis ſacerdotalibus fungi minime prohibemus. Anno Christi 1179.

CAP. XVI. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

Præterea clerici, qui relicto ordine ſuo & habitu, lapſi in apoſtaſia tamquam laici verſantur, ſi in criminibus deprehenſi teneantur, per cenſuram eccleſiaſticam non præcipimus liberari: tales enim inter apoſtatas numerandos, ſanctorum patrum ſtatuta declarant.

CAP. XVII. *Idem eidem in eadem epiſtola.*

Sacerdotibus autem & clericis tuis denunties publice, ne miniſtri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exiſtant. Quod ſi poſtmodum præſumpſerint, & occaſione ipſius adminiſtrationis, propter propriam cauſam a laicis capiantur, indignum eſt eis ab eccleſia ſubueniri, per quos conſtat in eccleſia ſcandalum generari.

CAP. XVIII. * *Idem Toloſano epiſcopo.*

* Idem Andrenſi epiſcopo. Parui momenti; Conſulta.

Requiſiuit a nobis fraternitas tua, vtrum clerici qui poſt renuntiationem factam, a prædeceſſore tuo ordines ſuſceperunt, in ipſis debeant remanere, an ad maiores debeant de iure Canonum promoueri. Nos igitur, quia de veritate nobis non conſtat, non poſſumus tibi ſuper hoc breuiter reſpondere. Nam diſtinguitur, vtrum renuntians, loco ſimul & dignitati renuntiet: nam vbi loco tantum renuntiat, ordines ſicut antea, niſi a ſummo pontifice, vel eius legato prohibitus fuerit, rogatus ab alio epiſcopo, poterit de ratione conferre. Cum autem loco pontificali ſimul cedit & ordini, ibi diſtinguendum putamus, vtrum ſacros contulerit, an minores. Si enim a tali ordines vſque ad ſubdiaconatum quis receperit, quia & huiuſmodi ordines quandoque a non epiſcopis conferuntur, & in illis deſeruire poterit, & ad maiores, ſi idoneus fuerit, ordinari. Sane ſi ab eodem, facta renuntiatione, ſacros ordines quis ſcienter receperit, quia indignum ſe fecit, executionem officii non habebit: vbi autem non ſcienter,

ANNO CHRISTI 1179. ibi poterit, nisi crassa & supina fuerit ignorantia, discretus pontifex dispensare.

CAP. XIX. *Idem Turonensi archiepiscopo.*

Consuluit nos tua fraternitas, vtrum liceat tibi spurios & seruos ordinare. Super quo tibi taliter respondemus, quod neque spurios, neque seruos ordinare debes. Et si memor esses, in consecratione tibi dictum est: Vide ne quemlibet seruilis conditionis ad ordines promouere præsumas.

CAP. XX. *Idem Cenomanensi episcopo.*

Tua nos duxit fraternitas consulendos, quid agendum sit de clericis, qui in remotis regionibus ordinati, literas eorum proponunt, a quibus sibi sit manus imposita, cum incertum sit, vtrum eorum sint sigilla, quæ præsentant. Tuæ ergo consultationi, præsentium significatione indulgemus, * tutum esse, vt in his statuta patrum veterum obseruentur, quam nouum quid statuatur. Statutum est enim de transmarinis, vt ad minus testimonio quinque episcoporum super ordinatione sua muniantur. Quod in aliis, qui similiter sunt incogniti, credimus obseruandum, ita tamen, vt in suspensione * aliquo tempore habeantur, in quo videntes plenius de ipsorum actibus instituantur. Sed de inferioribus ordinibus oportuit inquiri, quia posset contingere, vt aliquibus prætermissis saltum fecissent. His autem peractis, si digni inuenti fuerint, circa eos poterit dispensari.

f. tutius

* annuo

CAP. XXI.

De diacono vestro, qui in sancto sabbato quemdam alium diaconum vulnerauit, & mulierem vxoris nomine accepit, hoc tuæ prudentiæ duximus respondendum: quod si contrito & humiliato corde & animo ad ecclesiam redire voluerit, dimissa illa, quam in vxorem accepit, cum non possit, sicut nosti, matrimonium contrahere, ipsum debes recipere, & a sententia excommunicationis, quam pro violenta manuum iniectione noscitur incurrisse, * & iniuncta sibi pœnitentia de vtroque excessu, post peractam pœnitentiam poteris ei diaconatus officium redde-

f. absoluere, &

re, & etiam dispensatiue, si perfectæ vitæ & conuersationis fuerit in presbyterum ordinare. Subdiaconum autem, siue homines interfecit, siue non, non posse matrimonium contrahere, sacrorum Canonum censura demonstrat. Parochianos autem tuos, ad soluendas decimas ecclesiis, quibus debent, ecclesiastica debes seueritate compellere, quod cum decimæ non ab homine, sed ab ipso Deo sint institutæ, quasi debitum exigi possunt.

Exod. 22. *Leuit.* 27. *Num.* 18. *Deut.* 12. 14. 26.

Anno Christi 1179.

CAP. XXII.

Idem Lucius tertius Turonensi archiepiscopo.

Ad aures nostras te significante peruenit, quod religiosi quidam zelum Dei habentes, ad superiores desiderant ordines promoueri, putantes maius præmium cumulandum, quo in maiori gradu positi, sublimius officium fuerint executi: sed prælati eorum desideriis contradicunt; ideoque tua duxit fraternitas requirendum, an in inferioribus ordinibus constituti, iuxta beneplacitum prælatorum suorum, quibus promotio displicet, a superioribus debeant abstinere, an valeant, prælatis suis renitentibus, promoueri. Tuæ ergo quæstioni respondemus, quod honestius est & tutius, subiectos, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deseruire. quam in præpositorum scandalum, gradum appetere digniorem. Nec est in hac parte subiectorum desiderium confouendum: quoniam esse potest, vt prælati secreta eorum commissa nouerint, ex quibus constat eis, quod salua nequeunt conscientia sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine meritorum caritatis, acquiritur regnum Dei.

CAP. XXIII.

Item Alexander tertius Bathonienſi epiſcopo.

Subdiaconos * autem nullis, nisi Romano pontifici, licet in diebus dominicis ordinare, quamuis Deo dicatas virgines consecrandi, & minores ordines licentiam habeant conferendi. Sabbato quidem pentecostes non licet alicui sacros ordines celebrare, cum in sequenti septimana, recepta sancti Spiritus gratia, celebrentur.

* alias

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXIV. *Idem Herefordenſi epiſcopo.*

Parscap. ſupra de poteſtate iudicum. Intellexi-mus.

Sane ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti quibuſdam epiſcopis Scotiæ & * Galliæ, in dedicationibus altarium vel eccleſiarum extra ieiunia quatuor temporum, clericos ad ſacros ordines promouere; prudentiæ tuæ ſignificamus, quod conſuetudo illa, vtpote inſtitutioni eccleſiaſticæ inimica, & deteſtabilis eſt & penitus improbanda: & niſi multitudo & antiqua terræ conſuetudo eſſet in cauſa, taliter ordinati non deberent pro merito in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Nam apud nos ſic ordinati deponerentur: & ordinantes auctoritate ordinandi priuarentur.

CAP. XXV.

Idem eidem epiſcopo in eadem epiſtola.

De hoc autem quod quæſiſti, an liceat extra ieiunia quatuor temporum aliquos in oſtiarios, lectores, exorciſtas, vel acolytos promouere, aut etiam ſubdiaconos facere, prudentiæ tuæ taliter reſpondemus, quod licitum eſt epiſcopis, dominicis diebus, & aliis feſtiuis diebus, vnum aut duos ad minores ordines promouere. Sed ad ſubdiaconatum, niſi in quatuor temporibus, aut in ſabbato ſancto, & in ſabbato ante dominicam de paſſione, nulli epiſcoporum, præterquam Romano pontifici, licet aliquos ordinare.

CAP. XXVI. *Idem.*

Quia quidam clerici deſperantes ab epiſcopis ſuis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel natiuitatis conditionem, aut tituli defectum, aut minorem ætatem, extra prouinciam ſuam interdum in tranſmarinis partibus ordinantur, vel ordinatos ſe eſſe mentiuntur, ignota ſuis epiſcopis ſigilla deferentes: ſtatuimus talem ordinationem irritam eſſe habendam, ſub interminatione anathematis inhibentes, ne a quoquam epiſcopo ad ſui officii executionem admittantur. Epiſcopus vero noſtræ iuriſdictionis, qui talem ſciens ordinauerit vel ſuſceperit, ab illius ordinis executione ad quem eum ordinauerit vel ſuſceperit, vſque ad condignam ſatisfactionem ſe nouerit ſuſpenſum.

PARS XXVII.

NE CLERICVS VEL MONACHVS SÆCVLARIBVS SE NEGOTIIS IMMISCEAT: & de regula religiosorum.

Anno Christi 1179.

CAP. I.

Idem Cantuariensi archiepiscopo, & eius suffraganeis.

FRATERNITATI vestræ per apostolica* præcepta mandamus, quatenus vniuersis monachis vestræ iurisdictionis arctius inhibere curetis, ne villas & ecclesias ad firmam*, vel receptas detinere præsumant. Quod si præsumpserint, eos, auctoritate apostolica freti, sublato appellationis remedio, faciatis a præsumptione sua, ecclesiastica districtione cessare.

* præscripta

* videtur deesse, recipiat. 5. q. 1. Nulli.

CAP. II. *Idem in Concilio Turonensi.*

Non magnopere antiqui hostis inuidia infirma membra ecclesiæ præcipitare laborat. Hic manum mittit ad desiderabilia eius, electos quoque nititur supplantare, dicente scriptura: *Esca eius electi.* Multorum siquidem casum se operari reputat, vbi aliquod membrum ecclesiæ sua fuerit calliditate subtractum. Et inde nimirum est, quod in angelum lucis more solito se transfigurans, sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus, & ecclesiastica negotia fidelius pertractandi, regulares quosdam ad legendas leges, & confectiones physicas ponderandas, de suis claustris educit. Vnde ne sub occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus inuoluantur, & in interioribus ex eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus prouidere: de præsentis Concilii assensu statuimus, vt nullus omnino post votum religionis, post factam in loco aliquo religioso professionem, ad physicam legesve mundanas legendas permittatur exire: si vero exierit, & ad claustrum suum infra spatium duorum mensium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus euitetur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerit, audiatur. Reuersus autem in choro, capitulo, mensa & ceteris, vltimus fratrum existat: & (nisi forte ex misericordia apo-

Iob. 39. iuxta LXX.

2. *Cor.* 11.

ANNO CHRISTI 1179. stolicæ sedis) totius promotionis spem amittat. Episcopi vero, abbates, priores, tantæ enormitati consentientes, & non corrigentes, spolientur propriis honoribus, & ab ecclesiæ liminibus arceantur.

CAP. III. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Secundum instituta prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur, & ne monachi a clericis vel a laicis firmas habeant, vel laici ad firmam ecclesias teneant. Supra de religios.

CAP. IV. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Clericis, qui in sacris ordinibus sunt constituti, iudicium sanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore priuetur, & loco. Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis, aut præpositi sæcularis. Clerici etiam qui comam nutriunt, etiam inuiti ab archidiaconis suis tondeantur. Vestimentis autem & calceamentis, nisi quæ honestatem & religionem deceant, vti non liceat. Si quis autem contra venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat. Ex Tolet. Concil. Ex Conc. Rom. Clerici in sub.

CAP. V.

*Idem dilectis filiis G. priori & fratribus iuxta diſciplinam bonæ memoriæ * viuentibus.*

Ad petitionem vestram, regulam secundum quam viuere debeatis, & omnipotenti Deo seruire, duximus constituendam: In primis id statuentes, vt professionem maiori priori omnes laici faciant, in manu eius se absque proprio victuros promittentes, & continentiam, quantum permiserit diuina gratia, seruare. Cui quoque tam clerici quam laici, sicut proprio magistro & animarum suarum rectori, debitam in omnibus obedientiam promittant. Nec alicui inter vos professo liceat ad alium ordinem, absque prioris licentia, vllo modo transire, nisi forte ad religionem migrauerit arctiorem. Nullus, absque prioris licen-

tia hoſpitale audeat facere. Nullus proprium habeat. Si quid acquiſierit, rectori ſuo aſſignet. Nullus veſtrum alicui vobiſcum eſſe volenti * crucem tribuat, ſed per medium annum vel integrum vobiſcum in probatione permaneat. Et tunc maiori priori præſentetur, & ab ipſo, non ab alio, crucem accipiat. Anno Christi 1179.

Supra de coniugatis, & infra in eodem cap.

* addubitatur an quid ſimile.

* *Vxoratus & con. vt ſupra, de coniugatis. & infra.*

Nemo veſtrum alicui in capite coronam faciat. Si hoſpitale in aliquo loco abſque oratorio feceritis, liberum erit vobis, abſque conſcientia epiſcopi, in cuius parochia fuerit, ipſum conſtituere. Quod ſi oratorium ibidem ædificare volueritis, abſque licentia epiſcopi non faciatis, iuſtitia ſua in omnibus ſeruata. Si cum aliquo veſtrum, eo mortuo, pecunia inuenta fuerit, & in vita ſua non patefecerit, nec ad eccleſiam, nec ad hoſpitale ſepeliatur, ſed extra ciuitatem in campis deponatur.

1. q. 1. Nemo. 17. q. 2. Quidam.

CAP. VI.

Idem epiſcopis, archidiaconis, & aliis eccleſiarum præfectis, per Galliam conſtitutis.

Non eſt vobis dubium, vel incertum, quomodo fratres religioſi * Ciſtrenenſis ordinis ea religione præemineant & virtute, quod ex inſtitutione patrum & prædeceſſorum noſtrorum, hi qui in eorum monaſteriis profeſſionem faciunt, ſine licentia ſui abbatis prohibentur de clauſtro diſcedere, & diſcedentes, in aliis monaſteriis non recipi. Inde eſt, quod nos eamdem inſtitutionem non ſolum amicam religioni & rationi conſonam ſolicite conſeruare volentes, vniuerſitati veſtræ, *&c.* quatenus monachos vel conuerſos prædicti ordinis, poſt factam in monaſteriis profeſſionem, ſine licentia abbatum ſuorum per epiſcopatus veſtros recipi nullatenus permittatis, & ſi qui fuerint ex eis, qui ſine licentia abbatum ſuorum de monaſteriis, in quibus profeſſionem fecerunt, exire præſumpſerint, & commoniti ad ſua monaſteria celeriter non redierint, eos tamdiu, appellatione remota, cenſura eccleſiaſtica percellatis, donec ad monaſteria, vnde exierunt, regredi compellantur.

* ſ. Ciſtertienſis

Item

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. VII. *Idem Londonienſi epiſcopo.*

Relatum eſt auribus noſtris, quod monachi de Neſtun ſæculariter viuunt, & alios exemplo corrumpunt. Inde eſt quod auctoritate apoſtolica tibi indulgemus, vt eos ad obſeruationem monaſticæ regulæ, appellatione remota, compellas: aut ſi tibi reſtiterint temerario auſu, eis abiectis, fratres *Ciſtrenenſis ordinis in præſcriptum monaſterium inducas, vt labores impiorum iuſti edant, & illi inde rubore ſuffuſi, ad ſui ordinis obſeruantiam conuertantur.

*f. Ciſtertiēſis

DE PACTIONIBVS LICITIS ET ILLICITIS IN REBVS ecclesiasticis.

PARS XXVIII.

CAP. I.

*Idem Alexander tertius *Exonienſi epiſcopo.*

QVERELAM magiſtri Vu. recepimus, qui cum eccleſiam de Ferleia a G. perſona eiuſdem eccleſiæ ad annuum cenſum per ſeptennium tenendam ſuſcepiſſet, ipſe ſibi eam, antequam per vnius anni ſpatium tenuiſſet, auferre præſumpſerit: quamquam idem G. præſtita ſibi fide firmauerit, quod vſque ad terminum conſtitutum, nullam exinde moleſtiam vel grauamen ei inferret. Ideo tibi per A. S. mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit ita eſſe, appellatione remota, diſtricte compellas, vt præfatam eccleſiam prædicto Vu. reſtituat, & vſque ad terminum inter eos conſtitutum, ſecundum quod inter eos conuenit, eamdem permittat pacifice poſſidere.

Vſque ad certum terminum eccleſiam licite teneri ad cenſum annuum.

CAP. II. *Idem *Exonienſi & VVigornienſi epiſcopis.*

Cum iampridem Simon clericus procurator prioris & monachorum de Acra, & P. clericus, pro cauſa quæ inter eoſdem monachos & prædictum P. & fratrem eius, pro cuius parte ſe vicem gerere dicebat, ſuper eccleſia de Ha. & capella de I. vertebatur, ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, ita inter ſe, nobis tamen non mediantibus, conuenerunt, quod prædictus procurator prioris & monachorum,

eidem P. pro expensis, quas fecerat, quatuor marcas argenti ei persolueret, & idem P. liti cederet, & a monachorum penitus infestatione cessaret. Cumque compositionem ipsam ad nostram pertulissent audientiam, eamque confirmari auctoritate apostolica supplicarent, nos eam minime duximus admittendam, pro eo quod videbatur prauam speciem illicitæ pactionis continere. Monuimus autem prædictum P. vt ipse tam pro se, quam pro fratre suo, monachos in pace dimitteret, & eidem liti omnino renuntiaret. Ille ergo * monitis acquieuit, & eidem liti pro se & pro fratre suo penitus abrenuntians, authentica instrumenta, quæ super eadem ecclesia & capella habebat, in nostris manibus resignauit: & nos eum priori & monachis prædictis destinauimus, monentes atque mandantes, vt ex quo prædictus P. nostris super hoc monitis acquieuit, ipsi quoque benignis nostris precibus intenderent, & eidem P. & fratri eius aliquod studerent beneficium prouidere, de quo maius lucrum valerent apostolica intercessione percipere, quam eis deberet ex illa pactione illicita prouenire. Ceterum quia sæpedicti prior & fratres, sicut accepimus, nec monitis nec mandatis nostris acquiescere volunt: nos eorumdem clericorum laboribus paterna pietate compatientes, vobis per auctoritatem præsentium præcipimus, quatenus priorem & monachos moneatis, vt præfato P. & fratri eius decens & competens beneficium conferant & assignent. Quod si forte facere noluerint, vos cum exinde fueritis requisiti, si vobis constiterit prædictos clericos, prout ipsi asseuerant, a prænominata ecclesia de B. & capella de L. iniuste & absque ordine iudiciario, & laicorum violentia eiectos fuisse, ipsas eisdem restitui faciatis: non obstantibus literis nostræ confirmationis, quas prædicti prior & monachi a nobis impetrasse noscuntur.

Anno Christi 1175.

* monitus

CAP. III. *Idem.*

Statuimus, vt si super decimis inter vos & aliquam personam ecclesiasticam, assensu episcopi vel archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata perpetuis temporibus & inconcussa persistat.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. IV. *Idem Dunelmenſi epiſcopo.*

Accepimus quod quædam eccleſiæ clericis tali tenore ſunt conceſſæ, quod poſt eorum obitum alii nominatim ſuccedant: vnde quoniam hoc iniquum eſt, & ſacris Canonibus inimicum, & ideo non debet aliquatenus tolerari, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus huiuſmodi ſucceſſiones tam deteſtabiles & iniquas, contradictione & appellatione ceſſante, fieri prohibeas, & omnino friuolas & vanas eſſe decernas. Sup. ex Conc. Ro. Nulla.

CAP. V. *Idem Dunelmenſi epiſcopo.*

Contingit interdum, quod licet abbas vel prior alicuius conuentualis eccleſiæ, cum eccleſiaſtica vel ſæculari perſona ſuper his, de quibus inter eos controuerſia vertitur, coram delegato vel iudice ordinario tranſigat, literis capituli ſui de ratihabitione monſtratis, ipſum tamen capitulum eamdem tranſactionem nititur reuocare. Vnde quia ſuper hoc nos conſulere voluiſti, conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi abbas vel prior de capitulo ſuo literas de ratihabitione habuerit, tranſactionem quam fecit, præſertim ſi fuerit aliquot annis ſeruata, capitulum, ac ſi non conſenſerit in eam, non poterit aliquatenus reuocare. Super eo vero, quod clerici & religioſæ perſonæ, ſicut aſſeris, literarum intuitu quas habent a laicis, ſibi ius in eccleſiis vendicant, hoc tibi volumus innoteſcere, quod vbi epiſcopalis auctoritas non acceſſerit, per illos eccleſias ſuas poſſunt obtinere. Tranſactionem per abbatem vel priorem, cũ literis ratihabitionis conuentus factam, ratam haberi.

CAP. VI.

Idem abbati de Staforde, & priori de Eleſbi.

Conſtitutus in præſentia noſtra G. clericus, ſua nobis aſſertione monſtrauit, quod cum inter ipſum & A. clericum ſuper capella de Stancona controuerſia emerſiſſet, tandem per tranſactionem fuit ſopita: & licet tranſactio ipſa, fide hincinde præſtita, firmata fuiſſet, eam tamen præfatus A. ſeruare contradicit. Quia ergo huiuſmodi tranſactiones nonnunquam ſpeciem obtinent ſimoniæ, & non ſolum a malo, ſed a ſpecie mali, ſecundum Apoſtolum, nos conuenit abſtinere, diſcretioni veſtræ, *&c.* Sup. de poteſtate iudic. Si quã. 1. *Theſſ.* 5.

quatenus cum propter hoc requisiti fueritis, partes ante præsentiam vestram conuocetis: & reuocata transactione in irritum, causam diligenter audiatis, & fine canonico terminetis. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. VII. *Idem Rhemensi archiepiscopo.*

Querelam I. presbyteri latoris præsentium accepimus, quod nobilis vir comes de Dampetra decimas ad ecclesiam suam pertinentes, per ministeriales suos ei abstulit, & iniuste detinet occupatas. Vnde fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si præscriptæ decimæ ad ecclesiam quam retinet, pertinent, præfatum comitem & ministeriales suos ecclesiastica coercitione compellas, vt eidem presbytero ablatas decimas vel earum æstimationem absque diminutione restituant, vel exinde secum pacifice & amicabiliter componant.

CAP. VIII.

Item Cantuariensi archiepiscopo & eius suffraganeis.

Cum clerici vestræ iurisdictionis, sicut accepimus, decedentibus ecclesiarum personis, paciscantur ipsis ecclesiis maiores solito soluere pensiones, vt facilius easdem ecclesias possint adipisci: nos quidem ad tam detestabile vitium extirpandum, attentam volumus curam & solicitudinem adhibere. Inde est quod fraternitati vestræ, *&c.* quatenus omnibus clericis vestris, ne id attentare præsumant, publice sub districta pœna prohibeatis: & si qui contra prohibitionem vestram venire præsumpserint, appellatione remota, eos ecclesiis taliter adeptis quantocius spolietis, & aliter pro tantæ præsumptionis excessu seueritate ecclesiastica puniatis. Ad hæc, quia quidam sunt clerici, qui cum religiosis viris collusione facta, sine auctoritate diœcesani episcopi, ecclesias quas tenent, eis constituunt censuales, vt post decessum eorum, eædem ecclesiæ per præsentationem eorumdem religiosorum virorum, ad filios vel nepotes clericorum ipsorum possint transferri: præsentium auctoritate vobis præcipimus, vt si qui clericorum ipsorum inuenti fuerint facere talia, a præscriptis ecclesiis, appellatione remota, non differatis auctoritate apostolica remouere, ne de sua fraude vel dolo lucrum valeant reportare.

Duplici pœna puniendum.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. IX. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Pars capituli; Meminimus.

Præterea illi qui epiſcopo ignorante, auctoritate ſua penſionem annuatim de eccleſiis, colluſione facta, ſoluunt aut recipiunt eas, perſonis defunctis, vbi ab his qui per epiſcopum vel per miniſtrum tales eius auctoritate inſtituendi perſonas habentes ius recipiendi canonem receperint, in receptione penſionis non ſunt aliquatenus audiendi, præſertim ſi pontificalem, aut alterius qui de iure id facere potuerit, auctoritatem & aſſenſum non conſtiterit interueniſſe. Non enim ſimplices ſacerdotes vel clerici poſſunt eccleſias quibus præſunt, auctoritate propria poſt deceſſum ſuum cenſuales efficere.

CAP. X. *Idem Carnotenſi epiſcopo.*

Pars capituli; Nos in eminenti.

De cetero noueris, quod cum aliquis ad extraordinarium iudicem literis impetratis cum aduerſario ſuo forte componit, poſtmodum in eccleſia de qua agitur, ius aliquod habiturus, ſi compoſitio non eſt iuri contraria, non eſt ab loci epiſcopo hæc aliquatenus reprobanda: ſed cenſus abſque epiſcopali auctoritate & eccleſiæ cui præeſt, ſub hoc prætextu ſolutus, vitam eius qui ſoluerit, non excedit.

CAP. XI.

Idem Cantuarienſi archiepiſcopo, & eius ſuffraganeis.

Ex frequentibus querelis perſonarum ſatis manifeſte didicimus, in partibus veſtris conſuetudinem prauam admodum & enormem, & ſanctorum patrum conſtitutionibus omnimodo contrariam, a multis retro temporibus inualuiſſe, quod videlicet clerici cæca cupiditate ducti, eccleſias & eccleſiaſtica beneficia ſine aſſenſu diœceſani epiſcopi vel officialium ſuorum, qui hoc de iure facere poſſunt, recipiunt, minus quam deceat ſolicite cogitantes, quomodo id a ſanctorum patrum conſtitutionibus eſt alienum, & eccleſiaſticæ contrarium honeſtati. Vnde cum tu frater archiepiſcope ex officio tibi commiſſæ ſolicitudinis tam iniquam conſuetudinem de prouincia tua velis, ſicut debes, radicitus extirpare, tam in clericos illos qui eccle-

sias & ecclesiastica beneficia occupata scienter detinent, quam in ipsos qui ecclesias vel ecclesiastica beneficia taliter occupare præsumpserint, & sicut ex literis tuis intelleximus, excommunicationis sententiam protulisti. Nos itaque eamdem sententiam ratam & firmam habentes, eamque auctoritate apostolica confirmantes, per A. S. præcipiendo mandamus, quatenus episcopi singuli vestram sententiam in singulis episcopatibus suis saltem quater in anno innouantes, eam contradictione & appellatione cessante, faciatis inuiolabiliter obseruari: nec clericos ipsos, qui sententiam ipsam incurrunt, vel de cetero incurrent, si congrue non satisfecerint, & a præsumptione sua omnino destiterint, absoluere præsumatis. Anno Christi 1175.

CAP. XII. *Idem Norvvicensi episcopo.*

Audiuimus, in episcopatu tuo, & aliis episcopatibus Angliæ vsque adeo clericorum malitiam excreuisse, quod interdum collusione inter se facta super beneficiis quæ possident, se sustinent ab aliis molestari, & postea, vt quæstioni cedatur, & iidem clerici beneficia quiete possideant, quasi nomine transactionis soluunt aliis de ipsis beneficiis annuam pensionem, vt post mortem eorum in beneficiis illis, super quibus est inter eos clericos collusio facta, ius sibi valeant vendicare. Vnde quia quid tibi sit exinde faciendum nos consulere voluisti: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus si quos clericorum tuæ iurisdictionis collusionem huius fraudis legitime tibi constiterit commisisse, eos beneficiis, super quibus collusi fuerint, non differas appellatione cessante perpetuo spoliare: quia satis esset absurdum & indignum, si fraus & dolus, quem in præiudicium tuæ iurisdictionis, & aliorum committere nituntur, in eorum non redundaret incommodum & iacturam.

Dolum in agentis iacturam redundare.

CAP. XIII.

Item Lucius tertius B. VVigornensi episcopo.

Significauit nobis T. rector ecclesiæ de Dulting, quod a dilectis filiis nostris abbate & monachis Glastiriæ, ad regimen illius ecclesiæ electus, de soluendo annuo censu quatuor marcarum, quem prædecessor eius soluerat, corporaliter præstitit iuramentum: postmodum venerabilis

ANNO CHRISTI 1179. frater noster R. VVigornienſis epiſcopus, in cuius diœceſi ea ipſa conſiſtit, ne ipſe monachis cenſum ſolueret, niſi prius conſtaret quod epiſcopali auctoritate eſſet impoſitus, in periculum ordinis & ſub interminatione anathematis, interdixit. Vnde præfatus rector hinc reatum periurii metuit, inde timet periculum inobedientiæ imminere. Quocirca fraternitati tuæ, *&c.* quatenus partibus conuocatis, ſi præſcriptum canonem de auctoritate præſulis, non de nouo, impoſitum fuiſſe conſtiterit, præcipias epiſcopo auctoritate noſtra vt prohibitionem ſuam ſine dilatione relaxet. Si vero cenſus fuerit de nouo impoſitus, ſiue de epiſcopali auctoritate factum fuerit, ſiue non, abbatem & monachos vt clericum a præſtito iuramento abſoluant, appellatione remota, eccleſiaſtica diſtrictione compellas. Pati enim nolumus nec debemus, vt eccleſiæ noui cenſus exactione vexentur.

CAP. XIV.

Item Cantuarienſi archiepiſcopo & eius ſuffraganeis.

Ex crebris querimoniis clericorum, qui de partibus veſtris ad præſentiam noſtram accedunt, ſatis nobis euidenter innotuit, quod interdum decedentibus eccleſiarum perſonis, quandoque filii, quandoque alii abſque conſcientia & conſenſu epiſcopi diœceſani, ſe in prædictas eccleſias intrudere non verentur, & earumdem eccleſiarum claues accipiunt, & vt eccleſias, vel earum bona teneant occupata, in vocem appellationis prorumpunt. Quum igitur id iniquum ſit penitus & abſurdum, nos tantæ iniquitati, & enormitati, paſtorali volentes conſideratione occurrere, & radicem huius cupiditatis de clero penitus extirpare, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus ſi qui ſint, vel fuerint in partibus veſtris, qui tali modo ad eccleſias detinendas inhiare præſumunt, ipſos ad eaſdem eccleſias quantocius relinquendas, ſtudioſe monere curetis, & eccleſiaſtica diſtrictione compellere: ita quod ſi manifeſtum eſt, ipſos ita tenere, & præſumptuoſe eccleſias detinere, ſub obtentu appellationis, ſi quam interpoſuerint, non omittatis quin eos ad eccleſias eaſdem dimittendas, appellatione ceſſante, eccleſiaſtica cenſura compellatis.

CAP. XV. *Item Lucius tertius.*

Anno Christi 1179.

Quoniam ex plenitudine poteſtatis, *&c.* ſuper eo quod quæſiſti, vtrum ſuper eccleſiaſtico beneficio in litigium deducto, poſſit fieri tranſactio, tale damus reſponſum: ſicut iampridem, ſi bene meminimus, alii non abſimile quærenti dedimus reſponſum, quod ſecundum formam tranſactionibus adſcriptam, ſuper re ſacra litigioſa minime tranſigi poteſt. Res * ergo ſacra, vt poſſideatur aliquo dato, vel promiſſo, vel retento, ſpeciem habere non immerito credimus ſimoniæ. Alias autem gratis & amicabiliter inter ſe litigantes componere, ſacris Canonibus non ducimus obuiare.

Super re ſacra tranſigi non poteſt.

* enim

PARS XXIX.

DE ALIENATIONE RERVM ECCLESIÆ, ET DE EARVMDEM recuperatione.

CAP. I.

Alexander III. Exonienſi epiſcopo.*

EX præſentium latoris inſinuatione accepimus, quod Alexander quondam ſacerdos eccleſiæ dictæ Offetolon, calicem quemdam argenteum, & medietatem vnius breuiarii eiuſdem eccleſiæ pro ſua neceſſitate pignori obligauit, & ea, morte præuentus, minime recollegit. Vnde quia indignum eſt, vt eiuſdem eccleſiæ res ſuæ, & præſertim, quæ ſacris miniſteriis deputatæ ſunt, taliter debeant deperire, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus ſi verum eſt quod aſſeritur, filium eius V. qui ex ſucceſſione eius, ipſius patrimonii ius dicitur obtinere, moneas diligenter & compellas, vt res ipſas pignoratas recolligat, & eas eccleſiæ reſtauret: quod ſi facere noluerit, eum vinculo anathematis non differas coercere.

CAP. II.

Idem eidem. Pars capituli; Ad aures. ſupra de ſponſis.

De his qui parochiales tenent eccleſias, fraternitati tuæ taliter duximus reſpondendum, quod ad reparationem & inſtitutionem eccleſiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bo-

ANNO CHRISTI 1179. de bonis quæ ipsius sunt, conferre, si eis supersunt, vt eorum exemplo ceteri inuitentur.

CAP. III. *Idem.*

Ceterum si abbatem tuæ diœcesis donationem cum priore & quibusdam de conuentu suo facere contigerit, & pars conuentus postea reclamauerit, datæ rei quantitas & illius terræ consuetudo, quæ tamen sacris Canonibus manifeste non obuiet, est diligentius attendenda, & secundum hoc est donum ratum vel irritum iudicandum. Verum cum alicui ecclesiæ possessio quælibet, interposita conditione, donatur, non potest a donatore donum postea reuocari, nisi forte tali sit conditione collocata, quod ea cessante possessio reuocari debeat.

CAP. IV. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Illas vero terras, quæ de siluis extirpatæ, sunt arabiles factæ, eius hereditario iure sub annuo censu poteris concedere tenendas, a quibus ipsas suorum vel parentum suorum labore constiterit fuisse extirpatas, nisi forte aliis possint ad maiorem ecclesiæ vtilitatem cum eodem honore & labore conferri.

CAP. V. *Idem Panormitano archiepiſcopo.*

Quia tua nos duxit prudentia consulendos, vtrum clerici scholares de rebus mobilibus, aut immobilibus possint condere testamentum, consultationi tuæ respondemus, quod licet de his quæ paternæ successionis & cognationis intuitu aut de artificio sunt adepti, siue dono consanguineorum aut amicorum suorum, non habito respectu ad ecclesiam, perueniunt ad ipsos, libere disponere valeant, de his tamen quæ de consideratione ecclesiastica perceperunt, nullum de iure possunt facere testamentum.

CAP. VI. *Idem Salernitano epiſcopo.*

Ad hæc licet consuetudo illa non sit rationi consona, secundum quam clericus, si a Kalendis Martii vsque ad Kalendas Nouembris decesserit, totum fructum beneficii, quem deberet anno illo percipere, pro voluntate sua

Par cap. i. supra, de clericis matrimonio copulatis.

largitur: quia tamen in multis ecclesiis obseruatur, satis eam in archiepiscopatu tuo poteris tolerare, præsertim si clericus in decessu suo grauetur debitis. Et illud est omnino rationi contrarium, vt vnus clericus in vna vel in diuersis ecclesiis archidiaconatum & cantoriam vel decanatum obtineat, cum singula officia quæ sunt in ecclesiis, assiduitatem exigant * præstari. Anno Christi 1179. * præstari

CAP. VII. *Idem.*

Ecclesiam iure minorum seruari illæsam.

De possessionibus autem, laicis sub modico censu concessis, nouerit tua fraternitas, quod si læsa ecclesia est & manifestum appareat detrimentum ipsius, cum eius conditionem deteriorem facere non licuerit, & ecclesia iure minorum semper debeat illæsa conseruari, quæ in damnum ipsius constiterit, ad ipsius proprietatemque redire conuenit. Prouidendum est tamen, ne si forte colonus possessiones illas expensis ac suo labore fecerit meliores, sumptibus, quos bono animo fecerit, debeat defraudari.

CAP. VIII. *Idem Cenomanensi episcopo.*

Ad hoc præsentibus tibi literis innotescat, quod clerici de mobilibus quæ per ecclesias sunt adepti, de iure * restaurari non possunt, viuentes tamen & sui compotes moderate valent aliqua de bonis ipsis, non ratione * tementi, sed intuitu eleemosynæ * erogare, in ægritudine etiam constituti. * leg. restaurari * legamenti, * largiri,

CAP. IX.

Idem decano & capitulo Morianensi.

Ad hoc in apostolicæ sedis specula sumus, licet immeriti, Domino disponente, constituti, vt aciem nostræ considerationis ad vniuersas ecclesias extendamus, & earum commodis & profectibus omnino intendamus. Peruenit autem ad audientiam nostram ex parte venerabilis fratris episcopi vestri, quod ipse pro ecclesiæ vestræ necessitatibus magno sit onere debitorum prægrauatus. Vnde quasi vir prouidus & discretus nos obnixe rogauit, vt vos pro eis reddendis solicitos redderemus. Quia vero decet vos pro vtilitate ecclesiæ & incremento, diligentes &

ANNO CHRISTI 1179. vigiles existere, dignitati vestræ mandamus, quod si contigerit eumdem episcopum ante solutionem debitorum, quæ pro vtilitate & necessitate ecclesiæ sibi commissæ contraxerit, ex hac luce migrare, de reditibus qui spectant ad mensam eius, donec alius loco eius substituatur, eadem debita soluere studeatis. Quo substituto, episcopum ad eorumdem debitorum solutionem omnino adducetis, & sicut filius debita patris, ita prælatus sui prædecessoris pro necessitate ecclesiæ contracta tenetur persoluere.

VNI PLVRA BENEFICIA ECCLESIASTICA NON COMMITTENDA, nec vnum inter plures diuidendum: & de in beneficio sibi assignato non residentibus. PARS XXX.

CAP. I.

Alexander III. Eboracensi archiepiscopo.

RELATVM est auribus nostris, quod Nicolaus archidiaconus de Bedis, canonicus * Beuianensis ecclesiæ, ita integre & plenarie canonicam iam dictæ ecclesiæ requirit præbendam, sicut & illi qui die noctuque satagunt eidem ecclesiæ deseruire. Super hoc etiam literas nostras se habere proponit. Quia vero hoc indignum & absurdum est, nisi de consuetudine præscriptæ ecclesiæ, hoc possit inquirere: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus eumdem archidiaconum diligenter commoneas, quod occasione literarum nostrarum communia ecclesiæ prælibatæ nulla ratione contra consuetudinem & institutionem ipsius ecclesiæ requirere audeat, nisi eidem ecclesiæ in propria persona assidue vel per medietatem vnius anni voluerit deseruire.

CAP. II. *Idem Londonienſi episcopo.*

Cum teneamur ex debito susceptæ regiminis prouisioni clericorum intendere tibi & aliis ecclesiasticis prælatis, pro eis scripta nostra dirigimus, & interdum etiam super illorum prouisione, qui aliquod beneficium sufficiens habere noscuntur, dum etiam aliquando ignoramus eos habere aliquod beneficium, pro quibus tibi & aliis ecclesiarum prælatis scribimus, si preces & mandatum nostrum

recepisti pro aliquo, vel aliquando recipies, qui aliud beneficium habet, de quo valet commode sustentari, nisi forte in literis ipsis de alio beneficio quod habet, mentio habeatur: aut si nunc non potes ei sine scandalo prouidere, æquanimiter sustinebimus, si pro eo preces & mandatum nostrum non duxeris exequendum. Anno Christi 1179.

CAP. III. *Idem.*

Deferente I. Nob. presbytero, latore præsentium, accepimus, quod cum duas ecclesias haberet, archidiaconus tuus ipsum altera illarum spoliauit, & eam cuidam presbytero N. nomine assignauit. Prædictus autem I. sentiens se in hac parte grauari, ad venerabilem fratrem nostrum *Treuerensem archiepiscopum appellauit. Cumque idem I. de mandato eiusdem archiepiscopi in præscriptam ecclesiam fuisset restitutus, memoratus G. ad audientiam nostram appellauit. Postea vero præditus archiepiscopus eumdem Leo, quod ad præsentiam suam vocatus, vt alteram de prædictis ecclesiis prænominato G. concederet, venire contempsit, vinculo excommunicationis adstrinxit. Nos autem a sententia qua tenebatur, facientes eum absolui, eumdem duximus tibi remittendum. Quo circa mandamus, quatenus partibus ante præsentiam tuam conuocatis, præscripto I. vna de præscriptis ecclesiis, quam voluerit, cum pertinentiis suis relicta, alteram præfato G. si ecclesiam non habet, non differas assignare. Si vero aliam habet ecclesiam, alteri personæ idoneæ, beneficio ecclesiastico carenti, incunctanter assignes. *Remensem

CAP. IV. *Idem in Concilio Turonensi.*

Maioribus in ecclesia beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, vt minorum clericorum præbendæ patiantur sectionem. Idcirco vt sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis ecclesia firmam habeat vnitatem, diuisionem præbendarum, vt dignitatum permutationem, fieri prohibemus.

CAP. V. *Idem Norwicensi episcopo.*

23. Quæst. 3. Diaconi. AD audientiam nostram peruenit, quod H. presbyter monachos de Rameseia, & clericum suum T. petendo

ANNO CHRISTI 1179. vicariam ecclesiæ de Buruuelle, a qua 29. annis retrocessit, in diuersis postea ecclesiis personatum adeptus, multipliciter vexare ac fatigare præsumit. Quia igitur non est canonicum, vt qui curam animarum in diuersis habet ecclesiis, fiat vicarius in alienis, discretioni tuæ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquisita, si ita esse noueris, prædictum presbyterum a petitione prædictæ vicariæ desistere, appellatione & occasione remota, districtius compellatis: non obstantibus literis, si quas tacita veritate per nuntium aliquem a nobis impetrauit: extirpari enim debent, quæ de auaritiæ radice procedunt, & Canonum sunt contraria sanctioni.

CAP. VI. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Fraternitati tuæ duximus respondendum, vt si clerici qui in ecclesiis tuæ iurisdictionis beneficia sunt adepti, ad aliam diœcesin absque tua conscientia & assensu morandi causa transierint, beneficiis quæ a te habuerint, liceat tibi eos spoliare, nisi forte disciplinis scholasticis inuigilauerint, aut causam rationabilem tibi ostenderint, quare reuerti non debeant. Præterea clericos alterius diœcesis absque literis commendatitiis episcopi sui, nisi pro eis preces aut mandata sedis apostolicæ receperis, non teneris nec etiam debes recipere.

CAP. VII. *Idem G.* Nincolnensi electo.*

**f.* Lincolniensi

De multa liberalitate credimus proueniſſe, quod dilectus filius noster S. archidiaconus de Norhantuna, præbendam, quam habebat in ecclesia tibi commissa, libere tibi concessit, vt eam dilecto filio G. nepoti vestro conferres. *Et infra:* Quoniam igitur nulla ratione sustinere possumus, vt memoratus archidiaconus dispendium patiatur, vnde gratiam tuam & nostram meruit obtinere, vbi ius præbendæ suæ cesserit G. vt vestram possit perficere voluntatem: fraternitati tuæ, *&c. vt supra:* Cum rationi & ecclesiasticæ institutioni contrarium sit, vt archidiaconus præbenda careat in ecclesia, cui noscitur in archidiaconatus officio deseruire, non honestum sit tibi, promissionem tuam tam honestam reuocare.

CAP. VIII. *Idem Burdegalensi archiepiscopo.*

Pars cap. supra de spon. Consuluit.

Præterea de G. archidiacono, qui cum in tua & Tolosana ecclesia archidiaconus sit constitutus, & in vtraque professus regulariter, collectis illis quæ in archidiaconatu tuo potest colligere, præter conscientiam tuam & licentiam, Tolosam regreditur, & ibi per annum vel amplius moratur: prouidentiæ tuæ significamus, vt eumdem archidiaconum, si ita res se habet, altero quem maluerit, archidiaconatu, occasione & appellatione cessante, facias esse contentum.

CAP. IX.

Idem Salernitano archiepiscopo. Pars cap. supra de clericis matrimonio copulatis; Clericos.

Mandamus, vt si qui clerici ecclesiarum tuarum, fratribus hospitalis cum licentia sui prælati sponte ac gratis per annum vel triennium seruire decernunt, nequaquam impediantur: & interim beneficia sua ecclesiastica vel reditus, si quos habent, non amittant.

PARS XXXI.

DE EXCOMMVNICATIS.

CAP. I.

Idem Exonienſi epiſcopo.*

Ex parte tua nobis est constanti assertione propositum, quod quidam interdum pro certis causis excommunicati, sedem apostolicam visitant, & reticentes causas pro quibus sunt vinculo excommunicationis adstricti, auditis confessionibus suis, absolutionis beneficium *meruisse. Vnde quia nos consulere voluisti, vtrum illa absolutio teneat, si occultatis excessibus, pro quibus excommunicati fuerunt, absolutionis meruerunt * priuilegium, siue excommunicationis aliam causam prætendentes; consultationi tuæ taliter respondemus, quod si ita constiterit, eos cogere debes censura ecclesiastica, cum literis tuis rei veritatem continentibus, ad sedem apostolicam redire: si vero id tibi non constiterit, & eos suspectos habueris, quod non fuerint veritatem confessi, ipsos compellere debes ex-

*f. meruere.

*beneficium.

ANNO CHRISTI 1179. inde coram te, quod veritatem confessi fuerint, purgationem præstare.

CAP. II. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Qua fronte nos super articulis iuris consulere valeas, non videmus, cum in his quæ tibi nota sunt & liquida, manifeste dicaris ordinem peruertere, & euidenter libertati * ecclesiasticæ contraire, pro qua ille glorioſus & inclytus martyr, prædeceſſor tuus Thomas martyrium ſubire non expauit. Iam enim non in eccleſia, ſicut canonicum eſt & honeſtum, non in palatio, non in camera tua, ſed in propria camera regis, contra debitum iuris & contra pontificalis officii dignitatem, epiſcoporum electiones diceris confirmare. Verum ſuper his, de quibus nos conſulere voluiſti, prout nobis dederit Dominus, tibi reſpondemus: ſane ſi quis pro contumacia vel alia qualibet cauſa, excommunicatione tenetur adſtrictus, & offert ſe ad iuſtitiam de his, pro quibus ſententiam ipſam excepit, iudex eum, vt non in excommunicationem * diſcedat, abſoluere poterit, etiamſi pars aduerſa, ne abſoluatur, appellationis obſtaculum interponat: ab ipſo tamen ante abſolutionem ſufficiente cautione recepta, quod vel in præſentia Romani pontificis, ad cuius audientiam appellatur, ſi maluerit aduerſarius, vel coram iudice, cui Romanus pontifex cauſam delegauerit, vel coram eo in quo vtraque pars conuenerit, iuris pareat æquitati.

* eccleſiæ

CAP. III. *Idem in eadem epiſtola.*

De his etiam, qui ſe conqueruntur irrationabiliter excommunicationi vel interdictioni ſuppoſitos, illud idem dicimus, etiamſi hi pro quibus tulerint ſententiam, ad ſedem apoſtolicam duxerint appellandum.

CAP. IV. *Idem Rothomagenſi archiepiſcopo.*

Quia quæſitum eſt a nobis ex parte tua, ſi liceat tibi eos qui excommunicationis vinculo ab epiſcopis, aut ſuffraganeis tuis fuerint innodati, & ad audientiam tuam appellant, abſoluere antequam ſteterint tuo iudicio: inquiſitioni tuæ præſentibus literis reſpondemus, quod ſi poſt appellationem inter eos ſententia excommunicationis eſt

promulgata, absolutione non indigent, cum sententia post appellationem lata neminem ligare possit. Si autem ante appellationem fuerint excommunicati, ante ingressum causæ recepto ab eis iuramento, secundum ecclesiæ consuetudinem debes eos absoluere, nisi episcopo, a quo fuerunt excommunicati, in hac parte volueris deferre, & eos ad ipsum absoluendos remittere. Cum autem ab episcopo vel a te fuerint absoluti, causam audire debes, & eam fine debito terminare: quia nec excommunicati ante absolutionem sunt audiendi, nec causa ad eos, a quibus est appellatum, debet aliquatenus remitti.

CAP. V. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Cum ad hoc in beatorum apostolorum principis cathedra, quamquam immeriti, Domino disponente, simus constituti, vt plantare debeamus, quæ ad virtutem spectant & decorem: & euellere & eradicare curemus, quæ sunt obuia rationi, & profectum impediunt salutis: intelleximus sane quod Hospitalarii nominatim excommunicatos contra prohibitionem ecclesiasticam præsumunt tradere humanæ Christianæ sepulturæ, non cogitantes, quam graue sit illis in morte communicare, quos, dum viuerent, ecclesia pro suis excessibus a sinu suo segregauit. Vnde quoniam huiusmodi præsumptionem & temeritatem nolumus nec debemus aliquatenus tolerare, discretioni tuæ, &c. quatenus prædictos fratres moneas & horteris, & ex nostra parte præcipias, vt si quos in excommunicatione defunctos in cœmeteriis sepelierint, extra cœmeteria ipsos penitus eiiciant. Quod si facere noluerint, tu hoc ipsum de his, quos in excommunicatione defunctos esse constiterit, auctoritate nostra, & appellatione remota, exequaris.

CAP. VI. *Idem in Turonenſi Concilio.*

Quoniam superuenientibus nouis morbis nouas expedit inuenire medicinas, & ecclesiasticæ libertati consulere, & subditorum vtilitati prouidere curantes, statuimus vt capellani, & qui eorum vice ministrant, huiusmodi sacramento adstringantur, vt ex quo fuerit cognitum eis, aliquid ecclesiæ vel cœmeterii seu ecclesiasticæ possessionis, in castrum veniſſe, vel castrensium violentia ablatum fuisse,

ANNO CHRISTI 1179. se, conueniant dominum castri, siue illum qui primus ab eo dominatum habet, cuius potestate consilioque res dirigi possit: & si eorum commonitione præmissa, prædam non reddiderit, si adfuerit; vel si abfuerit, de integra restitutione infra octauum diem certam securitatem non fecerit, extunc ab omni ecclesiastico cessabitur officio, excepto baptismo & confessione, & a timore mortis communione. Quod in omnibus terris eorum propriis præcipimus obseruari, nec non & in illis, in quibus integram exercent dominationem: permittimus tamen, vt semel in hebdomada, causa conficiendi corpus Christi, Missa in villa celebretur proxima, clausis omnibus ostiis, & exclusis excommunicatis, præter ministros altaris. Quod si prædicti castrenses post datam inter eos sententiam incorrigibiles per 40. dies extiterint, capellani ab eorum recedant officio, non amplius cum eis commoraturi, quamdiu sub anathematis vinculo teneantur. Sub hac lege scriptores claudimus. Quod si capellani vel quilibet officiales clerici ex suis possessionibus sunt aduocati seruitii debitores, vltra tres menses commorandi cum eis licentiam non adhibemus. Quod si gratia commonitionis eis concedatur, conuescendi tamen & cohabitandi interdicimus participationem. Qui vero vltra præfixum terminum cum eis commorari præsumpserit, officio simul & ecclesiastico careat beneficio, & ne forte præda in dolo conuertatur, aut clericos castrorum excuset ignorantia, egredi debent, obuiare prædæ, audituri & solicite inquisituri, si quæ res ibi fuerint ecclesiasticæ, vel earum reclamatores. Si quis autem clericus ob huiusmodi recessum, propter iustitiam a domino suo rerum suarum damna pertulerit, ipse dominus non nisi per integram omnium restitutionem meretur absolui. Si quælibet villa duos vel plures aduocatos habuerit, in quorum aliquem lata sit sententia, dummodo non careant officio, nisi qui eius subsunt dominio. Quod si ecclesia suæ aduocationis fuerit, eadem esset & sibi interdicta: licet alterius aduocationis corpora sepeliri, Missa tamen non celebrabitur. De mutandis autem castrorum vicariis vel clericis, statuimus vt archidiacono significetur, ne alius loco eius substituatur, donec eodē adstringatur sacramento. Mercatoribus autem & ceteris hominibus ciuitatum vel * burgatorū

Locus obscurus.

prohibemus, ne aliquem nomine excommunicatum,* hoſpitem ſuſcipiant, nec in venditione vel in emptione ſeu aliqua participent accommodatione. Qui vero tranſgreſſores extiterint, a ſacerdote parochiano tres dies vocentur: tribus autem aliis diebus ad correctionem expectentur: Septimo autem die, ſi incorrigibiles apparuerint, anathematis ſententiam ſubituri, nec ab epiſcopo, nec ab archidiacono ſe nouerint abſoluendos. Si vero a domino aliove potente ad hoſpitandum excommunicatum, hoſpiti vim illatam cognitum fuerit, hoſpes reus non habeatur: ſed eius qui violentiam intulit, terra ſuſpendatur; cuius ſuſpenſionis reſtitutio pontificali erit arbitrio reſeruanda. In villis vero vel vrbibus vel caſtellis, quæ regis ſubſunt dominio, in quibus conſtabularii ad tempus ſtatuuntur, ſi ipſum conſtabularium conſtiterit anathematis ſententiam ſubiiſſe, ipſo in villa præſente locus medius, quo recedente, eodem reuerſuro, alii diuinum officium non amittant. Suis autem domeſticis omnibus a Chriſtianitate ſuſpenſis, de cœmeteriis & eccleſiis, ſiue quibuſlibet poſſeſſionibus eccleſiaſticis tenſerias dari prohibemus, ne pro eccleſiæ vel cœmeterii defenſione tenſerias fidei ſuæ ſponſionem interponant: quod ſi præſumpſerint, ordinis ſui & beneficii periculum incurrant. Qui vero eccleſiam vel cœmeterium contempſerint, vel ordinatis manus violentas impoſuerint, anathematis ſententia feriantur: nec ab alio niſi a domino papa abſolutionem conſequantur, niſi mortis interueniente periculo, diſpenſatio miſericorditer ſubueniat, data tamen pro poſſe ſatisfaciendi ſecuritate, ſi conualuerint, pro abſolutione papam adituros. Si quis videns excommunicatum ex nomine, hoſpitio ſuſceperit, vel ei pecuniam ſcienter accommodauerit, quia noſtri ſunt contemptores mandati, prohibemus, ne Chriſtianus vel Chriſtiana ei ſeruiat, donec inde ſatisfecerit. Præcipimus autem, quod decani fide adſtringantur, quod ſi eis cognitū fuerit, aliquem de clericis hæc decreta non ſeruaſſe: epiſcopo, ſi affuerit, vel archidiacono denuntient. Prohibemus etiam, ne abbates vel monachi, priores vel abbatiſſæ, vel prioriſſæ, de poſſeſſionibus eccleſiaſticis tenſeriam donent; clericis autem & laicis prohibemus, ne quis ſcienter prædam eccleſiæ emat, vel prædam cœmeterii, vel cuiuſlibet poſſeſſionis

Anno Christi 1179. * hoſpitio

Locus obſcurus.

ANNO CHRISTI 1179. ecclesiasticæ: quod qui præsumpserint, anathematis vinculo feriantur.

Ex decretis Gelasii papæ, cap. 2.

Quicumque intra anni spatium ciuiliter siue publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quod si obstinato animo defuncti fuerint, nos illorum causam, iuxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam, diuino iudicio reseruantes, quibus viuis non communicauimus, mortuis non communicamus.

CAP. VII. *Idem.*

Cum ab ecclesiarum prælatis ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, debet rata & firma consistere, vt vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruetur; quapropter discretioni tuæ, *&c.* quatenus si quando iam dilectus filius noster plebanus sancti Pancratii, in clericos vel in laicos parochianos suos interdum interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, præcipias obseruari: nec eam sine congrua satisfactione, & absque conscientia eiusdem plebani, aliqua ratione relaxes.

DE CONIVNGENDIS FILIIS ANTE VEL POST COMPATERNITATEM genitis. PARS XXXII.

CAP. I.

Alexander III. Salernitano archiepiscopo.

VTRVM autem filii vel filiæ ante vel post compaternitatem geniti, possint simul ad inuicem copulari, Canones secundum diuersorum locorum consuetudinem inueniuntur: & licet primus Canon exinde editus, natos post compaternitatem prohibeat ad inuicem copulari, alter tamen Canon posterius editus primum videtur corrigere: per quem statuitur, vt siue ante, siue post compaternitatem geniti sunt, simul possint coniungi: excepta illa persona dumtaxat, per quam ad compaternitatem peruenitur. Vnde tolerabilius nobis videretur, vt secundum

Competenter determinat, cum prior Canô id non neget.

posteriorem Canonem, etiam post compaternitatem geniti, simul possint copulari, præter illam personam, per quam compaternitas contrahitur, nisi consuetudo ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habeat. Anno Christi 1179.

CAP. II. *Idem eidem in eadem epistola.*

Si vir vel mulier scienter aut ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc ab inuicem separari debeant & alii copulari, quia nos generaliter consulere voluisti, consultationi tuæ respondemus, quod quamuis sit generaliter constitutum vt debeant, quidam tamen humanius & potius sentientes, aliter statuunt: & ideo nobis videtur, quod siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam possint induci. Quod si ex ignorantia id factum est, eos excusare ignorantia videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.

PARS XXXIII.

QVI FILII SINT LEGITIMI, ET DE EXACTIONE DOTIVM post diuortium, & ad quem pertineat huius causæ cognitio.

CAP. I.

Idem Exonienſi epiſcopo.*

MEMINIMVS nos fraternitati tuæ super causa quæ inter P. & R. de quadam hereditate vertitur, quam idem P. nomine Sibyllæ vxoris suæ petebat, tali modo scripsisse, vt si constaret, prout literæ tuæ continebant, inter dicti R. patrem & matrem, post eius natiuitatem matrimonium fuisse contractum, eum omni appellatione remota legitimum esse denunties, & ab hereditate paterna propter causam prædictam nullatenus debere repelli. Tanta est enim vis * sacramenti, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi. Verum quoniam P. vltra quam in literis tuis continetur, nobis significauit, quod pater suus, viuente vxore, matrem R. tenebat, & eum in adulterio procreasset, & quod in mor- * matrimonii

ANNO CHRISTI 1179. tem ipsius vxoris mater fuerit machinata: fraternitati tuæ, &c. quatenus rei veritatem inquiras, & si tibi constiterit, quod viuente vxore, pater prædicti R. matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, & ab hereditate repellendum, præsertim si mater ipsius in mortem prioris vxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt.

CAP. II.

Idem venerabili fratri N. episcopo Bathonienſi.

Ex conquestione E. mulieris, nobis innotuit, quod R. quondam vir suus, a quo, sicut dicitur, fuit sine iudicio ecclesiæ separata, dotem suam sibi reddere contradicit. Quia vero indecens est, & a iuris ordine alienum, vt prædicta mulier dotem suam amittat, fraternitati tuæ, &c. quatenus si eadem mulier a prædicto viro, iudicio ecclesiæ, separata fuerit, ipsum moneas & inducas, & si necesse fuerit, appellatione remota, ecclesiastica districtione compellas, vt prædictæ mulieri dotem suam restituat, aut secundum terræ consuetudinem, in præsentia tua iustitiæ plenitudinem exhibeat.

CAP. III. *Idem.*

Conquestus est nobis H. lator præsentium, quod quamdam mulierem neptem R. accepit in vxorem, & præfatus R. ipsam exheredare conatur, eo quod ante desponsationem matris suæ nata fuerit: cum postea, prout dicitur, pater præfatæ mulieris, matrem ipsius acceperit in vxorem. Inde est quod fraternitati tuæ, &c. quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, nullius appellatione obstante, legitimam esse iudicetis, inhibentes prædicto R. ex nostra & vestra parte, ne sæpedictæ mulieri vel heredibus suis hac occasione super hereditate sua molestiam inferat vel grauamen. Si autem contra inhibitionem nostam venire præsumpserit, sublato appellationis remedio, ecclesiastica seueritate percellatis.

CAP. IV.

Idem Londonienſi & VVigornienſi episcopis.

Causam quæ inter R. & F. super eo quod mater iam

dicti R. dicitur non fuisse de legitimo matrimonio nata, agitari dignoscitur, experientiæ vestræ iampridem commisimus terminandam. Verum quia in literis nostris inseri fecimus, vt sæpefato R. possessionem omnium eorum, quorum possessor extitit, quando auus suus iter Hierosolymam proficiscendi arripuit, ante principalis causæ ingressum faciatis appellatione cessante restitui, si eadem possessione fuisset per violentiam spoliatus. Nos attendentes, quod ad regem pertineat, non ad ecclesiasticam auctoritatem, de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri & dignitati carissimi in Christo filii nostri H. regis Anglorum principis detrahere, qui (sicut accepimus) motus est, & turbatus, quod de possessionibus non scripsimus ei, cum ipsarum iudicium (vt asserit) ad se pertineat: volumus, & fraternitati vestræ mandamus, quatenus possessionum iura regi relinquentes, factum de principali causa, videlicet vtrum mater prædicti R. de legitimo matrimonio fuerit nata, plenius cognoscatis, & eam vel aliam secundum literarum nostrarum tenorem, appellatione remota, terminetis, licet incongruum videatur, vt matrimonium genitricis præfati R. impetatur, quod ea viuente, vt dicitur, non fuerit impetitum.

Anno Christi 1179.

CAP. V. *Idem.*

Cum inter I. veterem conciuem nostrum & T. mulierem diuortii sit sententia canonice prolata, filii eorum, qui ante sententiam nati fuerunt, & ille qui tunc conceptus erat, non debent exinde sustinere iacturam, cum parentes eorum publice sine contradictione ecclesiæ matrimonium inter se contraxerint: inde est quod auctoritate apostolica statuimus, vt filii eorum, quos ipsi ante diuortium habuerunt, & qui conceptus fuerat ante latam sententiam, nihilo minus legitimi habeantur, & quod in bona paterna iure hereditario succedant, & de bonis parentum suorum nutriantur. Quocirca venerabilitati vestræ, *&c.* quatenus præfatos filios memorati I. prædictæ mulieris succedere in paterna bona, & exinde nutriri non prohibeatis; nec occasione diuortii in parentes eorum celebrati, eis a quoquam molestiam vel grauamina sustineatis inferri.

ANNO CHRISTI 1179.

DE RAPTORIBVS, ET ECCLESIARVM VIOLATORIBVS, ET QVANDO POST PERACTAM pœnitentiam sit neganda sepultura ecclesiastica, nisi satisdent de damno restituendo.

PARS XXXIV.

CAP. I.

Eugenius tertius vniuerso clero.

SVPER eo quod de raptoribus ecclesiarum, atque presbyteris, qui pœnitentiam eis iniungere, & oblationes eorum contra statutum nostrum suscipere attentauerint, a nobis communi deliberatione statutum cum fratribus nostris statuimus, & constitutionem ipsam, sanctorum patrum vestigia subsequentes, auctoritate Dei & sanctorum apostolorum Petri & Pauli pariter confirmamus, statuentes, vt quicumque ex his raptoribus, qui in vrbe diabolo suggerente violenter surrexerint, in rapina, siue in ecclesiarum violatione manifeste est deprehensus, vel amodo fuerit, nisi ablata prius restituat, si poterit, vel emendandi plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegent: si vero vsque ad obitum, quod absit, in sua contumacia durauerit, & in extremis positus, pœnitentiæ remedium humiliter postulauerit, si emendationem vel emendandi securitatem præstiterit, ac fideiussores, qui ablata restituere debeant, idoneos dederit, ei pœnitentia & ecclesiastica sepultura concedatur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendauerit, & in morte securitatem ac fideiussores, sicut diximus, præstare nequiuerit, solennitas pœnitentiæ parum prodesse (sicut credimus) videtur: sed viaticum non negetur, ita tamen, vt nullus clericorum sepulturæ illius interfit, nec eius eleemosynam accipere præsumat. Quod si qui presbyterorum vel clericorum contra statutum nostrum in vita vel in morte pœnitentias dare, aut sepulturæ illorum interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & beneficio ecclesiastico careant.

CAP. II.

Anno Christi 1179.

Alexander III. Claromontano episcopo.

Literis tuis quas I. lator præsentium exhibuerat, continebatur, quod cum pater eius multis fuisset criminibus irretitus, qui per appositionem ignis, ecclesiarum incendium diabolo suggerente commiserat: tandem in vltima ægritudine constitutus, se confessus est peccatorem, & accepta pœnitentia de commissis, per manum capellani sui fuit a sententia anathematis absolutus: sed moriens, ecclesiasticam sepulturam nequiuit habere. Quapropter si ita res se habet, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus corpus eiusdem patris I. supradicti, appellatione cessante, facias in cœmeterio sepeliri, & heredes eius moneas & compellas, vt his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra iustitiam irrogauit, iuxta suas facultates condigne satisfaciant, vt sic a peccato valeat liberari.

Idem ex Concilio Turonensi.

Fures & latrones si in furando vel in prædando occiduntur, visum est pro eis non orandum: & si comprehensi & vulnerati fuerint, & presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non denegamus.

CAP. III.

Item Alexander tertius Lucensi episcopo.

De secunda vero quæstione, hoc tuam discretionem tenere volumus, quod propinqui eius, quem pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum iniectione in clericos, in violatione multarum ecclesiarum & incestu, vinculo excommunicationis adstringis, monendi sunt vt pro eis satisfactionem exhibeant: quod si fecerint, quia laborans in extremis, præstito iuramento, per presbyterum * tenuerit ab excommunicationis sententia relaxari, in cœmeterio poterit sepeliri. Si autem propinqui sui tuis acquiescere monitis contradixerint, quia iam non est purgatum peccatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.

* *f.* meruerit

DE

ANNO CHRISTI 1179.

DE POENITENTIA. PARS XXXV.

CAP. I.

Alexander III. Exonienſi epiſcopo.*

SICVT dignum eſt, & omni rationi conſentaneum, graues & difficiles quæſtiones ad examen ſedis apoſtolicæ referri, ita etiam nobis ex miniſterio ſuſceptæ ſolicitudinis imminet, eaſdem quæſtiones, prout nobis Dominus dederit, abſoluere, & ſingulis a nobis conſilium poſtulantibus reſpondere, vt prouidentia Romanæ eccleſiæ, quæ vbique terrarum obtinet (diſponente Domino) principatum, quæſtiones ſoluantur, & remoueatur in his ambiguitas de cordibus ſingulorum. Licet autem ſuper quæſtionibus, quas tua nobis diſcretio ſoluendas duxit, te non dubitemus prouidere, & diſcretum exiſtere, cogimur tamen ex ſuſceptæ ſeruitutis miniſterio, diſcretioni tuæ iuxta prouidentiam noſtram exinde reſpondere. Sane cum vir ſapiens & diſcretus ſis, & in his plurimum exercitatus, plenius noſti, quia in exceſſibus ſingulorum non ſolum delicti qualitas, ſed quantitas & ætas, ſcientia, ſenſus atque conditio ſunt attendenda, quare non ſolum ſecundum qualitatem & quantitatem facinoris, ſed ſecundum ea quæ diximus, & ſecundum locum & tempus, quo delictum committitur, vnicuique debet pœnitentia iniungi, cum (ſicut tu ipſe non ignoras) idem exceſſus magis in vno, quam in alio ſit puniendus. Illi autem qui animo occidendi illum ſanctum & reuerendum Thomam quondam Cantuarienſem archiepiſcopum, aut feriendi, aut capiendi, vt de illa captione mors ei ſubſecuta fuiſſet, citra manuum iniectionem ſe fatentur veniſſe, pari pœna ſunt puniendi: & alii qui non vt ferirent, ſed vt percuſſoribus opem ferrent, ſi forte violentia, quam quidam amoliri debebant, impediretur, paulo minori pœna mulctari; quia ſicut ſcriptum eſt, qui potuit hominem liberare a morte, & non liberauit, ipſum occidit. Conſtat quoque eos ab homicidii reatu immunes non eſſe, qui occiſoribus contra alios opem ferre venerint: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui, cum poſſit, manifeſto facinori deſinit obuiare. Illi vero qui ſe aſſerunt animũ regis inflammaſſe ad odium, vnde

In peccatis, quæ ſint cõſideranda.

forte fuit homicidium subsecutum, satis dure & aspere, sed non ita seuere sunt puniendi: nisi forte ipsum regem ad illud homicidium prouocassent. Illi quoque non fuerunt a culpa liberi, nec a reatu debent esse immunes, qui licet fuerint iniquæ machinationis ignari, sicariis tamen, si eos sicarios esse sciebant, vel in sarcinis, vel in armis eorum custodiendis ministerium præbuerunt. Illos vero, qui dicuntur illius viri sancti & suorum per mortem occupasse spolia, si nihil aliud in tanto facinore commiserint, a pœna mortis eius arbitramur immunes: sed hæc quæ occupauerunt, tenentur eis in integrum restituere, quibus ablata fuerunt, si habeant in facultatibus, vnde ea reddere possint: & ipsis tamen ex * hinc pœnitentia moderata est iniungenda, quia licet ex his quæ occupauerunt quædam fatentur se pauperibus in eleemosynam erogasse, non tamen alienas res, cum ipsas potuissent eis restituere quorum fuerint, debuerunt pauperibus erogare. Illi vero qui sola excommunicatorum participatione se reos esse cognoscunt, considerata temporis qualitate, quo in eadem nequitia perdurauerint ignoranter, & inquisito etiam, si amore vel affectione communicauerint ignoranter vel scienter, secundum hoc pœnitentia est indicenda. Clericos vero, quos constat armatos esse & interfuisse tanto facinori, & clericos etiam illos qui consilium istud dederunt, vel vt sanctus vir caperetur: perpetuo non solum ab altaris officio deponendos esse censemus, sed etiam ita, vt in ecclesiis nullo vnquam tempore lectiones legant, nec responsoria seu antiphonas cantare in choro, sed in psalmis apud Dominum de commisso veniam satagant implorare. Insuper clerici etiam ipsi in obstructo claustro monachorum vel canonicorum, si fieri potest, sunt includendi, ita quidem, quod ipsi in septennium seu quinquennium debeant ab introitu ecclesiarum cohiberi.

Anno Christi 1179.

* hoc

CAP. II. *Idem eidem.*

Ex tuæ fraternitatis literis & confessione sacerdotis præsentium latoris accepimus, quod cum eum ad sacerdotii ordinem assumendum non aliter voluisset eius archidiaconus præsentare, quinque solidos eidem archidiacono soluit, & sic postmodum ordinem istum, per eum præsenta-

ANNO CHRISTI 1179. tus, accepit. Vnde super eo de quo consilium nostrum postulasti, sic duximus respondendum, vt si hoc non est publicum, sed secretum, eumdem sacerdotem secreto conuenias, monens eum, sine vlla tamen coactione, propensius & inducens, vt ordinem alicuius religionis assumat, & perpetuo ab officio, quod ita illicite acquisiuit, abstineat. Si vero ad religionis ordinem assumendum forte inducere non poteris, studeas ei ad sustentationem aliquod ecclesiasticum beneficium constituere, ad hoc, vt debeat officio sacerdotali sponte in perpetuum abstinere, alioquin non erit tutum, cum sit secretus excessus, ipsum inuitum ab eodem officio coercere. Sed tamen pœnitentiam secretam secundum quod tibi visum fuerit, iniungere non postponas.

CAP. III. *Idem eidem.*

Pars capituli, Meminimus.

De peregrinationis votis, an eleemosynis redimi possint, vel per alium pro necessitate adimpleri, tibi respondemus, quod ab eius qui præsidet, dependet arbitrio, vt consideret diligentius & attendat qualitatem personæ & causam commigrationis, seu id ex infirmitate, siue affluentia contingat diuitiarum: & vtrum peregrinatio, an recompensatio vtilior fuerit, & Deo magis accepta, & secundum hoc debet exinde dispensare.

CAP. IV. *Idem archiepiscopo Cantuariensi.*

Quod autem consuluisti, vtrum remissiones, quæ fiunt in ecclesiarum dedicationibus, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam his qui remittentibus subsunt: hoc tuam discretionem volumus firmiter tenere, quod cum a non suo iudice nullus ligari valeat vel absolui, remissiones prædictas illis prodesse tantummodo arbitramur, quibus vt prodessent, pastores proprii specialiter indulserunt: & in hoc intelligas eam quæstionem solutam, in qua quæritur, vtrum is qui excommunicato communicat, a non suo episcopo absolutionis gratiam debeat implorare.

PARS XXXVI.

DE SENTENTIIS ET INTERLOCVTIONIBVS.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. I.

Alexander III. episcopo Norvvicensi & abbati de Euesham.

SCRIPSIMVS vobis ad suggestionem H. clerici, vt causam inter ipsum & R. super capella N. diligentius audire debeatis, & sub certa forma terminare, omnino immemores existentes, quod eam prius aliis iudicibus commisissemus, dilecti autem filii nostri S. & R. suis literis nobis intimarunt, quod ipsi prædictam causam sibi a nobis, appellatione remota, commissam, ordine iudiciario terminarent. Quare a prænominatis iudicibus veritatem studiosius inquiratis, & si noueritis eos super causa memorata diffinitam protulisse sententiam, nullatenus in causa ipsa procedatis: & si forte processistis, nec mandatum nostrum, nec factum vestrum volumus eorum sententiæ derogare. Sed vobis firmiter iniungimus, vt prænominato H. perpetuum super eadem causa auctoritate apostolica imponatis silentium.

CAP. II. *Idem eisdem.*

Cum aliquibus adiudicata est possessio, non sufficit eis pignora dari, nisi corporali gaudeant possessione.

CAP. III. *Item R. VVigornensi episcopo.*

Causam quæ vertitur inter fratres Dunelmensis monasterii, & monachos sancti Albani super ecclesia de * Tenemuda, audiatis, & appellatione cessante terminetis, illud inter cetera specialiter prouisuri, vt fratres Dunelmensis ecclesiæ auctoritate & assensu episcopi causam ingrediantur, ne si fratres sancti Albani obtineant, episcopus Dunelmensis se abbatem illius ecclesiæ proponens, litem sopitam valeat suscitare. * Tinemuthe

CAP. IV.

Archidiaconis de ecclesiastica institutione non videtur

ANNO CHRISTI 1179. licere, nisi auctoritas episcoporum & consensus accesserit, in alios sententiam promulgare.

CAP. V. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Cum aliqua causa, appellatione remota, committitur, & sententia fertur iniqua, eam euacuari oportet, nec debet ei stari, si manifestam contineat iniquitatem.

DE LEPROSIS.

PARS XXXVII.

CAP. I. *Idem.*

Ex transmissa conquestione R. clerici nobis innotuit, quod cum ecclesia de N. a monachis, ad quos ius illius ecclesiæ spectare dinoscitur, ei concessa fuisset, tum temporis cum Vu. clericus, qui fuisse lepra tactus perhibetur, eam possideret, timens ne similiter eadem concessione, aliqua fieret innouatio, ad sedem apostolicam appellauit, & ad nos nuntium suum destinauit. Quoniam igitur vniuersis Dei fidelibus, & his maxime qui clericali dediti sunt officio, in suis iustitiis adesse tenemur, discretioni vestræ, *&c.* quatenus si vobis ita constiterit, præscriptam ecclesiam præfato R. taliter concessam, & post appellationem ad nos factam super eadem ecclesia, in ea inueneritis alium institutum, eo inde amoto, eam ipsam, omni contradictione & appellatione cessante, iam dicto R. faciatis, dilatione postposita, assignari, non obstante quod eadem concessio facta fuerit tempore prædicti Vu. si ipsum prænominato morbo manifestum fuerit laborasse. Testes vero, quos idem R. vobis nominabit, moneatis attentius, & inducere laboretis, vt amore iustitiæ, testimonium perhibeant veritati.

CAP. II. *Idem.*

Peruenit ad nos, quod cum hi, qui lepræ morbum incurrunt, de consuetudine generali a communione omnium separentur, & extra ciuitates & villas ad loca solitaria transferantur, nec vxores viros, nec viri vxores suas taliter ægrotantes sequantur, sed sine ipsis manere præsumant. Quoniam igitur, cum vir & vxor vna caro sint, nec debeat alter sine altero diutius esse: fraternitati tuæ, *&c.* 33. q. 2. Vnaquæque.

quatenus si qui sunt in prouincia tua viri vel mulieres qui lepræ morbum incurrunt, vxores vt viros, viri vt vxores suas sequantur, & eis coniugali affectione ministrent, solicitis exhortationibus inducere laboretis. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius iniungatis, vt vterque altero viuente continentiam seruet: & si qui contra mandatum nostrum venire præsumpserint, eos contradictione & appellatione cessante, vinculo anathematis adstringas. Anno Christi 1179.

32. quæst. 4. Si vxorem.

Sed hoc, vbi de locis habitatis expelluntur ad solitaria: illud, vbi non. Vel hoc, quando tanta apparet macula, quod ex tactu timetur infectio: illud, quando non tanta.

CAP. III. *Idem Baionensi episcopo.*

Quoniam ex multis auctoritatibus & præcipue ex euangelica veritate apparet, nemini licere vxorem suam, excepta causa fornicationis, dimittere: constat quod siue mulier lepra percussa fuerit, siue graui aliqua infirmitate detenta, non est propterea a viro suo separanda. Leprosis autem, si se continere noluerint, & aliquam quæ sibi nubere velit, inueniant, liberum est eis ad matrimonium conuolare. Quod si virum siue vxorem diuino iudicio leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exegerit, est soluendum, cuius præcepti nullam in hac causa inuenimus exceptionem.

Matth. 5.

1. Cor. 7.

CAP. IV. *Lucius III. Lincolnienſi episcopo.*

Super eo vero quod quæsiuisti de rectoribus ecclesiarum, lepræ macula adeo infectis, quod altari nulla possunt ratione deseruire, neque sine magno scandalo illorum, qui adsunt, ingredi ecclesias: hoc tuam volumus fraternitatem tenere, quod eis dandus est coadiutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiat portionem.

ANNO CHRISTI 1179.

DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

PARS XXXVIII.

CAP. I.

Alexander III. Salernitano archiepiſcopo.

DE quarta vero decimæ & oblationis defunctorum, clerici ab impetitione epiſcopi, quadragenaria temporis ſe poſſe præſcriptione tueri videntur, niſi forte cathedralis ſedes paſtore interim caruiſſet, qui iura eccleſiæ ſuæ exigere debuit. Sed Romana eccleſia tricennalem præſcriptionem contra eccleſiam non admit.

CAP. II. *Idem* Ciſtrenſi decano.*

Ex literis tuæ dubitationis intelleximus, te & archidiaconum confines habere præbendas in villis, quas ſinguli ſingulas poſſidetis, & prætextu terminorum inter vos controuerſiam verti, eo quod dicas eum antiquos fines egreſſum, partem fundi tui occupaſſe: ille econtra aſſerit, ſe eamdem partem fundi 40. annis poſſediſſe inconcuſſe. Tu autem ad tuam præbendam quiete per idem tempus perſtitiſſe affirmas. Qua in re quæris cui incumbit probatio, petitori, an poſſeſſori: ad quod ſane ſcire debes, quod iudicium finium regundorum tale eſt, vt in eo vtraque pars vices duorum habeat, agentis ſcilicet & eius cum quo agitur. Vnde hinc inde rite teſtes produci poſſunt ad cognitionem iudicis inſtruendam. Quibus examinatis, iudex quos præcedere intellexerit, ad fidem ſibi faciendam admittet. Quod ſi forte ambarum partium teſtes æque idonei ſunt, poſſeſſoris recipientur, cum promptiora ſint iura ad abſoluendum quam ad condemnandum, excepta cauſa liberali, in qua ſi vtriuſque partis teſtes forſan æquales fuerint, pro libertate tamen ſemper pronuntiabitur. Nam poſſeſſori probationem aliquando dari, iuris manifeſti eſt, cum in ſacris Canonibus cautum ſit ita: Si quis obiecerit præſcriptionem longi temporis, & eam probauerit, reportet poſſeſſionem: quoniam nemo recte obiicit, niſi qui poſſidet.

16. q. 5. Dilectio.

16. q. 3. c. 123.

CAP. III. *Idem Rhemenſi archiepiſcopo.*

Controuerſiam quæ inter Macularenſem & Formo-

lenſem eccleſias ſuper decimis de villa de * Remegan mota fuit, nos cum fratribus noſtris pertractauimus: & quidam monachi decimam omnem illius villæ ſuo monaſterio pertinere, tam per Caroli regis donationem, quam per noſtrum priuilegium, allegabant. Clerici vero eccleſiæ Formolenſis tertiam partem decimæ, 30. annis & eo amplius ſine interruptione ſynodali vel legitima, poſſediſſe aſſerebant: nos vero vtriuſque partis rationibus & allegationibus indagatis, decreuimus, quod ſi eccleſia Formolenſis tertiam partem decimæ per 30. annos quiete & inconcuſſe ſe poſſediſſe, per tres perſonas idoneas *ſibi propriare poterit, ea deinceps ſine inquietatione poſſideat. Anno Christi 1179. * Remegra *ſ. tibi probatas

CAP. IV. *Idem abbati & monachis ſancti Andreæ.*

Si de terra quam habetis in parochia de Bretevvelle, iam per 30. annos vel eo amplius decimas ſine reclamatione aliqua ſolueritis, & hoc anno eas canonicis de Planio, poſt appellationem ad nos factam, contra iuſtitiam ſubtraxiſtis, eas ſibi de cetero integre & ſine moleſtatione, occaſione & appellatione poſtpoſita, perſoluatis, & quas noſcimini ſubtraxiſſe, integre reſtituatis. Licet enim priuilegiorum Romanæ eccleſiæ beneficio, fratribus Ciſtertienſis ordinis indultum fuerit, quod de laboribus ſuis nulli decimas vel primitias perſoluere debeant, de priuilegio tamen vobis indulto tanto tempore ſubtrahere voluiſtis, cum liberum ſit vnicuique iuri ſuo renuntiare, eoque modo non poteſtis vos in hac parte tueri. Sane niſi nos vos & ordinem veſtrum tantum diligeremus, grauiter aduerſus vos moueremur: nec * poterimus aliquatenus relinquere impunitum, ſi nobis conſtaret, quod poſt appellationem ad nos factam, manus veſtras exinde extendiſſetis ad prædictas decimas ſurripiendas. *poſſemus

CAP. V. *Item glorioſus Clemens in lib. Stromatum.*

Vigilanti ſtudio cauendum eſt, (quod ſumma dimenſio diuini iudicii ab initio conſueuerit propria dimittere, aliena non appetere) ne malæ fidei poſſeſſores ſimus in alienis prædiis, atque rebus maxime eccleſiaſticis, quoniam nulla antiqua dierum poſſeſſio iure iuuat aliquem malæ fidei poſſeſſorem, niſi reſipuerit, poſtquam nouerit ſe alie-

na

ANNO CHRISTI 1179. * Ephesinus

na possidere, cum bonæ fidei possessor dici non possit.* Euphegius enim legislator, solum propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorem & confusionem, primus tricennali & quadragenali possessioni vigorem legis imposuit: nobis autem in rebus tam cognitis quam latentibus placuit non habere vigorem.

CAP. VI. *Item Gregorio Syracusano episcopo.*

Ne religiosorum virorum corda ecclesiasticarum rerum contentio a mutua, quod absit, caritate disiungat, magna est solicitudine studendum, vt facillimum finem res possit in altercationem deducta percipere. *Et infra:* Hortamur ergo, vt ad loca prædicta, de quibus contentio est, debeatis accedere, & vtraque parte constituta, cominus loca quæ in lite sunt, vestra faciatis præsentia terminari, 40. tamen annorum ab vtraque parte seruata præscriptione.

CAP. VII.

Sanctorum patrum auctoritas & humanæ leges irrefragabiliter constituentes confirmauerunt, & nos in præsenti Concilio cum omnibus, qui adsunt nobiscum, inuiolabiliter confirmamus, vt omnes possessiones ad singulas prouincias nostrorum fratrum pertinentes, a quibus per triginta annos possessæ sunt quiete & secure, absque synodali proclamatione, perpetuo detineantur, nullaque vox audiendi alicui aduersario concedatur.

CAP. VIII.

Idem Vrbanus III. de Nouo loco & de Turgam prioribus.

Super eo vero quod apud vos intelleximus dubitatum, scilicet, an quod de finibus & his quæ finibus cohærent non præscribendis, statutum per Canones esse dignoscitur, sit in parochiarum limitibus, sicut in prouincialibus admittendum: illud vobis duximus respondendum, quod bene videtur in vtroque seruandum, si parochiarum fines legitima probatione vel alias indubitata fide constiterit ecclesiastica ordinatione constitutos.

PARS XXXIX.

DE VICARIIS MONACHORVM, ET ALIORVM.

Anno Christi 1179.

CAP. I.

Idem VVigornienſi epiſcopo.

Pars capituli, Super eo quod a nobis. Supra de appellatione.

DE monachis autem, qui vicarios parochialium eccleſiarum in tantum grauant, vt hoſpitalitatem tenere non poſſint, nec honeſtam ſuſtentationem habere, hanc tene curam & prouidentiam, quod ad *præſumptionem monachorum nullum recipias, niſi tantum de beneficiis eccleſiæ fuerit ei aſſignatum, vnde iura epiſcopalia poſſit ſoluere, & congruam ſuſtentationem habere. Iſtis autem ſacerdotibus, quibus a te vel a tuis prædeceſſoribus cura animarum eſt commiſſa, in eccleſiis monachorum eam ſubtrahere poteris, niſi ipſis a monachis honeſta & ſufficiens ſuſtentatio fuerit aſſignata, & in his ita *promiſſum, quod tibi de tua iuſtitia poſſint, ſicut conuenit, reſpondere.

*ſ. præſumptionem.

*ſ. promiſſam.

CAP. II. *Idem VVintonienſi epiſcopo.*

Si perſona alicuius eccleſiæ vicario, quem in eadem eccleſia conſtituit de aſſenſu & auctoritate diœceſani epiſcopi, aſſignauit portionem, is qui perſona illa defuncta in perſonatum illius eccleſiæ ſucceſſit, ab eadem eccleſia vicarium remouere, vel aſſignatam ſibi portionem minuere non poteſt, niſi aliquid committeret, propter quod per iudicem eſſet in vicaria vel beneficio condemnandus.

CAP. III. *Idem Norvvicenſi epiſcopo.*

Clericos autem vel in presbyteratu, vel in aliis minoribus ordinibus conſtitutos, in vicariis quas ſunt adepti, alios ſubſtituere non permittas, cum id ſatis ſit abſurdum & abſonum, & omni rationi contrarium.

CAP. IV.

Extra. De ingratitudine.

Illud etiam in vicariis, qui perſonis fide & ſacramento ſunt obligati, duximus ſtatuendum, quod ſi fidei vel ſacramenti religione contempta, perſonatum ſibi falſo aſſerentes, contra perſonas ſe erexerint, & ſuper hoc in iu-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179. re conuicti fuerint, de cetero in eodem episcopatu ad officii sui executionem non admittantur.

CAP. V. *Idem Elienſi epiſcopo.*

Pars capituli Secundũ, ſupra, Ne clericus vel monachus.

*Hochã Veniens ad nos P. rector ecclesiæ de * Gestunens sua nobis insinuatione proposuit, quod ipse Ioanni de * Fescam, qui multos habet ecclesiasticos reditus, & vicarias in ecclesiis pluribus, vicariam de * Gestunens sub annua trium marcarum pensione concessit, cum reditus illius vicariæ 4. marcas valeant annuatim. Licet autem in ipsius vicariæ concessione quædam decima fuisset excepta, nihilo minus tamen memoratus Ioannes præfatum P. contra religionem fidei suæ, qua se contra concessionem ipsam promiserat aliquando non venturum, super prædicta decima coram venerabili fratre nostro Norvvicensi episcopo per literas nostras traxit in causam, & cum in prædicta causa P. vincere non posset, ab alio iudice pro sua voluntate fecit eum citari. Quoniam ergo sustinere nolumus, nec debemus, vt idem P. inhibita vexatione grauetur, fraternitati tuæ, *&c.* quatenus partibus conuocatis, diligentius inquiras veritatem: & si tibi constiterit, quod prædicta decima fuisset excepta, memoratum clericum ab impetitione præfati Ioannis, contradictione & appellatione cessante, auctoritate apostolica fretus absoluas. Si vero quidquam in detrimentum iuris ipsius P. factum est, postquam iter arripuit ad nostram præsentiam veniendi, id contradictione & appellatione cessante, corrigas, & ad statum illum reducas, quo in tempore aggressi itineris noscitur extitisse. Ceterum si memoratus clericus in aliis ecclesiis vicarias habeat vel ecclesiasticos reditus, de quibus possit sustentari, a vicaria præscriptæ ecclesiæ de * Gestunens confirmationis nostræ literis non obstantibus, appellatione cessante, remoueas, & eamdem ecclesiam restituere eidem P. non postponas, dummodo velit & debeat in presbyterum ordinari, & per semetipsum in eadem ecclesia Domino deseruire.

CAP. VI.

Prouideas autem attentius, ne in episcopatu tuo patiaris quemlibet plures vicarias habere. Quia cum vicarii te-

neantur eccleſiis & propriis perſonis deſeruire, alienum eſt ab ordine iuris, vt vicariam habeat quis præter vnam. ANNO CHRISTI 1179.

PARS XL.

DE ELECTIONIBVS ET ELECTORVM POTESTATE.

CAP. I.

Idem Exonienſi epiſcopo.*

NOSTI ſicut vir prudens & ſapiens, quomodo dilectus filius noſter G. dictus Lincolnienſis electus, committendi honores vel præbendam, & alia diſponendi de rebus eccleſiæ, cum ſua nondum ſit electio confirmata, nullam habeat facultatem. Inde eſt, quod fraternitati tuæ, *&c.* quatenus eidem dicto electo ex noſtra parte non differas arctius inhibere, ne archidiaconatum alicui conferre præſumat, vel ſi iam conceſſit, ei auctoritate noſtra præcipias, vt conceſſionem ſuam, omni contradictione & appellatione ceſſante, ſtudeat reuocare. Quod ſi diſtulerit, tu eamdem conceſſionem, appellationis remoto remedio, auctoritate noſtra non differas reuocare.

CAP. II.

Idem I. baſilicæ 12. apoſtolorum preſbytero cardinali, apoſtolicæ ſedis legato.

Quod diligentia tua per dilectum filium noſtrum H. S. a nobis requiſiuit, an electio electi, qui nuper abiurato ſchiſmate, ad vnitatem eccleſiæ & noſtram deuotionem rediit, confirmari debeat, id tibi duximus reſpondendum, quod ſi ab ſchiſmatico nullum ordinem ſuſcepit, & eius electio vnanimiter & concorditer ſecundum ordinem Canonum facta fuerit, dummodo alia ratio non impediat, confirmationem tuam ratam habemus, mandantes, vt eum facias a catholicis epiſcopis ſuffraganeis Aquileienſis eccleſiæ in epiſcopum ordinari, ſalua tamen iuſtitia debita & reuerentia, eiuſdem eccleſiæ, cum ad catholicam redierit vnitatem.

CAP. III. *Item* Ciceſtrenſi epiſcopo.*

Cum de tua & aliorum electione, qui ſunt in quibuſdam

ANNO CHRISTI 1179. ecclesiis Anglicanis electi, in nostra præsentia & fratrum quæstio mota fuisset, & singulis vestrum quædam obiicerentur, tibi obiectum est, quod in oculo maculam habeas, & quod canonici filius sis: attendentes prudentiam & honestatem tuam, & volentes te nomine gratiæ ac dilectionis prærogatiua gaudere, venerabili fratri nostro Cantuariensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato dedimus in mandatis, vt pro eo quod canonici filius diceris fuisse, in promotione tua ex multa dispensatione procedere non postponat; de macula vero quam in oculo habere diceris, hoc prædicto archiepiscopo mandauimus, vt* in quo suffraganeorum suorum, & præsertim venerabilium nostrorum fratrum *Exonienſis & V Vigornienſis episcoporum examini visum fuerit, sic exequatur. Tu vero eumdem archiepiscopum super his inquirere studeas humiliter ac deuote, quia nos tibi ex magna dispensatione in hac parte curauimus solicite prouidere, vt personam tuam sincera caritate diligimus, & quantum secundum Deum possumus, libenter ad tuum intendimus commodum & honorem.

*f. secundū quod

CAP. IV.

Item Lucius tertius Turonenſi archiepiſcopo.

Presbyter cardinalis *sua nobis insinuatione monstrauit, quod cum fuisses ad ecclesiæ tuæ regimen de voluntate maioris & sanioris partis fratrum electus, quia paucis contradicentibus non valebas debita pace gaudere: quidam amicus de conscientia tua & voluntate, perturbata tamen, ei qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsoluit: & sic, quam prius sustinebas, contradictio quieuit. Nunc autem dubitas, quod non sis simoniæ prorsus immunis, donec in administratione volueris remanere. Quia igitur per iam dictum cardinalem apostolicæ sedis consilium quæsiuisti, præsentium tibi significatione monstramus, quod multum tibi consulis, si administrationem prædictam celeriter & sponte dimittis, euangelici verbi memor existens: *Nil prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Matth. 16. Marc. 8.

*secreta

CAP. V.

Item Alexander tertius Rauennæ archiepiſcopo. Anno Christi 1179.

Cauſam quæ inter moniales ſanctæ Margaretæ ſuper diſcordiam & diſſenſiones electionis quam fecerant agitari dignoſcitur, experientiæ tuæ iam pridem commiſimus terminandam. Vnde quoniam ipſa cauſa in tantum protrahitur, *&c.* fraternitati tuæ, *&c.* quatenus infra duos menſes ad plus ſecundum tenorem aliarum literarum, quas tibi miſimus, in cauſa procedas, ita videlicet quod ſi ſoroores ipſæ electionem in epiſcopum contulerint promittentes, quod illam quam epiſcopus eis prouideret, reciperent, ipſam quam epiſcopus prouiderit eis, facias ab eis, appellatione ceſſante, in ſuam recipi abbatiſſam, ſi tamen idonea exiſtit. Si autem in cauſa procedere non poteris, dilectis filiis noſtris F. baſilicæ duodecim apoſtolorum, & priori ſancti Victoris ex parte noſtra ſignifices, vt in eadem cauſa procedant, & fine debito decidant.

Pars XLI.

DE INTERPRETATIONE VERBORVM ET RESCRIPTORVM.

CAP. I.

Item Alexander tertius Eboracenſi archiepiſcopo.

INTER ceteras conſultationes tuas id fuit propoſitum, quid teneri debeat cum aliqua ſub diſiunctione mandantur, quorum vnum erit verum, alterum falſum, puta ſi ponatur quod talis fuerit filius ſacerdotis, & in ſacerdotio genitus, ab eo qui proximus in eadem eccleſia miniſtrauit, vel quod ipſam eccleſiam illicite occupauit: cui quæſtioni taliter reſpondemus, quod conuenit iudici, quodcumque iſtorum conſtiterit, ei prædictam eccleſiam abiudicare, & idem in ſimilibus decernere.

CAP. II.

Idem Exonienſi & VVintonienſi epiſcopis.*

Significauit nobis D. presbyter, quod cum eccleſiam de *VVaplam per triginta annos poſſediſſet, monachi de Lentunen ſuper eadem eccleſia ipſum occaſione litera- *VVapellarum

ANNO CHRISTI 1179.

rum, quas ad venerabilem fratrem nostrum Herefordensem episcopum, & dilectum filium nostrum Ma. Vac. impetrasse dicuntur, absque cessatione fatigant, proponentes quod fuerit filius eius, qui ante eum in ecclesia proximo ministrauit, cum tamen pater eius sacerdos non fuerit, & decretum nostrum sit dumtaxat contra filios sacerdotum promulgatum. Quoniam ergo constitutiones nouæ futuris dant formam negotiis, fraternitati vestræ, *&c.* quatenus si memoratum presbyterum diutius ante Concilium Turonense præscriptam ecclesiam tenuisse constiterit, si alias idoneus extiterit, eum ab impetitione monachorum sublato appellationis remedio, absoluatis, non obstantibus literis contra ipsum impetratis, eo quod fuerit filius eius in eadem proximo ministrantis.

Constitutiones nouas futuris dare formã negotiis.

CAP. III. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

De hoc autem, quod circa finem literarum tuarum consulere voluisti, quid debeat obseruari, cum inter alios sponsalia contrahuntur, nec intelligit alter quod alter proponit: hoc tuam volumus discretionem tenere, quoniam inspiciendum est iudici, si matrimonium contracturi, ad id faciendum scientia sint idonei & ætate: quo cognito, si alter aliter intellexerit, quam alter proposuerit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur vterque verba prolata in eo sensu recipere, quem solent recte intelligentibus generare.

Pars capitis, Ex literis quas super causa. Supra de sponsalibus.

In dubiis ad communem intelligentiam recurri debere.

CAP. IV. *Idem abbati & fratribus de Riual.*

Cum ordinem Cistertiensem professi, eo quod priuilegio quo fratres alii gaudeatis, inter vos & clericos sæculares super decimis quæstione suborta, tacitoque quod sitis ordinis Cistertiensis, contra vos velut in monachos alterius ordinis, literas ab apostolica sede impetrantes, dein iuramentum litibus, sicut vobis significantibus accepimus, & expensis difficillimis inquietant: volentes ergo solicite vobis prouidere, ne contra tenorem priuilegiorum vestrorum possitis quorumlibet temeritate vexari, auctoritate apostolica vobis indulgemus, vt si contra vos super decimis vel aliis quæ ordini vestro specialiter apostolica sedes indulsit, non facta mentione Cistertiensis ordinis, literæ

fuerint a sede apostolica impetratæ, eis minime teneamini respondere. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. V. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Locus obſcurus.

Sicut ex literis tuis euidenter, frater episcope, accepimus, aduocatum H. clericus eum proposuit, H. clerico non debere respondere, eo quod filum fractum esset, quo nostra bulla pendebat, * vt cum literæ illæ a nobis impetratæ fuissent, & in nostra cancellaria compositæ, circumspectionem tuæ prudentiæ non immerito commendamus, quod hac occasione in causa procedere distulisti, in qua non decuit aliter quam feceris processisse.

* *f.* & dubitaretur vtrum literæ

CAP. VI.

Idem abbati de Rameſai, & archidiacono Helienſi.

Ex literis tuis ad nos directis accepimus, quod cum vobis causam, quæ inter dilectos filios nostros monachos de * Cois, & canonicos de Lincol. nec non etiam Geruasium clericum, super ecclesiis de *Ginprec & Arestanen agitari dignoscitur, commisissemus sub certa forma diffiniendam, & canonici literarum nostrarum auctoritate citati, aliquando coram vobis apparuissent, & interdum nec venire, nec responsalem mittere voluissent, se contumaciter absentantes, licet monachi ob contumaciam aduersæ partis essent in possessionem mittendi, sequestrari fecistis, vt sic saltem canonici affecti tædio, iudicio stare cogerentur. Tandem vero partibus in præsentia vestra constitutis, & memoratis monachis ecclesias sibi restitui postulantibus, canonici responderunt auctoritatem vestram penitus expirasse, eo quod a nobis ad alios iudices literas impetrauerunt, quæ præiudicare prioribus videbantur. Vnde quoniam in literis nostris posterioribus non fuit facta mentio priorum, nec nomina ecclesiarum continebantur, quæ in prioribus fuerant posita, sed indefinite dicebantur super quibusdam ecclesiis, non attendentes, malitiam & dolum nulli debere patrocinari, & nolentes tantam illusionem impunitam relinquere: discretioni vestræ, *&c.* quatenus cum exinde requisiti fueritis, partes ante vestram conuocetis præsentiam, & præscriptam causam secundum formam priorum literarum, omni occasione & appellatione cessan-

* Crois *Guiprec

In posterioribus priorum mentionem fieri debere.

ANNO CHRISTI 1179. cessante, diffiniatis: & canonicos, quoniam ausi fuerunt mandatum nostrum eludere, & per surreptionem huiusmodi literas impetrare, quod nuntius eorum plenius recognouit: ad metum & pœnam aliorum, expensas, quas *veniẽdo monachi nunc ad nos * mittendo fecerunt, eis, remoto appellationis obstaculo, reddere compellatis.

CAP. VII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Sane si a nobis super aliqua causa literæ prius impetrentur, & aliæ postea, non facta mentione priorum literarum, literæ obtinentur, si iudicibus innotuerit, donec Romanum pontificem consulant, & suam exinde plenius recognoscant voluntatem, executione literarum debent penitus supersedere, ne * pro varietate literarum, causarum fines valeant impediri.

* præ

CAP. VIII. *Item Lucius tertius Lincolnienſi episcopo.*

Ad aures nostras, te significante, peruenit, quod plurimi archidiaconi, præcentores, vel ecclesiastici præditi dignitatibus, super minoribus beneficiis per interpositas personas, literas impetrantes, nomen suæ supprimunt dignitatis, & simplici nomine se appellant, tamquam non habeant aliquem in ecclesia ista personatum: itaque rescripto nostro postulas edoceri, si fraus ista tacendi præiudicium ei debeat generare. Tuæ ergo consultationi taliter respondemus, quod cum non sit nostræ intentionis, vt personæ pluribus reditibus abundantes, per literas nostras pauperes clericos super minoribus beneficiis vexent, literas in quibus auctor nomen suæ dignitatis supprimit, vires aliquas nolumus obtinere.

CAP. IX. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Si autem aliquis auctoritate posteriorum literarum, per aduersarium ad iudicem tractus, obiecerit se priores habere, de quibus mentio non habetur, si eis dolo vel negligentia vti proposuit, excusari non debet. Si autem copiam iudicis delegati habere nequiuerit, per posteriores literas non poterit conueniri.

PARS XLII.

DE EXCEPTIONIBVS.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. I. *Idem eidem.*

EX parte fraternitatis tuæ fuit nobis requisitum, vtrum cum aliquam causam sub certa forma committimus, iudices delegati ita formam sibi commissam sequi debeant, vt rationabiles exceptiones non admittantur: super quo itaque tuæ prudentiæ taliter respondemus, quod si quandoque iudici expediat formam institutam seruare, debet tamen rationabiles exceptiones admittere,& in causa secundum iuris æquitatem procedere, nisi exprimatur in literis nostris, quod nullæ debeant exceptiones admitti: quod nec nos, nec aliquem prædecessorum nostrorum credimus expressisse.

Exceptionem inducunt, vis, metus, dolus, res litigiosa, transactio, pactio, expressa & tacita, iuratio, iudicatio, error, tempus, forum, fauor, odium, ætas, sexus, & similia. Exceptionum alia prima, alia secunda: Prima stat in generali nomine, & datur reo: Secunda transit in speciale nomen, & dicitur replicatio. Est autem replicatio exceptionis resolutio, quæ datur actori. Sed cum deinceps vtrinque multiplicantur exceptiones, earum nomina sunt, duplicatio, triplicatio.

CAP. II. *Idem abbati S. Albani, & abbati* Leicestriæ.*

Dilecti filii nostri, abbas & fratres monasterii sancti*Ebesli, nobis transmissa insinuatione monstrauerunt, quod cum A. clericus super ecclesia de Alitun, quæ ad prædictum monasterium pertinere dicitur, eis quæstionem mouisset, tacita veritate,non contra eos,sed contra quemdam vicarium, quem in eadem ecclesia constituerunt, ad venerabilem fratrem nostrum V Vigornienſem episcopum literas impetrauit.Cum autem idem episcopus prædictum vicarium vna cum eodem A. ante præsentiam suam conuocasset, vicarius ipse ac prior dicti monasterii, qui casu ad partes illas accesserat, memorato episcopo dixerat, quod idem vicarius super prædicta ecclesia conueniendus non erat, cum eam non suo nomine,sed abbatis possideret,

*Ebresli *Ebrusli *Eburlii

ANNO CHRISTI 1179. quare sibi exinde, absente abbate, & ignorante, respondere episcopo nullatenus tenebatur. Vnde ad nostram appellauit audientiam: sed prædictus episcopus, quod vix credere possumus, appellationi non deferens, abbate absente & *f. A. clerico ignorante, & non citato, ecclesiam ipsam prædicto * Vu. adiudicauit; in quo facto prædictus abbas & fratres se asserunt esse grauatos. Quia vero solicitudini nostræ incumbit, viris ecclesiasticis, & præcipue religioni & honestati deditis, iura sua integra seruare, & id quod inter alios actum sit, aliis præiudicare vel nocere non debet, discretioni vestræ, *&c.* quatenus partibus ante præsentiam vestram conuocatis, si vobis ita esse constiterit, præfato abbati & fratribus præscriptam ecclesiam, cum fructibus inde perceptis, amoto eo qui in eadem ecclesia intrusus est, nostra auctoritate freti, occasione & appellatione cessante, restitui faciatis. Restitutione autem facta, si de proprietate forte agere voluerint, causam audiatis, & eam, mediante concordia vel iudicio, sublato appellationis remedio terminetis. Supra, de spoliatis.

CAP. III.

Idem decano Lincolnienſi & abbati de Riuallis.

Accepta conquestione P. clerici, quod violenter ecclesia de Procebrant fuisset spoliatus, discretioni vestræ per A. S. præ. si bene meminimus, dedimus in mandatis, vt si per officiales venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi apostolicæ sedis legati, ex concessione ipsius in eadem ecclesia fuisset institutus, & inde per violentiam eiectus, eam sibi auctoritate nostra restitui faceretis. Quibus cognitis, responsum est sicut nobis.

DE SEPVLTVRIS, ET DEFVNCTORVM VOLVNTATIBVS.

PARS XLIII.

CAP. I. *Item Paſchalis ſecundus.*

VOLVMVS, ac iuxta Canonum sententiam nobis probabile videtur, vt sicut morienti conceditur, rerum suarum iudicium facere quocumque loco sibi placuerit, sic nimirum iustum est, sui corporis licentiam habere eli-

gendi sepulturam, in quocumque loco voluntas extiterit, siue in monasteriis, siue in aliis locis. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. II. *Item papa Leo tertius.*

Nos instituta maiorum patrum considerantes, illorum decreta firmando statuimus, vnumquemque in maiorum suorum sepulcris iacere debere, vt patriarcharum exitus docet. Nulli tamen denegamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim & magister sibi alienam elegit non propriam, qui sine peccato erat. Sed quia *dignus est operarius mercede sua*, tertiam partem iudicii sui illi ecclesiæ censemus iure dari, in qua cælesti pabulo a principio sui exordii refectus cognoscitur, vt iuxta Apostolum, sint socii consolationum, vt fuerunt passionum, & sic demum, vbicumque libitum fuerit, eligat sepulturam; aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri, qui per prophetam locutus est, dicens: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*, sub vinculo anathematis detestamur & contradicimus, nec nostrum est, nec alicui * vndique vel sacerdoti vel fideli laico vnquam licuit, sine magna delicti culpa, in talibus proferre iudicium, *&c.* ea quidem quæ mortuo posito ante sepulturam eius, facta fuerint, vel exigendo quod debitum esse dicetur, vel confessiones aliquas, aut fideiussores, aut pignora capiendo, penitus amputari præcipimus.

Matth. 27. *Luc.* 10. *Matth.* 10. 1. *Tim.* 5. 2. *Cor.* 1. *Proverb.* 22. * *f.* vtique

CAP. III.

Item Alexander tertius Cantuariensi archiepiscopo. Pars capituli; Qua fronte. supra de excommunicatis.

Super eo vero, quod defuncto aliquo, interdum religiosæ personæ, interdum ecclesiasticæ, interdum etiam sæculares, postulant sibi debita solui, quæ defunctus ipsis debebat, & nisi soluantur, ne corpus defuncti sepulturæ tradatur, vocem appellationis emittunt: hoc tuæ fraternitati duximus respondendum, quod si defunctus de rebus suis disposuit, & debita disponere prætermisit, nisi de solutione debitorum (dummodo sit soluendo) ab herede vel consanguineis defuncti sufficiens cautio detur, corpus eius, postposita appellatione, ecclesiasticæ sepulturæ non tradetur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. IV.

Item Gregorius Augustino Anglorum episcopo.

Monachi corpora hominum tam viuorum, quam mortuorum, ad ecclesiam suam deferre non audeant, sine consensu & petitione eius ecclesiæ, quæ ei dum viueret, consuluit, & consulendo viaticum suum administrauit. Quod si fecerint, veluti inuasores sanctæ ecclesiæ sub districta anathematis interpositione, quousque satisfaciant ecclesiæ, fieri præcipimus, omni remota fraternitatis occasione. Similis modo vnaquæque ecclesia totius ordinis, aliam quamlibet inuadere pertimescat: sin autem, eodem anathematis vinculo sciat se a nobis proculdubio subigi. 16. q. 1. Agapetus. 13. q. 2. Vbicumque.

CAP. V. *Item ex Concilio Maguntiensi, cap. primo.*

Si heredes iussa testatoris non adimpleuerint, ab episcopo loci illius omnes res, quæ his relictæ sunt, canonice interdicantur, cum fructibus & ceteris emolumentis, vt vota defuncti impleantur.

DE PRÆEMINENTIA LONDONIENSIS ET EBORACENSIS, & de priuilegiis generaliter vel specialiter indultis, & de eorum abusu & confirmationibus. PARS XLIV.

CAP. I.

Item Gregorius Augustino Anglorum episcopo.

CVM certum sit, pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reseruari, nobis tamen necesse est eis honorum beneficia tribuere, vt in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia noua Anglorum ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & eo laborante, perducta est, vsum tibi pallii ad sola Missarum solennia peragenda concedimus: ita vt per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuæ subiaceant ditioni, quatenus Londonienſis ciuitatis episcopus semper in posterum a Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & apostolica, cui auctore Deo deseruio, sede Lib. 12. epist. 15.

percipiat. Ad Eboracam vero ciuitatem volumus mittere, quem ipse iudicaueris ordinandum, ita vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, & metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque si vita comes fuerit, pallium tribuere, Domino fauente, proponimus, quem tamen tuæ fraternitatis dispositioni volumus subiacere. Post obitum vero tuum ita episcopis, quos ordinauerit, præsit, vt Londonienſis episcopi ditioni nullo modo subiaceat. Sit vero inter Londoniæ & Eboracæ ciuitatis episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur qui prior fuerit ordinatus. Communi autem consilio & concordi actione quæque erunt pro Christi zelo agenda, disponant, vnanimiter recta sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet discrepando perficiant. Tua ergo fraternitas, non solum eos episcopos quos ordinauerit, neque eos tantummodo qui per Eboracensem episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Domino Deo nostro auctore, subiectos, quatenus ex vita & lingua tuæ sanctitatis, & recte credendi, & bene viuendi formam percipiant, atque officium suum fide & moribus prosequentes, ad cælestia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. II.

Item Alexander III. Eboracensi archiepiscopo.

In hunc modum plures Romani pontifices a tempore beati Gregorii scripserunt. Nos antiquam Eboracensis ecclesiæ integram dignitatem conseruari, auctore Domino, cupientes, & prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, auctoritate apostolica prohibemus, ne vlterius aut Cantuarienſis archiepiscopus ab Eboracensi professionem exigat, aut Eboracensis Cantuarienſi exhibeat, neque, quod a beato Gregorio prohibitum est, vllo modo Cantuarienſis Eboracensis iurisdictioni subiaceat: sed iuxta patris eiusdem constitutionem, ista honoris distinctio in perpetuum conseruetur, vt qui prior ordinatur, prior habeatur. Sed si Cantuarienſis archiepiscopus, ab Eboracensi electo manus consecrationis subtraxerit, quod videlicet iuxta ecclesiarum suarum morem, ab Honorio sedis apostolicæ pontifice sibi debetur,

ANNO CHRISTI 1179. liceat eidem Eboracensi secundum communem consuetudinem, & Honorii patris nostri sanctionem, vel domini nostri Paschalis mandatum a suffraganeis auctoritate Romani pontificis consecrari.

CAP. III.

Idem vniuersis ecclesiæ Cantuariensis suffraganeis.

Cum non ignoretis, venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum vobis non solum metropolitico, sed etiam iure legationis præesse, mirabile satis est, quod quidam vestrum (sicut audiuimus) asseuerare præsumpserunt, quod idem archiepiscopus nullam causam de episcopatibus vestris, siue legationis, siue metropoleos iure, audire debeat, nisi per appellationem ad ipsum deferatur. Sane licet metropolitico iure forte non debeat causam de vestris episcopatibus, nisi ad eum per appellationem deferatur, audire, legationis tamen obtentu vniuersas causas, quæ de ipsis episcopatibus per appellationem vel per aliquam querimoniam perueniunt ad audientiam suam, audire potest & debet, sicut qui in prouincia * tua vices nostras gerere probatur. Mandamus itaque venerabilitati vestræ atque præcipimus, quatenus causas quæ de episcopatibus vestris ad eumdem archiepiscopum perferuntur, eius iudicio relinquatis: nec quemlibet clericum vel laicum vestræ iurisdictionis deterrere vel impedire tentetis, quo minus causas suas ad præfatum archiepiscopum, si voluerit, transferre possit.

9. q. 3. Conquestus. Dist. 65. Quoniam nos. 25. q. 1. Seruatis. 11. q. 1. Peruenit.

* vestra

CAP. IV. *Idem nobilissimo duci Venetiæ.*

Cum essemus Venetiæ, & ibi diutinam moram fecissemus, proposuisti nobis constanter atque solicite, sæpe contingere, quod cum inter clericum & laicum tuæ iurisdictionis de pecuniaria causa controuersia vertitur, clericus ad nostram appellat audientiam: & personis extra terram tuam existentibus, iurisdictionis causam impetrant quandoque committi, qui super huiusmodi causis iudicare nolunt, aut nesciunt legem aut consuetudinem Venetiorum. Vnde quia occasione ista tam frequenter a laicis clerici indebite fatigantur, & damna grauia sibi prouenire proclamant; nos fauore tuæ deuotionis inducti, & tuis

precibus inclinati, auctoritate apostolica tibi duximus indulgendum, vt si aliquando clericus de terra tuæ iurisdictionis super pecuniaria causa contra laicum ad nostram audientiam appellauerit, non nisi personis quæ de terra tuæ iurisdictionis sunt, & secundum legem & consuetudinem Veneticorum iudicare debeant, committamus: ita quod indulgentia nostra non debeat nisi nostro tempore durare. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. V.

Milites templi Hierusalem, * sub tempore gratiæ noui Machabæi, abnegantes sæcularia desideria & propria relinquentes, tollentes crucem suam, & secuti sunt Christum, ipsi sunt per quos Deus orientalem ecclesiam a Paganorum spurcitia liberat, & Christiani nominis inimicos expugnat. Ipsi pro fratribus animas ponere non formidant: & peregrinos ad sancta loca proficiscentes, tam in eundo quam in redeundo a Paganorum incursibus defendunt. Et quoniam ad tam sanctum & pium opus explendum eis facultates propriæ non suppetunt, præsentibus literis exoro, quatenus inde subleuetur eorum inopia, populum a Deo vobis commissum, collectas facere moneatis. Quicumque * de facultatibus a Deo sibi collatis, in ista secunda collecta se constituerint, eisque beneficium persoluerint per annum, septimam partem pœnitentiæ iniunctæ, confisi de beatorum apostolorum Petri & Pauli meritis, indulgemus. Si vero excommunicatus non fuerit, & eum mori contigerit, ei cum aliis Christianis sepultura ecclesiastica non negetur. Cum autem fratres ipsius templi, qui ad collectam destinati sunt suscipiendam, in ciuitatem, castellum, villam, aut vicum aduenerint, si forte locus interdictus sit, in iucundo eorum aduentu pro templi honore, & eorum S. militum reuerentia, semel in anno aperiantur ecclesiæ: & exclusis excommunicatis, diuina mysteria celebrentur. Quæ vero de non excommunicatis militum eorum fratribus sepulturæ tradendis, & excommunicatis in eorum aduentu exclusis semel in anno, a nobis statuta sunt, vobis mandantes præcipimus, vt per omnes parochias faciatis irrefragabiliter per omnia obseruari.

* addeq; qui

* f. aut ô de

Idem

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. VI.

Idem venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, & ceteris ad quos literæ istæ peruenerint.

Dilecti filii nostri fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod vos eis de malefactoribus suis iustitiam exhibere non vultis: priuilegia eorum inspicere contemnentes, nec ipsos eleemosynas quærere in vestris parochiis, aut confratres ipsorum sepelire, aliquatenus permittatis. Quoniam igitur iidem fratres multis sunt libertatibus & priuilegiis a Romanis pontificibus præmuniti, quæ vt nostris temporibus infringantur, nolumus sustinere: fraternitati vestræ, *&c.* quatenus iam dictis fratribus in his quæ a Romana ecclesia noscuntur indulta fuisse, nullam prorsus molestiam faciatis, nec ea sibi contradicere vel negare aliquatenus attentetis. Si de vobis in veritate talia de cetero poterimus comperire, pro certo sciatis, quod nos concessa vobis priuilegia decidemus, cum nostris & ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obuiare minime timeatis.

CAP. VII.

Idem episcopis, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis per Galliam constitutis.

Sane quoniam a prædecessoribus nostris & a nobis est statutum, vt scilicet Hospitalarios ipsos excommunicare, vel oratoria sua interdicere nemini liceat, vobis auctoritate præsentium iniungimus atque præcipimus, vt prædictos fratres Hospitalis Hierosolymitani, aut ecclesias suas interdicere vel excommunicare nullatenus præsumatis.

CAP. VIII. *Idem.*

Simili modo sancimus, vt quicumque in eorum fraternitate fuerit receptus, si forte ecclesia, ad quam pertinet, a diuinis officiis fuerit prohibita, eumque mori contigerit, eidem ecclesiastica sepultura non denegetur, nisi nominatim interdictus, aut anathematis vinculo fuerit innodatus.

Pars cap. In literis quas a nobis. sup. de potestate iudicum.

CAP. IX. *Idem fratribus Hospitalis Hierosolymitani.* ANNO CHRISTI 1179.

Peruenit ad nos transmissa insinuatione venerabilis fratris nostri * Herefordensis episcopi, quod vos occasione priuilegii ab apostolica sede vobis indulti, non semel tantum in anno, sed frequenter episcopatum eius visitatis, & interdictas ecclesias aperitis, vt diuina officia celebretis. Addit ad hæc, quod vos corpora defunctorum, si qua inhumata iacuerint, dummodo excommunicati non decesserint, ecclesiastici cœmeterii traditis sepulturæ. Quoniam igitur non decet vos aliquatenus vsurpare quod vobis non est indultum, cum priuilegium mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: discretioni vestræ, &c. quatenus sic tenorem priuilegii conseruetis, quod eius metas vel in his, vel in aliis transgredi minime videamini, nec nisi semel in anno in ecclesiis interdictis diuina præsumatis officia celebrare: scituri pro certo, quod si secus, quod non arbitramur, feceritis, vos a præsumptione vestra, Domino auctore, arctius compescemus.

* Eboracensis archiepiscopi.

CAP. X. *Idem Lexouiensi episcopo.*

Si quis rei litigiosæ confirmationem a sede apostolica impetrauerit, non minus iudex de causa potest cognoscere, & eam fine debito terminare. Sed si rem tunc pacifice possidebat, cum inde confirmationem obtinuit, non est tutum, aut licitum iudici de quæstione suborta postea sine mandato Romani pontificis decernere, aut eam diffinire.

PARS XLV.

DE SPONSALIBVS SECVNDO.

CAP. I. *Idem* Exonienſi episcopo.*

VENIENS ad nos V. lator præsentium, simplici nobis assertione monstrauit, quod in domo sua mulierem acceperit, de qua filium & filiam habuit, & fidem coram pluribus præstitit, quod eam duceret in vxorem. Interim vero cum in ciuitate quadam apud domum vicini pernoctaret, eius filia secum concubuit, & cum pater eos insimul in lecto inuenisset, summo mane ipsum eam inuitum desponsare coegit. Qui nuper in præsentia nostra con-

ANNO CHRISTI 1179. ſtitutus, nos conſuluit, cui potius adhærere deberet. Quia vero nequaquam nobis innotuit, vtrum poſt fidem præſtitam primam cognouerit: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rei veritatem diligenter inquiras, & ſi cognoueris quod primam poſt fidem datam cognouerit, ipſum cum ea facias remanere. Quod ſi poſt fidem datam eam non cognouerit, ſecundæ, niſi metu coactus, qui poſſet in quemlibet virum conſtantem cadere, eam deſponſauerit, tamquam vxori facias adhærere. 22. q. 4. Inter cetera. Sed ibi iurauit, hic non.

CAP. II. *Idem eidem.*

Ex præſentium latoris confeſſione percepimus, quod cum ipſe quamdam alterius vxorem in adulterio polluiſſet, pœnitentiam inde ſuſcepit. Sed poſtea in eumdem incidit, diabolo inſtigante, reatum, ac eamdem mulierem, viro defuncto, ſibi in matrimonium copulauit, eamque aſſerit in præſenti pro coniuge * retinere: Verum quoniam nos de ſalute animarum ipſorum ſolicite compellimur in Domino cogitare: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rem ipſam diligenter inquiras: & ſi tibi conſtiterit, quod ille vel illa in mortem prioris viri fuerit machinatus, vel ſi eo viuente fidem ipſi mulieri dederit, ſe eam in coniugem recepturum, eos non differas penitus ſeparare. Quod ſi neutrum iſtorum conſtiterit, in cauſa ipſa iuxta eccleſiaſticam conſuetudinem & canonica ſtatuta procedas.

* remanere:

CAP. III. *Idem eidem.*

Peruenit ad nos, quod quidam miles R. nomine, fide interpoſita, in multorum præſentia promiſit ſe contracturum matrimonium cum quadam puella filia Eduuini de Baſeleher: ſed poſtmodum, licet ex ea prolem ſuſceperit ſicut ipſe nobis aſſerit, fidem inde violare non timens, alteri adhæſit, & prædictam puellam quam dicitur defloraſſe, in vxorem ducere contradicit. Quoniam igitur non modicum delinquit, qui fidem violare præſumit: diſcretioni veſtræ, *&c.* quatenus rei veritatem diligenter inquiratis: & ſi vobis pro certo conſtiterit, præfatum militem prænominatam puellam in vxorem ducturum fide interpoſita promiſiſſe, & poſtmodum eam cognouiſſe, eumdem militem monere ſtudeatis, & diligenter inducere, vt

memoratam puellam, omni appellatione & contradictione ceſſante, in vxorem ducat: vel ſi commonitionem veſtram contempſerit, & eam in vxorem ducere noluerit, vel alter veſtrum, ſi vterque intereſſe non poteſt, illum ſub diſtrictione anathematis mandatum noſtrum adimplere compellat. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. IV. *Idem Lucenſi epiſcopo.*

Sane conſuluit nos tua diſcretio, quid faciendum ſit de muliere, quæ poſt mortem viri ſui, veſtibus precioſis abiectis, mutauit habitum, & de manu * presbyteri velamen aſſumpſit, ſed non renuntiauit propriis, nec intrauit clauſtrum, nec in manu epiſcopi, aut abbatis, aut abbatiſſæ, vel ſuper altare eſt profeſſa, vel obedientiam promiſit: poſtmodum vero anno elapſo, cum multorum inquietudines ferre non poſſet, & lapſum incontinentiæ formidaret, abiecto religionis habitu, cuidam nobili ſolenniter in facie eccleſiæ nupſit. Super hoc itaque conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſicut ſimplex votum matrimonium impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum: ita ſine profeſſione & propriorum renuntiatione, habitus ſuſceptio, ne contrahatur, impedit; ſed conſummatum nequaquam diſſoluit. * priorin

CAP. V. *Idem VVintonienſi epiſcopo.*

Non ſunt vna caro vir & mulier, niſi carnali copula cohæſerint: idcirco ſponſa defuncta intacta, eius ſoror ſponſo hoc non impediente, libere ducitur in vxorem.

CAP. VI. *Lucius tertius * Capriano epiſcopo.* * Rapor lenſi

Requiſiuit a nobis fraternitas tua, qua cenſura mulier compelli debeat, quæ iuriſiurandi religione neglecta, nubere renuit cui ſe nupturam interpoſito iuramento firmauit. Quæſiuiſti etiam, ſi cuius vir matris torum polluit, ad alia vota, cum filios deſideret, viro poſſit viuente tranſire. Ad quod breuiter reſpondemus, quod mulier quæ ſe nupturam iurauit, cum libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potius, quam cogenda, maxime cum coactiones huiuſmodi difficiles exitus ſoleant frequenter habere. Illa ſane, cuius vir cum matre adulterium & in-

Mulierem quæ ſe nupturam iurauit, nubere non cogendam.

ANNO CHRISTI 1179. cestum commisit, nec viro suo coniungi carnaliter, nec eo viuente, cum alio matrimonium inire valebit.

CAP. VII.

Item Hadrianus papa Eberardo Magdeburgensi archiepiscopo.

Dignum est & a ratione non discordat, quod ea quæ inter se dubietatis scrupulum videntur continere, ad apostolicæ sedis iudicium referantur, vt inde Christi fideles in dubiis certitudinem se gaudeant inuenire, vnde noscuntur magisterium fidei suscepisse. Tua nos fraternitas de seruorum coniugiis, quæ inuitis & contradicentibus dominis contrahuntur, quid fieri debeat, ab apostolatu nostro, si bene meminimus, requisiuit; super quo vtique duximus respondendum. Sane iuxta verbum Apostoli, prout tua discretio cognoscit, in Christo Iesu nec liber nec seruus est, qui a sacramentis ecclesiasticis sit amouendus, ita quod inter seruos matrimonia nullatenus debeant prohiberi: & si dominis inuitis & contradicentibus contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt ecclesiastico iure dissoluenda: debita tamen & consueta seruitia non ex hoc minus sunt propriis dominis exhibenda. *Galat. 3. Coloss. 3.*

CAP. VIII. *Idem ex Concilio Triburiensi.*

De Francia quidam nobilis homo mulierem de Saxonia lege Saxonum duxit in vxorem, tenuit multis annis, & ex ea filios procreauit: verum quia non eisdem vtuntur legibus Saxones & Franci, causatus est, quod eam non sua, id est, Francorum lege desponsauerit, vel acceperit, vel dotauerit: dimissaque illa, duxit alteram. Diffiniuit super hoc sancta Synodus, vt ille transgressor euangelicæ legis subiiciatur pœnitentiæ: a secunda coniuge separetur, & ad priorem redire cogatur. *Cap. 39. Concilii Tribur.*

DE POTESTATE IVDICVM. PARS XLVI.

CAP. I. *Idem episcopo Lucensi.*

CVM te consulentem postulas edoceri, vtrum ad te pertineat, sententiam quam in causis iudices a nobis in tua prouincia delegati protulerint, confirmare, licet de ipsis causis nihil in præsentia tractatum sit, respondemus,

quod ſententiam ipſam non teneris, ſi nolueris, confirmare. Sed id tibi ex officio tuo noueris imminere, vt ſi ad eorum mandatum iudicium non poſſit executioni mandari, eis præbeas auxilium & fauorem: & ipſam, ſi noueris rationabiliter promulgatam, poteris confirmare. Anno Christi 1179.

CAP. II. *Idem.*

Si ſuper cauſa quæ tibi ex noſtra delegatione committitur a perſonis eccleſiaſticis vna vel pluribus, quibus, vt parcas laboribus partium & expenſis, cognitionem ipſius cauſæ & teſtium examinationes, tibi ſententia reſeruata, committas, appellatio fuerit interpoſita, appellationis intuitu cauſam indefinitam relinquere non teneris.

CAP. III. *Idem* Exonienſi epiſcopo.*

Suggeſtum eſt auribus noſtris, quod clericus A. nomine, in ſacerdotio genitus fuerit ex inceſtu, & pro perſona perſonatum eccleſiæ de * Bradenar, in qua pater eius miniſtrauit, quod ſibi non licuit, matrimonium contrahere de quadam temeritate præſumpſit. Ceterum quia cauſam ſuper crimine non conſueuimus alicui committere, niſi primo comparerent in noſtra præſentia, qui perſonam illam ſuper eodem crimine vellent impetere, cauſam ipſam tibi iudiciario ordine non * commiſimus terminandam: diſcretioni tuæ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquiſita & cognita, ſi tibi conſtiterit, publicum & notorium eſſe, quod eſt de iam dicto clerico nobis propoſitum, maxime de matrimonio contracto, (quod ſi verum eſt, te latere non poterit) eum a præſcripta eccleſia, auctoritate noſtra, appellatione remota, non differas perpetuo amouere.

* Bradenau.

* committimus

Infra parte vltima c. 38. diffinitur quid ſit notorium.

CAP. IV.

Idem abbati & conuentui maioris eccleſiæ Monaſterii & H. eorum clerico.

Locus mendoſus.

Iampridem, ſicut bene meminimus, recepta querela veſtra a Ceſtriæ capellam de Herdelei, quam ad eccleſiam veſtram de Eſtun aſſeueraſtis iure parochiali ſpectare, contra iuſtitiam detinebant. Cauſam ipſam abbatibus Leiceſtriæ & Lilleshullæ commiſimus terminandam: ita

ANNO CHRISTI 1179. quidem, quod si vterque interesse non posset, alter nihilo minus, adscitis sibi discretis & honestis hominibus, in negotii executione procederet. Accidit autem inopinato rerum euentu, sicut ex literis tuis & fratrum vestrorum, fili abbas, intelleximus, quod antequam partes in iudicio apparuissent, abbas vnius loci, * Lileshull scilicet, de præsenti vita migrauit, cui vir alter in breui prudens & religiosus successit. Deinde abbas Leicestriæ, qui prius mandato nostro partibus diem ad agendum præfixit: habitoque consilio virorum prudentium & iurisperitorum, abbatem * Lileshull de nouo substitutum, porrecto illi mandato nostro, quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum, commissio literarum a nobis emanauit, sibi socium adduxit: & sicut ex literis eorumdem accepimus, cum vtraque pars legitime citata sæpius in eorum præsentia consisteret, auditis rationibus & allegationibus hinc inde, productis & testibus idoneis, & eisdem de non tacenda veritate iuratis, eaque diligenter inquisita, & cognita, cum de iure matricis ecclesiæ de Estun eis plenarie constaret, accepto multorum virorum legitimorum & approbatorum, tam laicorum quam clericorum testimonio, prædictam capellam de Herdeleia, ecclesiæ de Estun prudentium virorum consilio adiudicauerunt. Venerabilis etiam frater noster VVigornensis episcopus, qui tunc præsens aderat, eorum sententiam executioni mandauit, & monachos tuos, fili abbas, qui ibi aderant, & te quoque, fili H. procuratorum negotii in præscripta ecclesia, quæ in eiusdem episcopi diœcesi consistit, in corporalem per officiales suos possessionem introduxit. Quia igitur lites siue controuersiæ, quæ concordia vel iudicio finiuntur, in recidiuæ contentionis scrupulum non debent iterum aliquatenus redigi, præsentis scripti patrocinio eam vobis confirmamus, *&c.*

CAP. VI. *Idem Senonensi archiepiscopo.*

Ex transmissa nobis insinuatione G. & B. V. & vni. militum, intelleximus, quod cum R. de Canuill. eos super quadam possessione ante venerabilē fratrem nostrum * Veren. *Trecen. * Meten. episcopum traxisset in causam, nobilis comes C. de Capra, eorum dominus, a quo possessiones tenebant, sub debito

fidelitatis inhibuit, ne in iudicio ecclesiastico de sæculari feudo responderent. Itaque præfatus episcopus in eos velut contumaces, executionis sententiam promulgauit, *&c. Et infra:* Mandamus quatenus præfatos milites ab excommunicatione, contradictione & appellatione cessante, absoluas, *&c. Et infra:* Deinde causam per dominum fundi iubeas terminari: & si ipse malitiose quid distulerit, tu ei, sublato appellationis diffugio, debitum finem imponas. ANNO CHRISTI 1179.

PARS XLVII.

DE IVRE PATRONATVS.

CAP. I.

Idem Cantuarienſi epiſcopo.

DE iure patronatus capellæ de Stretton, hoc tuæ discretioni mandamus, vt si * R. Brito ipsum comparauit, cum inconueniens sit & inhonestum vendi ius patronatus, contractum illum, sublato appellationis remedio, irritum denunties & inanem, ipsumque, fretus auctoritate apostolica, non differas reuocare. * P.

CAP. II. *Idem Bathonienſi epiſcopo.*

Dilectus filius noster nobilis vir comes S. transmissa nobis insinuatione monstrauit, quod dum illustris rex Scotiæ patrimonium suum detinuisset occupatum, quibus voluit, & prout voluit, ecclesias, quarum gerebat patronatum, eo inconsulto concessit. Quoniam igitur ex iniuncti nobis officii debito tenemur vnicuique iura sua integra seruare, nolentes etiam quod præfatus comes occasione tali ius patronatus amittat: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus rei veritate diligenter inquisita, si ita esse tibi constiterit, intrusos amoueas: & si idoneæ personæ ab eo qui ius patronatus & præsentandi personas habet, ad præscriptas ecclesias fuerint præsentatæ, & personas ipsas de consensu & consilio prælatorum, quorum interest, de præscriptis ecclesiis, contradictione & appellatione cessante, inuestiges, nec ipsas contra formam iuris exinde a quoquam grauari permittas.

Idem

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. III. *Idem Cenomanensi episcopo.*

Parscapit. Tua nos duxit. supra de ordinatis.

Super eo quod subiungere voluisti, si de præsentatione presbyteri, inter aliquos quæstione suborta causam contigerit alicui delegari sub hac forma, vt si constiterit ius, de quo agitur, ad alterutram partium pertinere, ad præsentationem eiusdem de persona idonea ordinet ecclesiam appellatione remota, an liceat delegato iudici, inscio diœcesano episcopo, archidiacono vel archipresbytero reclamante, præsentatum sibi clericum in possessionem ecclesiæ mittere, præsertim si ignotus fuerit præsentatus, aut minus idoneus, aut si archipresbyter, aut archidiaconus, aut episcopus ad quem institutio pertinet, appellauerit, vtrum eorum appellationibus sit deferendum: hoc tuam volumus discretionem tenere, quod licet quæstionem quæ de præsentatione vertitur, appellatione remota, committamus alicui terminandam, non tamen intentionis nostræ est, diœcesano episcopo, vel archidiacono, vel archipresbytero præiudicium generare. Ideoque præsentandus est illi, qui instituendus fuerit, & tenebit eorum appellatio, si videntes iuri suo detrahi, duxerint appellandum: quia non illis, sed partibus inter quas causa commissa est, appellationis remedium est sublatum.

CAP. IV. *Idem illustri regi Anglorum.*

Quanto te diuina gratia summaque prouidentia maioris gratiæ priuilegio decorauit, tanto viros religiosos maiori debes caritate diligere, & in iustitiis suis manutenere propensius & fouere. Causæ patronatus ecclesiarum ita iunctæ sunt & connexæ ecclesiasticis causis, quod non nisi ecclesiastico iudicio valent diffiniri, & apud iudicem ecclesiasticum solummodo terminari.

Non sine ecclesiastico iudicio causam patronatus diffiniri.

CAP. V. *Idem Norvvicensi episcopo.*

Continebatur in literis a te nobis transmissis, quod cum super decima de Querche, inter magistrum Hubertum, & magistrum N. de mandato nostro coram te verteretur, constiterit tibi quod M. abbatissa sanctæ Mariæ de VVint, pro communi voto, & vnanimi consensu assensum præstante, decimam ipsam prædicto H. concessit,

Rad. VVinton. archidiaconus per clauem & librum sibi exinde inuestituram fecit, magister vero N. probauit coram idoneis testibus, quod præfata abbatissa præscriptam decimam sibi prius dederat, conuentu non contradicente, quam ea præfato Huberto dedisset, & quod a diœcesano episcopo eius fuerit concessio confirmata. Vnde quia nos consulere voluisti, cui concessioni innitendum sit, consultationi tuæ taliter respondemus, quod concessio prius facta, si conuentu sciente & non contradicente facta est, robur firmum debet habere. Verum si præfata abbatissa, ignorante conuentu aut contradicente prius prædicto N. decimam suam concessit, & non post multum tempus de assensu conuentus, eamdem decimam memorato Huberto dedit, sic vt tibi eam datam fuisse constet, secunda concessio debet præiudicare priori. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. VI.

Idem canonicis fratribus & monachis in episcopatu Saren. ecclesias habentibus.

Ex transmissa nobis insinuatione venerabilis fratris nostri Iocel. * Saren. episcopi accepimus, quod cum in episcopatu de * Saren. habeatis ecclesias, de quibus censum annuatim percipitis, earum rectoribus decedentibus, auctoritate propria easdem ecclesias occupatis, aut etiam clericos in eis ponitis. *Et infra:* Infra duos menses postquam ecclesiæ prædictæ vacauerint, ad eas memorato episcopo, omni occasione & appellatione remota, idoneas personas præsentetis, vt per ipsum curam animarum recipiant. *Et infra:* Illud quoque nihilo minus prohibemus, ne censum vestrum in prædictis ecclesiis sine prædicti episcopi assensu augeatis, sed in eis constituto antiquo censu sitis contenti. * Sarn.

CAP. VII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Relatum est auribus nostris, quod quidam clerici in beneficiis ecclesiasticis centum vel ducentarum marcarum reditus possidentes, & proponentes primas vacantes ecclesias a monachis vel canonicis aut aliis ius patronatus habentibus sibi fuisse promissas, ne in illis cum vacant, instituantur alii, appellationem emittunt, vt interim

ANNO CHRISTI 1179. arte aliqua suum valeant adimplere propositum. Quia igitur consulis, an diœcesano episcopo huiusmodi appellationi sit deferendum, præsentibus tibi literis respondemus, quod cum in Lateranensi Concilio promissiones factæ de ecclesiis non vacantibus sint cassatæ, prætextu appellationis eorum, qui iam prædictis promissionibus innituntur, omitti non debet, quin ecclesiæ, cum vacauerint, de personis idoneis ordinentur.

CAP. VIII.

Idem abbati Remestrensi & archidiacono Exonienſi.*

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam in multo discrimine sui corporis & laboris V. lator præsentium, simplici nobis relatione proposuit, quod tempore hostilitatis & guerræ, miles quidam R. nomine, fundum R. militis occupauit; quem diu illicite detinens, magistro & fratribus Hospitalis clericorum ecclesiam in eo sitam concessit. Magister vero & fratres Hospitalis prædicti, clericum quemdam nomine R. ibidem instituerunt, qui inde annis singulis soluebat pensionem. Longo vero tempore post prædictus R. fundum suum recuperans per iustitiam, omnia quæ alienauerat possessor violentus ad ius pristinum reuocauit, & cum in ecclesia ibidem fundata sciret se ius tantum datoris habere, concessioni, quæ memorato R. de præscripta ecclesia facta fuerat, consentire nullatenus voluit. Sed* V. venerabili fratri nostro Eboracensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, in* e. ad ecclesiam* tandem præsentauit, qui præsente magistro Hospitalis, cui prius fuerat concessa, & non reclamante, eumdem V. suscepit, & in prælibata ecclesia ordinauit. Interim autem clericus R. qui eam alieno nomine possidebat, furto irretitus, & exinde, quia crimen eius notorium fuit, rebus furatis in arca sua repertis, grauiter puniri metuens, eo quod ad aures regias scelus eius peruenerat, habitum religionis assumpsit: qui infra annum apostolicum adiit, & scriptum apostolici culminis, in quo continebatur, vt si monstrare posset, quod timore mortis claustrum intrasset, de religionis voto absolueretur; a nobis obtinuit, cognito quod timor ille ex praua conscientia perpetrati sceleris proue-

*Vu.

*eamdē

niebat. Alias autem literas & ad abbatem de Fontibus, & priorem de Giſſeburne reportauit, in quibus continebatur, prædictum Vu. poſt appellationem ad nos factam intraſſe, & ipſum prius fuiſſe violenter eiectum; illi, amoto alio, eccleſia redderetur. Cumque idem V. a iudicibus delegatis citatus, ſibi dari canonicas inducias poſtulauerit, & ipſi dilationem ei dare penitus renuerint, exiſtimantes quod literæ iſtæ per falſam ſuggeſtionem eſſent impetratæ, & quod nos de facto non fuiſſemus plenius inſtructi, a falſa ſuggeſtione ad nos appellauit, & a præſentia iudicum receſſit. Iudices vero, quoniam in cauſa principali ſublatum fuerat appellationis remedium, audito teſtimonio quorumdam, qui eumdem R. in poſſeſſione eccleſiæ illius eſſe viderunt, & interdum ſynodalia ſoluere, eidem poſſeſſionem eiuſdem eccleſiæ adiudicauerunt, & ipſum per nuntios de eadem eccleſia inueſtiri fecerunt. Verum quoniam dubium nobis & incertum exiſtit, an prædictus R. ita nos falſis ſuggeſtionibus circumuenire præſumpſit, & nemini fraus propria vel dolus debet prodeſſe: diſcretioni veſtræ, *&c.* quatenus cum exinde fueritis requiſiti, in vnum pariter conuenientes, vtramque partem ante præſentiam veſtram conuocetis: & eorum inquiſita veritate, quæ hincinde fuerint dicta, & plenius cognita, cauſam ipſam, appellatione remota, fine canonico terminetis: ſcilicet, vt ſi vobis conſtiterit, quod crimen illud notorium fuerit, quod timore illorum dictus R. religionis aſſumpſerit habitum, & idem V. per archiepiſcopum fuerit canonice inſtitutus, ei eccleſiam ipſam, occaſione & appellatione remota, reſtitui faciatis, & libere pacificeque * dimitti, non obſtantibus literis noſtris, ſi taliter fuerint, vt diximus, impetratæ.

ANNO CHRISTI 1179.

Nemini ſuum dolum prodeſſe debere.

* cõmitti

CAP. IX.

*Idem * Exonienſi & V Vigornienſi epiſcopis.*

Si vobis conſtiterit, clericum de dono militis eccleſiam vendicare, ſuper eccleſia illi, noſtra freti auctoritate, appellatione ceſſante, perpetuum ſilentium imponatis. Si vero ius patronatus ex dono eiuſdem militis in eccleſia illa requiritur, vos cauſam audiatis, & concordia vel iudicio terminetis.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. X.

Idem episcopo Herefordensi & abbati de Euesham.

Ad aures nostras, G. clerico insinuante, peruenit, quod cum presbyter qui in ecclesia beatæ Mariæ ante portas Glouceſtri, monachorum perpetuam vicariam obtinuerat, in fata conceſſiſſet, abbas & monachi ipſius loci diuino intuitu præſcriptam vicariam ei conceſſerunt. Cum autem per præfatum abbatem & capitulum ad eamdem vicariam G. diœceſano fuiſſet episcopo præſentatus, quidam I. de Conſtantiis nomine, inſtitutionem eius quarumdam literarum intuitu, continentium quod idem abbas ei eccleſiam quæ primo vacaret, conceſſerat, impediuit: hinc eſt quod diſcretioni veſtræ, *&c.* quatenus ſi præfatus L. a vobis ſuper hoc requiſitus, aliam cauſam rationabilem non prætenderit, niſi conceſſionem eccleſiæ quæ primo vacaret, pro eiuſdem contradictione vel appellatione nullatenus dimittatis, quin auctoritate noſtra diœceſano episcopo mandetis, vt ad præſentationem prædicti abbatis & monachorum, ſupradictum G. ad vicariam præſcriptam recipiat, & ei curam animarum committat, ſicut moris & iuris eſt, ſi aliud non eſt quod eius inſtitutionem debeat impedire.

DE PACTIONIBVS SECVNDO.

PARS XLVIII.

CAP. I.

Alexander tertius V Vigornienſi epiſcopo.

VENIENS ad apoſtolicæ ſedis clementiam dilectus frater noſter magiſter V. de Flameuill, ſua nobis inſinuatione monſtrauit, quod cum monachi maioris monaſterii terras in parochia beatæ Mariæ de Mertun excolant, ab eadem eccleſia coloni eorum omnia eccleſiaſtica tam neceſſaria quam voluntaria ſuſceperint ſacramenta: & tamen eidem eccleſiæ ſuas & Canonibus ſacris inſtitutas decimas ſoluere contradicunt, ſed de frugibus ei tertiam partem ſoluerunt, & duas ſibi retinere præſumunt. De reliquis autem minutis decimis, vtpote nutrimentis animalium & fructibus hortorum, nil penitus præſtare non eru-

beſcunt: arbitrantur autem ad hoc ſeſe tueri cuiuſdam tranſactionis pactione inter præfatos monachos & quemdam ſacerdotem memorati V. prædeceſſorem ita factam, videlicet vt de duabus carrucatis terræ, quas in dominio ſuo monachi tenent, tertiam dumtaxat decimarum partem frugum exoluere debeant, reliquas ſibi retinendo. Quo fit, vt exinde occaſionem ſibi ſumentes malignandi, prædia ex agricolarum defectu ad eos deuoluta, monachi in ſuum magis aſtute, quam prouide dominium conuertant: & quatuor vel forte plures carrucatas duabus aggregent, non aliter de illis decimis præſtantes, quam de duabus præſtitiſſent, cum ſecundum tenoris compoſitionem integras de illis decimationes ſoluere tenerentur. Quapropter diſcretioni tuæ, *&c.* quatenus cum exinde fueris requiſitus, vtraque parte ante tuam præſentiam conuocata, rei veritatem diligenter inquiras, & niſi priuilegium clementia ſedis apoſtolicæ ſibi ſuper hoc indultum coram te præfati palam produxerint, vel niſi tranſactionem ſibi ſcriptam, auctoritate apoſtolica confirmatam eſſe docuerint, cum alioqui inter perſonas potius quam inter eccleſias ita facta videatur, ne pacta inter alios facta, aliis obeſſe patiamur, omni dilatione & appellatione remota, præfatos monachos & eorum agricolas decimationes vniuerſas, ex quibuſlibet rebus prouenientes, ex integro abſque omni diminutione ſupradictæ eccleſiæ beatæ Mariæ de Mertun, iugi præſtatione ſingulis annis præſtare, & etiam illorum quæ illicite detinuerunt, certam æſtimationem reſtituere, cum omni diſtrictione compellas. Quod ſi diſcretioni tuæ ſecundum ea quæ proponuntur tibi in iudicio, viſum fuerit, præfatos monachos non niſi ad tertiæ partis decimationum præſtationem ſecundum iuſtitiam vrgere poſſe, tunc omnium eorum quæ Canones decimanda decreuerunt, appellatione remota, ſupradictos monachos tertiam partem eccleſiæ iam dictæ, apoſtolica auctoritate præſtare decimas cogas.

Anno Christi 1179.

Pacta inter alios facta, aliis non obeſſe.

CAP. II. *Item Gregorius vniuerſis epiſcopis.*

Scripta fraternitatis veſtræ relegentes, agnouimus quod hi qui contra Hadrianum fratrem & coepiſcopum N. aliqua dixerant, modo cum eodem epiſcopo in amicitiam

ANNO CHRISTI 1179. conueniſſent, & magna nobis ad præſens facta eſt de eorum vnitate lætitia. Sed quoniam ea quæ dicta ſunt, indiſcuſſa permanere non patimur, ſedis noſtræ diaconem ad ea inueſtiganda dirigimus: quia nos facinora ea quæ audiuimus, diſſimulare non debemus, præſertim cum accuſatores & accuſatum gratiam inter ſe iudicaſtis feciſſe: hoc vobis neceſſe eſt ſubtiliter perſcrutari, ne forte eorum comparata concordia, quod abſit, non ex neceſſitate, ſed præmio facta eſſe conſtiterit.

CAP. III.

Vrbanus tertius abbatibus de VVillebec & de Sulueſtun.

Gratum gerimus & acceptum, quod in negotiis commiſſis veſtræ iuriſdictioni, debitam curam impenditis, & in his quæ dubitationem faciunt, pro grauitate veſtri officii cenſuram ſedis apoſtolicæ poſtulatis. Sane conſuluit nos veſtra diſcretio, an ante obitum delegantis, propoſito citationis edicto, lite vero poſt mortem delegantis conteſtata, delegatus iudex nihilo minus debeat in cauſa procedere: & vtrum is intelligatur appellationi renuntiaſſe, qui ea interpoſita ad producendos teſtes inducias poſtulauit, & deinde productioni & allegationi renuntians, atteſtationes petiit ſolenniter publicari, ſicut hoc totum circa deceſſum bonæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Lucii, qui vos iudices delegauit, ſub examine veſtro aſſeritis contigiſſe. Nos autem inquiſitioni veſtræ taliter reſpondemus, quod cum in priore caſu citatione facta quaſi cœptum ſit negotium, & maxime, ſi delegatus non ſit certus de obitu delegantis, poteſt & debet in cauſa procedi: tenebitque quod iuſtitia præuia fuerit iudiciali tramite diffinitum. In ſecundo caſu videtur ab appellatione receſſum, ſi ſecundum ea quæ præmiſſa ſunt, eum qui appellauerat, conſtiterit proceſſiſſe.

7. q. 1. Si quis preſbyter. 11. q. 3. Si quis epiſcopus. 16. q. 3. Per ſingulas.

ANNO CHRISTI 1179.

. . . . . .

Huius partis titulus in archetypo erasus fuit, ideoque hic nõnihil vacui est relictũ.

CAP. I.

Gregorius octauus vniuersis fratribus episcopis, & archidiaconis ad quos literæ istæ peruenerint.

PARS XLIX.

VEL ex dolo, vel ex malitia litigantium, vel ex defectu nostro credimus prouenire, quod tanta negotiorum frequentia diebus singulis perurgemur, vt imbecillitate proprii corporis laborantes, minori etiam diligentia impediti, omnibus non possimus commode superesse, aut vndique contradicentium clamores aut murmura sustinere. Hinc etiam euenit, quod negotiis minoribus occupati, maioribus intendere non valemus, prout necessitas ecclesiastica postularet. Et quæ diffiniri vel disponi per nos breui tempore potuissent, expectatione diutina plusquam oportet, multis pariter irruentibus producuntur. Quocirca per generalem epistolam remedium huic rei duximus prouidendum, ne multimodo impediamur incursu, vel sua iniuriam patientibus possit iustitia deperire. Eapropter vniuersitati vestræ per A. S. præsentibus mandamus, quatenus si forte de modicis rebus, quæ infra summam viginti marcarum subsistunt, in auditoriis vestris causa ventiletur, & alteruter litigantium delusorie putauerit appellandum: eius appellatione contempta, infra fines vestrorum episcopatuum eos eligere iudices, qui suspicione careant, compellatis: si tamen idonei ibi fuerint inuenti, in quorum præsentia iurgium sopiatur: a quibus si qua partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum siue primatem vocem appellationis emittat. Si vero tale negotium sit, quod summam contineat aliquatenus ampliorem, infra fines vestrarum diœceseon, si sponte noluerint, inuiti non cogantur. Cognitores tamen de vicinis episcopatibus aliquos eligere compellantur, iuxta formam quam præmisimus, negotium tractaturos, in maioribus causis & obscurioribus articulis appellandi ad sedem apostolicam copia seruata. Non enim videtur malitiæ suspicione carere, quod plerique suos aduersarios ad præsentiam nostram laborare compellunt. Ceterum si qui litigan-

Sup. de appellationibus.

ANNO CHRISTI 1179. tigantium a proximo festo purificationis super causis, de quibus episcopus cuius iurisdictioni saltem is qui conuenitur, non subiacet, non fuerit requisitus, vel iudices, clerici supradicto modo non fuerint electi, & literas a nobis duxerint impetrandas, per quas examinatio iurgiorum vel diffinitio iudicibus non ordinariis committatur, careant impetratis, & ad suorum audientiam iudicum ordine debito negotia reuertantur. Sic enim subterfugiis occurrere disceptationum volumus, vt dum eorum calliditatibus obuiamus, eis alium ad iustitiam aditum referemus. Cum vero aliqui iustam causam habuerint nostram præsentiam adeundi, literas eis dimissorias non negetis, seriem negotii continentes. Hoc autem de factis ad nos appellationibus disponentes, super illis quæ ad archiepiscopos vel primates fieri contigerit, antiquorum ordinem Canonum non mutamus.

CAP. II. *Idem eisdem.*

Quoniam ad episcoporum maxime spectat officium, afflictis & laborantibus subuenire, vnumque illorum (licet deficientibus meritis) Deus nos esse voluerit, prospicere tenemur, & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem ecclesiæ, laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & alleuiare labores, de consueta misericordia duximus statuendum, vt literæ prædecessoris nostri Vrbani tertii a tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro facienda iustitia & litigiis dirimendis, quæ tamen manifestum alicuius præiudicium non continent aut calumniam æquitatis, eumdem habeant tempore administrationis nostræ effectum, quem habere, si adhuc ille viueret, debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite quod mandauit agendum, & nemo ad nos excusatione huiusmodi accepta de sua iustitia obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare.

CAP. III.

Ex literis quas ad nos tua destinauit fraternitas, euidenter accepimus, quod cum causam quæ vertitur inter

magistrum H. de Hillesdale, & R. de Alta ripa, super capella de Cabisein, de mandato nostro susceptisti terminandam, & literas nostras in communi audientia perlegi fecisses: prædictus R. sibi eas postulauit exhiberi. Qui literis diligenter inspectis, eas arguit falsitatis, hac de causa scilicet, quod in narratione facti sint abrasæ, vbi scriptum est, Iure parochiali: asseuerans se probaturum in præsentia nostra, quod tales literæ de cancellaria nostra non emanassent. Vos autem videntes formam literarum a rationis tramite minime deuiare, ab executione causæ subsistere noluistis, præfato R. iuramentum deferentes, quod nec subterfugii, nec dilationis causa hoc allegasset, sed quod ita esse credebat. Iuramento autem ad diem præfixum non præstito, memoratum H. in possessionem causa rei seruandæ iudicastis induci, & quod quidam laicus seruiens eidem R. vestro iudicio restitit, excommunicatus est, & ex ecclesia sub interdicto conclusus: prædictus R. ad nos accedens, & tacens (prout dicitur) quod in commissione appellatio fuit inhibita, nec mentionem faciens * arrogationis literarum, aut iuramenti eidem delati, & non præstiti, seu sententiæ missionis in possessionem causa rei seruandæ, literas ad Londonienſem & Norvvicenſem episcopos impetrauit in hunc modum, vt si quid in præiudicium memorati R. occasione prioris commissionis factum fuisset, nostra auctoritate in irritum reuocetur. Cumque præfatus N. citatus a Norvvicensi episcopo, qui suas & Londonienſis episcopi vices gerebat, coram eo literas, tacita veritate, impetratas diceret, metuens executionem sententiæ fieri, Norvvicenſem episcopum suspectum habens, cui præfatus R. multa familiaritate coniunctus, vt qui Londonienſis episcopi nepos erat, & eius panem quotidie comedere dicitur, ad nos appellauit. Vnde quoniam propria fraus nulli debet prodesse aut patrocinium ministrare, nos inspicientes literas nostras, & videntes quod per illam rasuram falsæ non possent iudicari, nec etiam suspectæ haberi, præsertim cum etiam priuilegia in possessionibus abradantur, & literæ in narratione, si est in facto erratum, incunctanter possint abradi: nec literæ illæ in suspecto loco fuerint abrasæ: vestræ fraternitati mandamus, quatenus si quid factum fuerit in præiudicium

Anno Christi 1179.

* *f.* abrasionis

Dolum non patrocinari.

Rasura quæ non suspecta.

ANNO CHRISTI 1179. memorati H. occasione literarum, quas sæpedictus R. a nobis non facta mentione de appellatione inhibita aut de iuramento illi delato, & non præstito, appellatione remota, in irritum reuocetis, & sententiam vestram inuiolabiliter faciatis obseruari, & eumdem R. in expensas portitoris literarum, pro eo quod a probatione sua destitit, condemnetis. Postea vtraque parte ad vos conuocata, causam audiatis, & secundum tenorem abrasarum literarum, quas vobis sub sigillo nostro remittimus, fine canonico terminetis, nullis literis obstantibus. Si vero temeritatem & fraudem illius velimus attendere, & illum suis meritis iudicare, illi super eadem ecclesia faceremus silentium imponi.

CAP. IV.

Ex tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod cum P. parochianus tuus ab A. muliere, quam in vxorem acceperat, tuo vellet iudicio separari: accusatores matrimonii testes producunt, firmiter asserentes, quod priusquam mulier cum prædicto viro matrimonium contraheret, consanguineum viri cum illa, solum videlicet cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentem viderunt, ea (vt creditur) intentione, vt ei carnaliter adhæreret. Publica quoque fama consentit, quod postquam matrimonium cum ea contraxit, se ad inuicem miscuerunt: quod in præsentia tua publice, vt asseris, sunt confessi. Dicitur etiam de muliere, quod a marito se simulans concepisse, alienum partum iam baptizatum (vt fertur) se mentita est peperisse: & rebaptizari faciens, virum suum sic decepit. Præterea veneficum periculum, & alias vitæ insidias viro parasse perhibetur. Quia igitur nos consuluisti, si hæ probationes ad matrimonium soluendum sufficiant, sic respondemus, quod tum ex confessione, tum ex violenta & incerta suspicione fornicationis, præsertim scilicet, quod de partu & mortis machinatione dictum est, & ipse probare vellet, non immerito potest diuortii sententia promulgari: ita vt vir licentiam habeat, ea mortua, aliam ducendi in Domino, ipsa vero sine spe coniugii perpetuo perseueret.

CAP. V.

ANNO CHRISTI 1179.

*Alexander tertius archiepiscopo Rothomagensi & abbati * Geomar.*

Ex quorumdam certa relatione audiuimus, quod cum aliqui viri ecclesiastici, de prouincia vestra pro iustitia sua prosequenda literas commissorias a nobis impetrant, aduersarii eorum, vt mandatum nostrum eludant, antequam literæ illæ ad iudicem perueniant, vel literis nostris a iudicibus receptis, priusquam ab eis citentur, in vocem appellationis prorumpunt: aut conuentionem facientes, aliquos in possessionem eorum, de quibus controuersiæ vertuntur, malitiose inducunt. Quoniam igitur huiusmodi calliditates & versutiæ suis non debent in aliquo auctoritatibus suffragari, & nos contra prædictas calliditates & versutias, pastorali volumus solicitudine prouidere: discretioni vestræ, *&c.* quatenus si aduersarii, inter quos & ipsum super ecclesia controuersia diutius est agitata, pro euacuando mandato nostro supradicto modo appellauerint, aut de possessione qualibet * conuentionem fecerint, vel malitiose se absentauerint, eos qui in possessione prædictæ ecclesiæ se ingesserint, appellatione cessante, cogatis sub examine vestro iuris æquitati parere.

11. q. 3. Si episcopus.

* cõmutationẽ

CAP. VI. *Lucius tertius.*

De his qui in sanitate vel infirmitate ad loca religiosa se transtulerint, nil tibi vel ecclesiis, a quibus receperunt pabulum salutis, relinquentes: hoc tuæ prudentiæ innotescat, quod si in ægritudine ipsa ad religionem transeunt, dummodo in ægritudine ipsa decedant, prædictis ecclesiis, a quibus assumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi. Si vero ad religiosa loca in sanitate se transtulerint, cogi non possunt aliquid præscriptis ecclesiis impertiri: quia liberum est eis tunc bona sua non solum religiosis locis, sed etiam quibuscumque priuatis personis conferre.

CAP. VII. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, *&c.* Super hoc quod quæsiuisti, vtrum super ecclesiastico beneficio in

ANNO CHRISTI 1179. litigium deducto, possit fieri transactio: tale damus, sicut iampridem (si bene meminimus) alii non absimile quærenti dedimus responsum: quoniam secundum formam transactionibus adscriptam, super re sacra litigiosa minime transigi potest. Etenim res sacra vt possideatur aliquo dato, vel promisso, vel retento, speciem habere non immerito credimus simoniæ. Alias autem gratis & amicabiliter inter se litigantes componere, sacris Canonibus non dicimus obuiare.

29. Quæst. 7. Decimas. 1. q. 1. Nullus episcopus 1. q. 3. Quæsitum.

CAP. VIII.

Alexander III. Norvvicensi episcopo.

Quæsitum est a nobis ex parte tua, vtrum iudex ordinarius vel alius cui delegatus mandauit vt citaret partes vel exequeretur sententiam, delegato teneatur obedire, cum non sua, sed delegantis vice fungatur; & cum iurisdictio delegatur, omnia quæ ad iurisdictionem faciunt, delegari videantur: merito potest delegatus tam ordinarium, quam alium cui mandauit, cogere ad id efficiendum quod mandauit: & ei qui obedire contempserit, pœnam infligere competentem.

CAP. IX.

Quoniam ex plenitudine potestatis, *&c. Et infra:* Super eo quod quæsiuisti, vtrum ecclesiastica beneficia reposcentibus obiecta spontaneæ abiurationis exceptio sine causæ cognitione sit admittenda, & an actoris, qui sponte non renuntiauit, an rei de spontanea renuntiatione testes & probationes sint potius admittendæ: sic experientiæ tuæ duximus respondendum, quod hoc nulla ratio verisimile reddit, vt quisquam beneficio multis forte laboribus & expensis acquisito, & quo sustentari debet, sine magna causa renuntiare sponte elegerit: ideoque superuacaneum esse non credimus, causam resignationis siue renuntiationis diligenter inquirere, quatenus si forte probabilem, hoc est, non vi, non metu, non interuentu pecuniæ, non promissione extortam, iudex ordinarius siue delegatus inuenerit, & maxime si iuramentum, quod vix fieri de spontanea voluntate credimus, quia iuramentum fere semper a malo est, interceserit, admittere, nisi replicatio ca-

Negantis factum probationes admitti.

nonica fuerit oppoſita, non proponat. Porro licet negantis factum nulla inueniri poſſe probatione dicatur, eius tamen qui renuntiationem ſpontaneam negat, cum implicite & quodammodo replicando inficiatur, ſuper actione ſua probationes credimus proferendas, habita nihilo minus, vt decet, ad perſonarum dignitatem & opinionem relatione. Anno Christi 1179.

CAP. X. *Ex decretis Hormiſdæ papæ.*

Nullus fidelis, cuiuſcumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat: ſed benedictione accepta a ſacerdote, publice nubat in Domino. Si quis ergo ſacerdos aliquos occulte coniunxiſſe inuentus fuerit, ab officio triennio ſuſpendatur.

CAP. XI.

Dunelmenſi epiſcopo & fratribus Reuesbi.

Propoſuit nobis dilectus filius noſter Vu. clericus præſentium lator, quod cum ipſe ad eccleſiam de * Vuadher, a Reinero Flandrenſi venerabili fratri noſtro Eboracenſi archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato præſentatus fuiſſet, idem archiepiſcopus eum ad eccleſiam non recepit. Inde eſt quod diſcretioni veſtræ per A. S. mandamus, quatenus ſi idem archiepiſcopus ad commonitionem veſtram præfatum Vu. in ipſa eccleſia, quam citius poterit non inſtituerit: vos rei veritatem legitime inquiratis, & ſi vobis conſtiterit ex parte Vu. dummodo idoneus ſit, quod ad ipſam vacantem fuerit prædicto archiepiſcopo præſentatus, ad eamdem eccleſiam auctoritate noſtra, amoto illo qui eam detinet, etiam ſi quis poſt præſentationem eius & appellationem, quam ſe ad nos feciſſe proponit, incuſſus eſt, appellatione remota, cum fructibus inde perceptis poſt primam præſentationem, eum recipere minime differatis.

* Vuadhā

Præſentati & non admiſſi appellationem tenere.

CAP. XII.

Eboracenſi archiepiſcopo; Pars capituli: In eminenti. de appellationibus.

De cetero noueris, quod ſi ſententiam a nobis latam præceperimus per aliquem executioni mandari, & fraus interuenerit, non eſt facultas executori de negotio toto

ANNO CHRISTI 1179. cognoscere, sed referri, quoties quæ inciderint, ad sedem apostolicam oportebit.

CAP. XIII. *Eboracensi archiepiscopo.*

In eminenti specula ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino constituti, intendere debemus consultationibus singulorum: & prout Deus nobis reuelauerit, propositas enodare. Consuluisti autem, si causa, appellatione remota, commissa, altera partium ante citationem vel post citationem, ante sententiam vel post sententiam, ad sedem apostolicam appellauerit, an appellationi sit in huiusmodi deferendum. Præterea si causa fuerit, appellatione remota, commissa, & alter aduersariorum appellet, quia delegatus iudex non vult super suggestione falsi probationes admittere contra Cantuarienses literas impetratas, an in hoc casu teneat appellatio, quæsiuisti. Dubitas etiam, si duobus fuerit causa commissa, appellatione remota, & alter suo coniudici vices suas commiserit, an ille solus possit procedere appellatione remota, vel ab eo liceat appellare, cum in fine non sit appositum, vt si vterque nequiuerit interesse, vnus procedat. Primæ ergo quæstioni respondemus, quod causa, appellatione remota, commissa, appellationi non debet deferri, siue ante citationem, siue post, siue ante sententiam, siue post, fuerit appellatum: nisi appellans, priusquam citaretur, iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi. Quod autem quæsiuisti, si aliquis appellauerit, quia delegatus iudex super suggestione falsi audire probationes recusat, an appellatio teneat, hoc tuam volumus discretionem tenere, quod in eo casu debet appellationi deferri. Ab vno vero iudicum, appellatione remota, in causa procedi non potest, nisi hoc speciale in literis commissoriis exprimatur.

CAP. XIV. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, *&c. Et infra:* Consulere decreuisti, de quibus personis intelligendum sit, vnam alteri in ecclesiasticis beneficiis succedere non debere: vtrum, scilicet, de sacerdotibus & eorum filiis dumtaxat, an & de aliis quibusdam personis. Noueritis ergo quod ad ecclesiastica beneficia nullum secundum Cano-

nes admittendum credimus, nisi ex electione canonica vocatum. Sacerdotum vero filios, & maxime in sacerdotio genitos, his temporibus suis succedere parentibus, quarumlibet regionum consuetudo & in donis ciuilibus prohibet, & Canones in ecclesiasticis multo fortius prohibent & execrantur. Personarum quoque filios citra sacros ordines constitutarum plerumque, si tamen merita suffragantur, parentibus suis succedere conniuentibus oculis toleramus. Exemplo namque pernicioſum est & graue, talia in ecclesia pullulare, per quæ & laicis scandalum generetur. Sane tam has personas, quam illas, ab aliis non repellimus beneficiis, si digni inueniantur. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XV.

Alexander tertius abbatibus Cistertiensibus in capitulo Cistertiensi congregatis.

Isa. 5. Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini sabaoth, sub primis ordinis patribus pullulauit, *&c. Et infra:* Nunc autem aliqui ex vobis pristinæ institutionis obliti penitus vel ignari, contra ordinis vestri gloriam & decorem, villas, molendina, ecclesias & altaria possident, fidelitates & hominia suscipiunt, rusticos & tributarios tenent: & omne studium adhibent, vt termini eorum dilatentur, quorum conuersatio esse debebat in cælis. Læditur hinc ordo penitus & mutatur, *&c. Et infra:* Ideoque sanctum & venerabile collegium vestrum precibus & monitis, quibus possumus, exhortamur, quatenus domus illæ quæ a prima sui origine in ordine vestro sunt fundatæ, constitutis & ordinatis terminis sint contentæ: nec velint ad ea manus extendere, quæ sine laboribus & periculis multis, & demum sine ordinis magna confusione minime poterunt retinere. Si enim relictis originalibus ordinis statutis, ad communionem volueritis aliorum monasteriorum viam diuertere, oportebit & vos communi iure censeri: quia dignum est vt qui similem cum aliis suscipiunt vitam, similem sentiant in legibus disciplinam. Quoniam domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum se ordinem transtulerunt, vestris omnino satagunt vsibus conformari, vt relictis videlicet possessionibus vel mutatis, quas vestra institutio non recipit, sic

Philipp. 4.

ANNO CHRISTI 1179.

sic se in omnibus vestræ religioni coaptent, vt quemadmodum se gaudent in societate ordinis, mutatione habitus & obseruatione regulari assumptos, sic etiam in parcitate temporalium rerum se lætentur vestris institutionibus conformatos. Sane si super possessionibus ipsis in aliquo de monasteriis vestris apostolicæ sedis auctoritas dispensauit, a nullo vestrum sumendum est exemplum: quia temerarium est penitus & absurdum & indignum, aliquem sua sibi auctoritate præsumere, quod Romana ecclesia alicui monasterio, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere.

CAP. XVI. *Rhemensi archiepiscopo.*

Cum H. diu vinculo excommunicationis fuisset adstrictus, tandem præstito iuramento, quod exinde iudicio ecclesiæ stare deberet, beneficium absolutionis obtinuit: sed continuo ad sedem apostolicam post absolutionem appellauit: & anno transacto vltra, per se vel per alium appellationem prosequi contempsit. Quoniam igitur derisorie appellare videtur, qui appellationem interpositam non prosequitur, fraternitati vestræ per A. S. præsentibus mandamus, quatenus vtraque parte coram te conuocata si tibi constiterit, quod tanto tempore appellationem prosequi contempserit, tu ipsum iudicio tuo stare sub excommunicationis districtione compellas.

Potest aliquis appellare, per se, & per aliũ: nec per se, nec per aliũ, per se, non per alium: per alium, non per se.

CAP. XVII.

Eius qui modo vult recedere ad priorem vxorem, quam prius negauit, ecclesia testimonium non recipit: quia variauit verbum suum, & contra semetipsum testimonium tulit, & abstulit sibi fidem in vtroque, vt coniugii sacramentum ad inuicem non esse videretur, & opus carnalis commercii contradiceretur.

CAP. XVIII.

Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier: nec mulier potestatem sui corporis habet, sed vir. Potest ergo vir siue mulier peccato suo facere, vt potestatem in corpore alterius perdat: sed facere non potest, vt alteri potestatem sui corporis, quantũ in se est, tollat. Quod suum ius est, perdere potest:

1. Cor. 7.

quod suum non est, tollere non potest. Si faciat ergo, vt debitum suum in corpore alterius iure exigere non possit: non tamen facere potest, vt debitum alterius in suo corpore negare possit. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XIX.

De voto peregrinationis an eleemosynis possit, vel per alium redimi, tibi nihilo minus respondemus, quod ab eius qui præsidet, dependet arbitrio, vt consideret & attendat diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis, scilicet, an id ex infirmitate seu affluentia diuitiarum contingat: & vtrum peregrinatio, an recompensatio vtilior sit, & Deo magis accepta, & secundum hoc debet exinde dispensare.

CAP. XX. *Rhemensi archiepiscopo.*

Cum Christus perfectus sit Deus & perfectus homo, mirum est qua temeritate quisquam dicere præsumat, quod Christus non sit aliquid secundum quod homo. Ne autem tanta in ecclesia Dei possit nequitia suboriri, vel error induci: fraternitati tuæ, *&c.* quatenus conuocatis magistris scholarum Parisiensis & Rhemensis & aliarum ciuitatum, auctoritate nostra interdicas sub anathemate, ne quis de cetero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus est verus Deus, ita verus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

. . . . . .

CAP. I.

Pars L. & vltima. Huiusetiam titulus in archetypo desiderabatur.

ETSI quæstiones tuas de feruore religionis exurgere, & te eas ex intimæ deuotionis affectu, quam circa nos & ecclesiam habes, ad nostram deuotionem perferre nullatenus ignoremus, non tamen est vltra, quam oporteat, in huiusmodi dubitandum, cum leges humanæ dicant, quod quidam tenui religione contenti, sacramenta & * necessaria & legitima exhibere contemnunt. Tenuem enim vocant religionem, quæ in talibus hæsitat, vbi non est aliquatenus hæsitandum. Vnde

* necessarie & legitime exhibenda,

ANNO CHRISTI 1179. etiam Psalmista dicit: *Trepidauerunt timore vbi non erat timor.* In hoc autem quod dilectus filius noster Petrus sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, tunc vero sancti Eustachii diaconus, & apostolicæ sedis legatus, pro electione tua, vt & tibi pallium deferret, ad partes illas accessit: dilectus filius noster Albanus frater tuus, eius præsciens necessitatem, eidem cardinali equum vnum, te penitus ignorante, transmisit: quoniam per mare veniens, nullas aut paucas secum adduxerat equitaturas: te nullo modo timere oportet, cum in accipiendis, vel dandis muneribus tria sint maxime attendenda, personæ scilicet dantis & recipientis qualitas, muneris quantitas, & tempus donationis. Qualitatem personarum, vt a quo & cui, videlicet an a paupere diuiti, an e conuerso, siue a diuite locupleti datum fuerit, solicite consideremus. Æstimationem muneris & donationis tempus attendimus, si magni vel minoris precii res data existat, & an instante necessitate, an alio tempore conferatur, diligentius inspiciamus. Quibus siquidem inspectis, in præscripta quæstione tua nihil reprehensibilitate dignum inuenimus, quod solicitudini tuæ in sequentibus manifestius apparebit. Si enim prædictorum cardinalis & fratris personarum qualitatem recta consideratione pensamus, non fuit magnum, ab eodem fratre tuo cardinali vnum equum inde transmitti, quem etiam ioculatori vir tantus & tam abundans non petenti donaret. Verum si temporis necessitatem perpendimus, non alia ratione hoc constat factum fuisse, quam vt cardinali in tali subueniretur articulo. Quare super hoc in conscientia tua nullus debet vnquam scrupulus dubitationis emergere, cum res data modici precii, quantum ad personam dantis & accipientis, extiterit: nec alteruter eorum aliquid in mente habuerit, quod tibi possit vel debeat quamlibet vel in modico læsionem inferre: etsi ante electionis examinationem & pallii receptionem, cum te nolente & penitus ignorante sit factum, vt equus necessitate transmissus fuerit & collatus, nec etiam res tanti precii reputetur, quæ accipientis animum multum mouere deberet, aut ab honestatis proposito declinare. Quod autem scriptum est: *Beatus qui excutit manus suas ab omni mu-*

Psal. 13. & 25.

Quæ tria in dandis vel accipiendis muneribus attendenda.

Isa. 33.

nere: de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere & inuertere solent. Quoniam * si ipsa etiam persona electi, vel ordinatori, vel consecratori suo electuarium, medicinas, aut de optimo vino, siue de aliis huiusmodi, quæ modici precii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel mouere non debeant, offerat: non tamen Romana ecclesia dantem, vel accipientem delinquere interpretari consueuit, nisi ista interuenirent ex pacto. De cetero licet, sicut tuæ literæ continebant, quod episcopus nec in electione sua ecclesiæ suæ indemnitatem promittat, sacris Canonibus prohibeatur, sed tamen propter hoc, verba fratris tui nullam deberent animo tuo perturbationem vel dubitationem ingerere, cum etsi regi, qualem dixisti, te ignorante, promissionem fecisset, exinde nullatenus tenereris. Quoniam capitulum illud de persona sacerdotis electi, specialiter est intelligendum. Verum quamuis frater tuus, te nesciente, huius securitatem præstiterit, quod tamen non constat, ideo potest perpendi, quod non alicuius læsionis maculam propter hoc incurras, vel contrahas, cum, sicut fraternitas tua non ignorat, sanctorum patrum instituta determinent, quod puer qui ad aliquam ecclesiam a parentibus suis pecunia interueniente offertur, etsi ad tempus iubeatur ab eadem ecclesia remoueri, postmodum non solum ad aliam, sed ad ipsam vnde remouetur, potest assumi. De quibus colligitur, quod cum tu quando verba præscripta proferri debuerant ad ecclesiam agere natura electus, a qua iamdiu ad aliam assumptus fuisti, non solum secundam, in qua modo existis, sed & priorem dispensationem posses habere. Ideoque debes omnem ab animo tuo dubitationem auellere, cum etsi hoc constaret, immunis appareas: nec oporteat te, si frater tuus securitatem etiam præstitisset, propter hoc quoquo modo timere, cum ab ecclesia illa iam pridem transieris, & ad aliam deinceps assumptus fueris, in qua iamdiu mansisti. Quapropter non fuit necesse, vt alicui personæ, imperatori, scilicet, regi aut aliis, exinde scriberemus, cum nos nec minimum conscientiæ scrupulum ex hoc suboriri noscamus.

Anno Christi 1179. *f.* etsi

Locus obscurus.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. II. *Item Bituricenſi epiſcopo, ex eodem libro.*

Relatum eſt, & nobis ex tua parte monſtratum, quod cauſis matrimoniorum tuæ diœceſis ad te delatis, cum in eorum executione velles procedere, illi qui impetuntur, ad audientiam noſtram appellant, vt per huiuſmodi appellationes poſſint iudicium declinare. Vnde quoniam veſtra intereſt, prauorum intentionem reprimere, & peccandi occaſionem eiſdem auferre: fraternitati tuæ per A. S. mandamus, quatenus ſi qui parochianorum tuorum de linea conſanguinitatis impetiti, vlterius ab audientia tua ad ſedem apoſtolicam in vocem appellationis proruperint, ſi coniuncti non fuerint, eos ſub anathematis interminatione coniungi prohibeas, donec appellationem proſequantur, aut iudicio tuo ſtare obediant. Si vero fuerint coniuncti, eis conuenientem terminum proſequendæ appellationis, vel ſtandi iudicio tuo, præfigas: infra quem ſi neutrum adimpleuerint, eos extunc omni appellatione ceſſante, vinculo excommunicationis adſtringas. De cetero Heruberto *

CAP. III.

Idem in eodem libro ſecundo, Vu. Albanenſi epiſcopo vicario noſtro.

Ex tuarum tenore literarum accepimus, quod N. clericus adeo deliquit, quod ſi delictum eius publicum eſſet, ab ordine quem ſuſcepit, degradaretur, & amplius non poſſet ad ſuperiores ordines promoueri. Verum quoniam peccatum ipſum occultum eſt, & priuatum fore dixiſti: fraternitati tuæ per A. S. mandamus, quatenus ei condignam pœnitentiam imponas, & ei ſuadeas, vt per te, pœnitentia peracta, ordine ſuſcepto vtatur: & eo contentus exiſtens, ad ſuperiores ordines amplius non accedat. Verumtamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoueri deſiderat, ei non potes nec debes aliqua ratione prohibere.

Propter occultum delictum, clericum non repelli a promotionis.

CAP. IV. *Idem eidem in eodem.*

De adoleſcente, qui mulierem quamdam cognouit, & filiam eius poſtea matrimonio ſibi copulauit, cui iam per decennium cohabitauit, tuæ prudentiæ reſpondemus,

quod si delictum eius, sicut nobis significasti, occultum existit, pœnitentia sibi condigna debet imponi, nec ab vxore tanti sceleris inscia est propterea separandus. Si vero id notorium esse dinoscitur, & ab vxore debet separari, & sine spe coniugii permanere. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. V. *Idem Verulano episcopo, in eodem libro.*

Ex relatione I. latoris præsentium, & ex tenore tuarum literarum accepimus, quod cum idem I. sororem vxoris suæ carnaliter cognouisset, & cum ea diutius permansisset, tu eos ab inuicem separasti, & iam dictum I. ad nostram audientiam destinare curasti. Super quo vtique fraternitati tuæ duximus respondendum, vt eum Hierosolymam studeas destinare. Deinde cum ad propria redierit, ne ex abstinentia illorum forte deterius contingat, dissimulare poteris, quod vxori suæ cohabitet, non tamen vt eis ad hoc licentiam tuam aut fauorem aliquatenus indulgere videaris.

Ex dissimulatione cohabitare, nō ex fauore.

CAP. VI.

Idem Gradensi patriarchæ in eodem libro.

Ex tuarum literarum tenore accepimus, quod V. presbyter viuendi leuitate vsus, cum quodam infami ad prauitatum locum immundos spiritus inuocaturus accessit. Vnde eum, quia propter hoc infamia laborat, & facinus publicum & notorium erat, ab officio & beneficio ecclesiastico suspendisti. Ipse autem coram nobis viua voce proposuit, quod non ea intentione, vt inuocaret dæmonem, ierat: sed vt per inspectionem astrolabii, furtum cuiusdam ecclesiæ posset recuperare. Verum licet hoc ex bono zelo & ex simplicitate se fecisse proponat, id tamen fuit grauissimum, & non modicam inde maculam contraxit. Sed quoniam tutius est, in dexteram quam in sinistram, & in misericordiam quam in seueritatem declinare: ipsum fraternitati tuæ duximus remittendum, monentes atque mandantes, vt secum misericorditer agas, & sibi infra octo dies post harum susceptionem, ecclesiam cum omnibus ablatis restituas, & talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum & amplius (si tibi visum fuerit, ita tamen, quod biennium non excedat) eum ab al-

ANNO CHRISTI 1179. taris administratione præcipias abstinere: & exinde liberum ei sit, officium sacerdotale exercere.

CAP. VII. *Idem Verulano episcopo in eodem libro* I.

Quod te cum inimicis tuis, *&c.* De cetero quia fraternitatis tuæ quærit industria, vtrum clerici qui infra subdiaconatus ordinem constituti, quia continere carnis vitio coacti non valeant, vxores accipiunt, ecclesiastico spoliari possint beneficio canonice: id tuam volumus experientiam tenere indubitata veritate, quod cum sint voluptatibus & carnalibus desideriis dediti, ac diuinis & ecclesiasticis sacramentis contrectandis indigni, ecclesiasticis sunt procul dubio beneficiis priuandi. Sane si ecclesiis quibus attitulati fuerant, de possessionibus aut aliis bonis suis aliqua contulisse noscuntur, cum ab earumdem ecclesiarum ministerio fuerint & beneficio sequestrati, ad ipsos recta via dominium & proprietas illico debet absque vlla contradictione redire.

CAP. VIII.

Idem iudicibus Vellenen. in eodem libro.

Relatum est auribus nostris, quod cum ad vestræ discussionis examen aliqua super testamentis ecclesiæ causa deducitur, vos secundum humanam, & non secundum diuinam legem in ea vultis procedere: & nisi septem aut quinque testes idonei producti fuerint, omnino non proponitis exinde iudicare. Vnde quia huiusmodi de iudiciis ecclesiæ non secundum leges, sed secundum Canones debent tractari, & in his diuina scriptura testante, duo aut *Deut. 17.* tres idonei testes sufficiunt: discretioni vestræ per A. S. mandamus, quatenus cum aliqua causa super testamentis ecclesiæ relictis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum Canones, iuxta decretorum statuta, tractetis tribus vel duobus legitimis testibus requisitis: quoniam scriptum est: *In ore duorum vel trium* *Matth. 18.* *testium stat omne verbum.*

CAP. IX.

Item præposito & canonicis Sulcan. in eodem libro.

Significatum est nobis, quod ecclesiasticam sacerdoti

præbendam vnam in ecclesia vestra communi consensu & voluntate dedistis, ita quidem, quod Missam de sancta Maria, nisi sit corporis infirmitate grauatus, debeat quotidie celebrare, qui ecclesiam vestram non nisi communi tam præpositi quam capituli consensu, potest dimittere, nec cuiquam præbendæ illius anniuersarium delegare. Quam siquidem constitutionem eatenus confirmauimus, vt prædictus sacerdos ecclesiæ, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debeat officium suum impendere: & quanto feruentius potest, salua honestate sua & debita deuotione, Missarum solennia celebrare: nec sibi liceat hoc, illinc se ad aliam ecclesiam tranferendo aut voluptatis causa subtrahere. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. X. *Idem Beluacensi episcopo, in eodem libro.*

Significatum est nobis & pro certo monstratum, quod Griboldus nondum incipiens esse quatuordecim annorum, timore magistri, qui eum literis erudiebat, habitum religionis suscepit in ecclesia de Ruffinis, & inde sicut puer infra annum exiuit, & per sæculi vanitates iam sex annis & eo amplius vagabundus discurrit. Vnde quoniam huius rei veritas nobis non constat, fraternitati tuæ per A. S. mandamus, quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si inueneris, quod non fuerit a parentibus oblatus, nec inceperit esse quatuordecim annorum, quando ad religionem accessit, & eum infra quartumdecimum annum voti pœnituerit, & ab ecclesia recesserit, si in sæculo voluerit remanere, & eum ab ipso voto quod fecit auctoritate pontificali absoluas, & eum absolutum tam in ecclesia de Ruffinis, quam populo tuæ ciuitatis studeas publicare. Si autem a parentibus suis forte oblatus, seu quartumdecimum annum compleuerat, cum religionem intrauit, siue post quartumdecimum annum professionem a se factam ratam habuit, eum ad eamdem vel aliam religionem transire, ecclesiastica districtione compellas.

CAP. XI. *Idem Salabrienſi episcopo, in eodem libro.*

Peruenit ad nos, quod cum tu Rog. filium VVilhelmi ecclesiæ tuæ canonicum, vt debitam in eadem ecclesia residentiam faceret, monuisses, ad audientiam nostram in appel-

ANNO CHRISTI 1179. appellationem prorupit, & appellationi suæ terminum, proximum festum beati Lucæ præfixit. Quoniam igitur indignum est, per eius vel aliorum subterfugia, præscriptam ecclesiam debitis obsequiis defraudari, cum ipse frustratoriæ dilationis causa appellasse videatur: fraternitati tuæ per A. S. mandamus, quatenus præfatum Rog. diligenter & studiose commoneas, vt in eadem ecclesia debitam, omni mora postposita, faciat residentiam, vel infra proximum festum beati Lucæ appellationem suam prosecuturus, ad nos veniendi iter arripiat. Interim vero alicui honestæ personæ vices eius in ecclesia prætaxata exequendas committas: & tantum ei de beneficiis illius, appellatione cessante, assignes, vnde possit congrue sustentari. Quod si prælibatus Rog. alterum istorum adimplere neglexerit, tu eum extunc præbenda sua, omni appellatione & contradictione cessante, priues: & eam alicui viro discreto & honesto, nullius appellatione admissa, concedas pariter & assignes.

CAP. XII. *Idem Tornacensi episcopo, in eodem libro.*

Veniens ad nos mulier latrix præsentium, lacrymabili nobis confessione monstrauit, quod cum de quodam filium genuisset, & ille sibi turgido sæpe vultu improperasset, quod filius eius non esset, ipsa iracundiæ calore & furore animi ducta, eumdem filium interfecit. Quo comperto, comes Flandrensis eam totam terram suam vsque ad septennium abiurare coegit, nisi de nostra licentia * remaneret. Cumque se nostro conspectui præsentasset, & quod crucem suscepisset, Hierosolymam se profecturam monstrasset, nos videntes quod in partibus illis præsentia illius non potest esse vtilis, sed damnosa, eam ab Hierosolymitano itinere reuocantes, ipsam fraternitati tuæ duximus remittendam, præsentium auctoritate mandantes, quatenus prædictam mulierem labores inducere, vt in aliquod monasterium tui episcopatus transeat, & ibi peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si autem repugnante carnis fragilitate, ad hoc induci noluerit, ei licentiam nubendi in Domino tribuas: quia tutius nobis videtur vt in Domino nubat, & vni soli quam multis adhæreat.

* *f.* remearet.

CAP. XIII.

ANNO CHRISTI 1179.

Relatum est auribus nostris, quod cum vir nobilis *Ateorelia nomine, M. mulierem de * Oreia quondam vxorem suam suspectam haberet, fratri & militibus suis præcepit, vt eam longe ad priuata loca deducerent, & gladio occiderent. Qui cum ipsam ad quamdam siluam duxissent, & euaginato gladio occidere vellent, eadem ad pedes cognati cecidit, & vt sibi vitam seruaret, lacrymosa supplicatione rogauit. Cognatus vero & pietate & misericordia motus, ei sub conditione pepercit, quod in monasterio de Tolabres habitum monasticum deberet suscipere. Quo audito, maritus eius, quia reseruata erat ad vitam, graue plurimum tulit: sed tamen postmodum acquieuit, sicque factum est, quod duos episcopos Cæsaraugustanum & Tirasonensem vt eam benedicerent, & illi velum imponerent, ad monasterium ipsum adduxit. Episcopi vero rem ignorantes, & quia iuuenis erat, & filium habebat paruulum, mutationem vitæ suæ suspectam habentes, eam seorsum conuenerunt. Quæ vtique rem per ordinem patefaciens quod mortis timore, & non bono animo monasterium intraret: & quandocumque posset, inde exiret, nihilo minus adiecit. Tunc episcopis de morte eius timentibus, & quod ab ea audierant, propalare nolentibus, alter eorum, Tirasonensis scilicet, vt viri illius tyrannidi satisfacere videretur, mulieri imponere velum simulauit. Tandem autem viro & fratre de medio sublatis, prædicta mulier de monasterio exiuit, & cuidam nobili P. nomine de* Cabern. nupsit. Sorores autem cum reclamassent, & episcopo Calaguritano conquestæ fuissent, & episcopus non posset eam videre, neque super his conuenire, ad instantiam sororum, eam & virum quem acceperat, excommunicauit, & totam terram eius interdixit, ignorans penitus quomodo res processisset. Quam vtique sententiam venerabilis frater noster Tarraconensis archiepiscopus postmodum confirmauit. Nos igitur de prudentia & honestate vestra confidentes, causam ipsam experientiæ vestræ duximus committendam, & fine debito terminandam. Ideoque discretioni vestræ per A. S. mandamus, quatenus prædictam mulierem & virum, recepto iuramento, quod nostro debeant

ANNO CHRISTI 1179. stare mandato, ab excommunicatione absoluatis. Deinde tam mulierem quam prioriſſam & moniales, præscripti monasterii ad præsentiam tuam conuocantes, causam diligentius audiatis, & fine canonico terminetis. Quod si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem religionem intrasse, aut quod fecit postea ratum habuisse: ipsam ad monasterium redire, & habitum depositum resumere, censura ecclesiastica compellatis.

CAP. XIV. *Idem Gaiacenſi electo, in eodem lib. 8.*

Cum Petrus Mancouela, & Bonus * Caci presbyteri, & Ioannes Bonus * Coci laicus, in nostra essent præsentia constituti, eumdem Ioannem, quoniam laicus erat, in iam dicti P. accusationem nequaquam admisimus. Cumque præfatus B. eumdem P. super crimine simoniæ constantius accusaret, nos eum, quoniam in causæ testimonium fuit adductus, & quia frater eius, I. scilicet, iam dictum P. prius coram te accusauerat, repulimus, præsertim cum frater Petri Bonum * Coci antea de causa consimili accusasset. Verum quoniam vnus post alterum prædictum instante vicissitudine accusabat, neutrum ad eius accusationem admisimus, sed vtrique de obiectis criminibus purgationem duximus indicendam. Inde siquidem est, quod discretioni vestræ per apostolicam sedem mandamus, quatenus vtrumque illorum secum tribus sacerdotibus facias infra triginta dies post harum susceptionem purgare. Purgatores vero illius honestatis & opinionis esse volumus, quod verisimile sit, eos nolle amore vel odio seu obtentu pecuniæ peierare. Vt autem idonei appareant, necesse est, eius quem purgare debent, vitam & conuersationem noscant. Quod si vterque illorum vel alter in purgatione defecerit, tu deficientem omni officio & beneficio ecclesiastico priues, tibi omnimodo præcauens, quod si memorato P. in sua voluerit purgatione assistere, nullam eis maleuolentiam vel indignationem ostendas: nec eos amodo impedias, vel ab aliis, quantum in te est, impediri permittas.

CAP. XV. *Idem Norvvicenſi epiſcopo in eodem libro.*

Venientis ad nos Rom. clerici narratione audiuimus,

quod cum in puerili ætate constitutus fuisset, se Hierosolymam disposuit profecturum : & cuidam consocio suo, qui nihilo minus dominicum sepulcrum proposuerat visitare, fidem dedit, & suam ab eo fidem recepit, quod sibi inuicem in via fideles existerent, & bonam societatem seruarent. Qui vtique solicita mente reuouens, ad nos accessit, vt sibi super hoc nostrum * auxilium aperiremus. Nos autem ipsum graui infirmitate laborare, sicut asserit, intelligentes, & quod in partibus orientis eius aduentus parum vtilitatis conferret, diligentius attendentes, præsertim cum sit clericis illicitum in sacris ordinibus constitutis arma assumere, aut effusioni sanguinis vacare, ipsum a voto quod in ætate tenera, facilitate animi potius quam ex arbitrio discretionis, promisit, absoluimus: ita tamen, quod idem votum eleemosynis redimere debeat, & iuxta consilium nostrum toto vitæ suæ tempore vni pauperum Christi, dum ad hoc suæ sufficiant facultates, tam in victu quam in vestitu prouidere. ANNO CHRISTI 1179. * consilium

CAP. XVI.

Idem VVigornienſi epiſcopo, in 12. *libro regiſtri.*

Ex parte tua huiusmodi nobis conquestio proposita fuit, vtrum monachi in accusatione abbatum suorum aliquatenus sint admittendi. Super quo vtique tuæ prudentiæ respondemus, quod nisi alia rationabilis causa impediat, & manifesta, eo quod monachi de obedientia & subiectione abbatis sunt, ab eius accusatione non sunt vllatenus repellendi, licet alios accusare non possint. Quibus siquidem, cum proprium non habeant, de rebus monasterii expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem recipiat, ministrari. De confirmationibus autem Romanorum pontificum, tuam volumus cognitionem tenere, quod contra illas nisi nouum apostolicæ sedis mandatum procedat, aut certum sit, quod ipsæ confirmationes per falsam sint suggestionem obtentæ, non est aliquatenus iudicandum.

CAP. XVII. *Idem Beluacenſi epiſcopo.*

Quod nobis ex vna parte significatum est, vt exclandestinis matrimoniis dispensare deberemus, non videmus

ANNO CHRISTI 1179. quæ dispensatio sit super his adhibenda. Si enim matrimonia ita occulte contrahantur, quod exinde legitimi testes non appareant, hi qui ea contrahunt, non sunt aliquatenus ab ecclesia compellendi. Verumtamen ea, quæ sic contracta sunt, si personæ contrahentium voluerint publicare, nisi rationabilis causa præpediat, ab ecclesia recipienda sunt ac comprobanda, tamquam a principio in conspectu ecclesiæ contraherentur. Si qui autem de clandestino matrimonio postmodum ab ecclesia comprobato & rato habito, geniti fuerint, eos legitimos iudices filios & heredes. De in clandestino matrimonio genitis.

CAP. XVIII. *Idem Beluacensi episcopo.*

Nouit plenius, sicut credimus, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui vnum corpus sitis: ita quod tu caput, & fratres tui membra esse comprobentur. Vnde non decet omissis membris, te aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis vti, cum id non sit dubium, & honestati tuæ & sanctorum patrum institutionibus contraire. Innotuit autem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum, abbates, abbatissas, & ceteras personas ecclesiasticas instituis ac destituis, non considerans & attendens, quomodo te non sit dubium sacros Canones transgredi, cum in huiusmodi causis & clericorum & laicorum circa te commorantium, qui de corpore ipsius ecclesiæ non sunt, potius quam fratrum tuorum consilio vti dicaris. Inde est quod apostolica auctoritate prohibemus, ne abbates, abbatissas, vel alias personas ecclesiasticas sine assensu & consilio * prioris * quod fratrum tuorum canonicorum instituere, vel destituere, aliqua de cetero ratione præsumas. Quod si forte, quod non credimus, contra præceptum nostrum venire præsumpseris, nos tales institutiones & destitutiones, si quas amodo feceris, cassamus, & omni robore decernimus & stabilitate carere.

* *f.* add. tam
* *f.* quam

CAP. XIX. *Idem eidem in eodem libro.*

Quanto maiori dignitate, dante Domino, præemines, tanto te decet amplius & oportet in omnibus eam diligentiam & grauitatem habere, quod omnia videaris sine nota & reprehensione peragere, & laudabiliter iniunctæ tibi

solicitudinis officiũ dispensare. Audiuimus autem, vnde & mirati sumus, sicut & merito inde mirari possumus, quod in concessionibus & confirmationibus iuxta consilium & voluntatem eorum* procedis, & in priuilegiis, quod tuam non decet honestatem, ad maiorem auctoritatem & certitudinem nomina fratrum tuorum, qui absentes fuerint, tamquam si præsentes fuissent, facis subscribi. Quia igitur non decet prudentiam tuam, in negotiis tibi commissæ ecclesiæ consilium fratrum tuorum * proponere, cum quibus vnum corpus existere comprobaris: fraternitati tuæ per apostolicam sedem mandamus, quatenus in concessionibus, confirmationibus, & aliis eiusdem ecclesiæ negotiis fratres tuos requiras, & cum eorum consilio vel sanioris partis, eadem negotia peragas, & pertractes: vt quæ statuenda fuerint, statuas, & errata corrigas, & euellenda dissipes & euellas: nec absentium fratrum nomina aliquatenus scribi facias, quia talia munimenta, irrita sunt & falsa: & tu exinde quæstionem falsi non immerito poteris formidare. Nos enim vniuersa priuilegia, in quibus absentium fratrum nomina, ipsis ignorantibus vel absentibus, subscripta sunt, vel amodo scribentur, irrita esse decernimus, & nullius firmitatis robur habere censemus.

Anno Christi 1179.

* videtur deesse, non

* postponere,

CAP. XX.

Idem Huboldo Ostiensi episcopo, & archipresbytero & canonicis VVellectur. in decimotertio libro registri.

Cum esses, frater episcope, in præsentia nostra constitutus, diligenti nobis assertione innotuisti, talem in episcopatu tuo inoleuisse consuetudinem, quod testamenta quæ fiunt in vltima voluntate, vt ab his qui potestatem habent super alios, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem aut quinque testium fiant, secundum quod humanæ leges decernunt. Quia vero a diuina lege & sanctorum patrum statutis, & a generali consuetudine ecclesiæ, id esse noscitur alienum, cum scriptum sit: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum:* præscriptam consuetudinem penitus improbamus, & testamenta, quæ parochiani vestri coram presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema voluntate de cetero fecerint, & firma decernimus permanere, & robur perpe-

Deut. 17.

ANNO CHRISTI 1179. tuæ firmitatis obtinere, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis præsumptione qualibet, huiusmodi audeat rescindere testamenta. Præterea cum principes, *&c.*

CAP. XXI.

Idem Carnotensi episcopo, in decimoquarto libro registri. Pars illius capituli; Cum sacrosancta Romana.

Significasti nobis quemdam presbyterum cum alterius coniuge diabolico instinctu in ecclesia frequenter, sicut asseris, dormiuisse: quæ vtique se & illum sacerdoti cuidam huiusmodi delictum confessos fuisse, publice tibi detexit, & hoc ipsum idem sacerdos, nomen adulteri celans, in præsentia tua dixit. Super quo quid fieri debeat, cum negante adultero, mulier in confessione persistat, ab apostolica sede consilium requisisti. Nos ergo iuxta sanctorum patrum decreta volumus, vt condignam pœnitentiam adulteræ præfatæ imponens, ecclesiam prælibatam per adsperfionem aquæ sanctificandæ reconcilies. Prædicto autem sacerdoti, ne, contra Apostolum, infirmorum corda, mala fama ipsius percutiantur, & ne nostrum vituperetur ministerium, nec securiores presbyteri existentes prolabantur licentius in peccatum, cum vicinis quinque presbyteris, quos se nolle peierare cognoueris, iuxta arbitrium tuum purgationem indicas. Quod si se purgare poterit, in officio suo permittas ipsum ministrare: si vero non poterit, ipsum ab officio suo suspendere nulla ratione postponas. 1. Cor. 8. 2. Cor. 9.

CAP. XXII. *Idem in eodem.*

Quæsiuit a nobis tua fraternitas, vtrum sacerdos vno clerico tantum præsente, infirmum debeat inungere: & qua die festum Matthiæ in anno bissextili debeat obseruari, præsertim cum quidam inter vigiliam & festum velint interponere diem: & vtrum mulier pro latrocinio, aut alio quolibet crimine, a viro suo debeat separari, & alii nubere: & de viro simili modo exposuisti quæstionem, vtrum pro quolibet flagitio possit a coniuge sua diuidi, & aliam sibi legitimo matrimonio copulare. Nos itaque tibi duximus taliter respondendum, quod sacerdos vno præsente clerico, & etiam solus, potest infirmum inungere. Festum

vero B. Matthiæ iuxta regulam eccleſiaſticam vigilia eatenus præcedat, vt nec pro biſſexto, nec quolibet alio modo inter ſe & ſolennitatem admittat alium diem, in qua vtique vigilia, niſi eueniat in dominica die, ieiunium celebratur. Ipſum autem feſtum, ſiue fiat in præſenti die, ſiue in ſequenti, qui duo quaſi pro vno reputantur, nullus error, ſed eccleſiæ conſuetudo teneatur. Quod autem mulier pro furto vel quolibet alio crimine a viro ſeparetur, & alii nubere poſſit, & viro ſimiliter eadem lege conſtituatur: taliter reſpondemus, quod mulier pro furto vel alio crimine viri ſui, niſi ipſe eam ad maleficia ſua trahere nitatur, & fidei ſuæ religionem corrumpere velit, non debet ab eo ſeparari, nec alii aliqua ratione copulari. Verum ſi coniugem ſuam ad errorem traxerit, & ad maleficium, mulier a viro recedere poterit & ſeparari, ita quod ei alii nubere non licebit: quia licet ſeparentur, tamen coniuges erunt ſemper. Viris quoque præſens ſententia ſeruetur. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXIII.

Idem epiſcopo & archidiacono Vicentino, in duodecimo libro regiſtri.

Perlatum eſt ad audientiam noſtram, quod * Heremam filius quondam Lazari, ad partes Conſtantinopolitanas tranſiens, ibidem moram per decennium & amplius fecit, & ad Viuianam filiam Eulardi vxorem ſuam non rediit. Ipſa vero apud bonæ memoriæ I. quondam Vicentinum epiſcopum aduerſus virum ſuum querelam depoſuit: & quod eum non poſſet diutius expectare, nihilo minus allegauit. Epiſcopus vero, ſicut vir prouidus & diſcretus, parentibus viri mandauit, vt pro eo mitterent, & ipſum ad propria reuocarent. Cumque elapſo longo temporis ſpatio, prædictus vir ad propria non remearet, epiſcopus in conſpectu eccleſiæ auditis allegationibus mulieris, inter eos diuortii ſententiam promulgauit, & mulieri, vt alium virum duceret, plenariam facultatem indulſit. Quia igitur huius rei veritas nobis non conſtat, diſcretioni veſtræ per A. S. mandamus, quatenus rem ipſam diligenter inueſtigetis, & ſi vobis conſtiterit, quod epiſcopus diuortii ſententiam inter eos tulerit, filios eius quos de Achardi filio quondam Rad. ad cuius copulam auctoritate præ-

ANNO CHRISTI 1179. prædicti episcopi sine quæstione & contradictione ecclesiæ migrauit, sustulerit, ab hereditate non patiamini excludi, sed eos legitimos iudicetis: & si quis contra hoc venire voluerit, ei auctoritate apostolica silentium penitus imponatis.

CAP. XXIV.

*Butigen. *Lucius tertius* * *Nebeberen. episcopo, in registro.*

Cum causam, quæ est inter E. militem & vxorem eius, tuæ commisissemus experientiæ terminandam, miles repetens mulierem, legitime sibi nupsisse, per probationes canonicas se constanter asseruit probaturum: femina vero proposuit, quod dominorum & parentum suorum suggestione alteri viro tradita, ab illius militis amore diuertit, qui a parentibus eam prius rapuerat, illa tamen nolente, vt dicitur, & postmodum, priusquam eam cognosceret, desponsauit. Deinde inclusa est in monasterio monialium, vbi & detinetur. Vnde quoniam super his prudentia tua sedem duxit apostolicam consulendam, significatione præsentium tibi respondemus, quod cum ibi raptus dicatur admitti, vbi nihil de nuptiis ante agitur; iste raptor dici non debet, cum habuerit consensum mulieris: & prius desponsauerit eam, quam cognouerit, licet parentes forsitan reclamarent. Præterea cum post matrimonium carnis permixtione perfectum, teste Apostolo, *vxor* 1. Cor. 7. *sui corporis potestatem non habet, sed maritus*, & e conuerso: si præcessisse matrimonium, vel ex probationibus viri canonicis, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodum sine assensu viri non potuit femina monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. Non ergo pro eo quod de monasterio post matrimonium consummatum per virum rapta fuerit, eius poterit consortium declinare, dummodo probari nequeat, virum, vt mulier profiteretur continentiam, assensisse.

CAP. XXV. *Idem Parisiensi episcopo.*

Intelleximus ex literis tuis, quod M. latrix præsentium, diabolico furore accensa, quamdam filiam suam multoties animo perimendi aggressa, tandem suggerente eo, qui fidelium perditione lætatur, lethali vulnere iugu-

lauit : propter quod dominus terræ maritum eius ipſam coegit abiurare. Quia vero illum & illam pariter filios habere intimaſti, vnde circa ipſius exilium debeat diſpenſari, nos de diſcretione tua plenam fiduciam habentes, eam tuæ duximus prouidentiæ remittendam : per A. S. tibi mandantes, quatenus ita ſuper hoc prouideas, vt ſui ſceleris pœnam luat, & ſaluti eius & filiorum ipſius per prouidentiam tuam in Domino conſulatur : nec obſtante propoſito iuramento, quod ab ea dictus dominus proponitur extorſiſſe, eam (ſi expedire videris) viro ſuo & rebus ſuis reſtituas, ita quod filios ſuos libere poſſit & pacifice gubernare. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXVI.

Alexander tertius Arelatenſi archiepiſcopo, & ſanctæ Mariæ Inuiolatæ diacono cardinali, in duodecimo libro regiſtri.

Cauſa matrimonii, quæ inter Ermengardem mulierem, & * Blatium agitari dignoſcitur, venerabilibus fratribus noſtris Foroiulienſi & Vapincenſi epiſcopis meminimus commiſiſſe. Quibus vtique in vnum conuenientibus, eamdemque mulierem, ſicut accepimus, viro reſtitui mandantibus, vir mulierem cruciatibus & flagellis adeo * infecit, quod inuita & coacta inter ſe & virum eſſe confeſſa eſt parentelam. Sicque factum eſt, quod ad iudicium vnius illorum, mulierem ipſam dimiſit, quæ filios ſuos quinque dicitur ex eo genuiſſe, & quatuordecim annis ſecum ſine quæſtione aliqua permanſiſſe. Vnde quoniam matrimoniũ in eccleſia Dei adeo magnum ſacramentum probatur eſſe, quod ſine rationabili & euidenti cauſa diſſolui non debet, præſertim cum non ab homine, ſed a Deo ſit inſtitutum: diſcretioni veſtræ per A. S. mandamus, quatenus huius rei veritatem diligenter & ſubtiliter inquiratis: & ſi inueneritis quod præfatus B. prædictam mulierem ad iudicium ſolummodo vnius prædictorum epiſcoporum a ſe ſeparaſſet; quia cum duobus cauſa committitur, ſententia vnius non tenet, ipſum conſtanter commoneatis, & diſtricte compellatis, vt mulierem ſicut vxorem ſuam appellatione remota benigne recipiat, & maritali affectu pertractet. Quod ſi facere forte contempſerit, eum & ſuperinductam, appellatione ceſſante, excommunicationis vinculo

* affecit,

Epheſ. 5.

Geneſ. 2.

ANNO CHRISTI 1179. perstringatis. Si qui tamen apparuerint, qui postquam ab eo recepta fuerit, matrimonium eorum velint, & legitime possint impetere: partibus ante vos conuocatis, causam audiatis, & eam fine canonico, appellatione remota, terminetis, illa maturitate, & circumspectione adhibita, quam in tanto negotio conuenit adhiberi. Quod si ambo, *&c.*

CAP. XXVII.

Idem in eodem, abbati sancti Benedicti de Vebia.

Suscepimus literas tuas, & cognouimus ex earum tenore, quod cum lator præsentium in custodia cuiusdam domus cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipsos in personis affligere, & vestimentis propriis denudare præsumpserunt. In quos isti resumptis viribus insurgentes, ligauerunt illos, & detinere vsque ad notitiam capituli voluerunt. Cumque iste rem ad tuam audientiam perlaturus, eos ligatos in fratris sui custodia dimisisset, & fures se soluere niterentur, frater illos, ne ipse ab illis interimeretur, occidit. Vnde quoniam expediebat potius post tunicam relinquere etiam pallium, *Matth. 5.* & rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere: abstineat iste humiliter ab altaris ministerio, & peccatum suum, quibus ad arbitrium tuum modis poterit, vterque studeat expiare. Constat enim, eos contra regularem mansuetudinem & ecclesiasticam disciplinam ex vtriusque ope interemptos.

CAP. XXVIII. *Idem in eodem, Ambianensi episcopo.*

Quod sedem apostolicam consulis super his, quæ dubia tibi existunt, gratum gerimus & acceptum: & tua exinde fraternitas non parum commendanda videtur. Ex tua siquidem parte nobis est intimatum, quod quædam mulier tui episcopatus cuidam viro nupsit, ignorans quod propter vtriusque inguinis rupturam genitalia eius essent abscissa, nec ab eo cognita fuisset. Qui vtique modo factus leprosus, se pariter & sua domui dedit infirmorum. Mulier vero ad domum paternam reuersa, sicut iuuenis, alii viro desiderat nubere, & coniugali fœdere coniungi. Verum licet ecclesia Romana non consueuerit propter naturalem

Propter frigiditatem an matrimonium dirimendum.

Propter consuetudinem rigorem temperari.

frigiditatem aut propter alia maleficia legitime coniunctos diuidere, si tamen consuetudo Gallicanæ ecclesiæ habet, vt huiusmodi matrimonia dissoluantur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem eidem mulieri, cui voluerit, in Domino concesseris nubendi facultatem. Sicut enim puer qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio: sic quoque qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXIX. *Idem eidem in eadem epistola.*

Sane de canonico qui in ecclesia Aroacensi professionem fecerat, & ab ea fugerat, ab abbate in monachum recepto; id tuæ fraternitati significamus, quod si locus vbi nunc permanet, maioris est religionis, quam ecclesia Aroacensis, ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas, alioquin eum ad priorem ecclesiam redire compellas. Porro de comite* Pontitini, qui vxorem suam, filiam Bernardi de S.* Valerico, absque iudicio ecclesiæ dimisit, propterea quia eam cognatam fuisse defunctæ vxoris suæ proponit: hoc tua prudentia cognoscat, quod si etiam parentela esset publica & notoria, absque iudicio ecclesiæ ab ea non potuit separari: quare eum ad eam recipiendam districte compellas: & si eam recipere noluerit, eum & superinductam vinculo excommunicationis adstringas. Si qui autem apparuerint, qui matrimonium ipsum velint & possint impetere, causam audias, & eam fine debito decidas. *Pontini

Præterea de Hugone de* Calorie, qui filiam* Alelmi cognatam suam duxit in vxorem, & hoc publicum & manifestum est, nec apparet aliquis qui matrimonium velit impetere: id tibi respondemus, quod non apparentibus accusatoribus, & parentela publica & manifesta existente, quod credibile non est, vbi essent consobrini in primo vel secundo gradu, ecclesiæ auctoritate interdictum est matrimonium, adhibita illa grauitate dissoluere quod illicite noscitur contractum. Ad hæc quoniam donationem decimæ, quam abbas S. Saluii de* Musterol, & prædecessor eius cuidam laico iure hereditario concesserunt tenendam, cum sanctuarium Dei iure possideri non debeat, in

Locus obscurus.

ANNO CHRISTI 1179. irritum penitus reuoces, & viribus carere decernas: & laicum, nisi decimam ipsam ecclesiæ S. Saluii libere & absolute restituat, vinculo excommunicationis adstringas.

CAP. XXX.

Idem episcopo S. Agathes, in eodem lib. 12.

De muliere, quæ (prout nobis significasti) cupiens viri sui ampliorem amorem acquirere, susceptо corpore Christi, & in ore retento, eidem viro suo osculum cum eo porrexit, & ipsum traiicere postmodum, cum voluit, non potuit: sed versum est in carnem, cum tangeret, iuxta dentes molares, & caro supercreuit, & adhuc est intus. Circa quod fraternitati tuæ non possumus sanius dare consilium, nisi quod eam moneas & compellas, vt tantum per condignam pœnitentiam & bona opera satagat expiare delictum. Credere quippe debemus, quod si vere contrita fuerit, & condignam pœnitentiam egerit, & tu ad Deum deuote pro ea oraueris, corpus Christi traiicere poterit diuina gratia suffragante.

Sane super eo, quod quædam mulier viro suo fidem dedit, & ipse illi, quod matrimonium inter se contraherent: & viro volente sacramentum seruare, mulier castam disposuit ducere vitam; discretioni tuæ taliter respondemus, quod si iuncti non fuerint, mulier permittatur ad religionem transire, & Domino, relicto sæculo, militare. Quod si facere noluerit, & in sæculo caste viuere disposuerit, quia hoc suspectum esse posset, & ad vtrumlibet, ad bonum videlicet & ad malum, haberi posset, ipsum matrimonium consummari constringas. Beatum enim Ioannem & complures alios, ab ipsis etiam sponsalitiis ad vitam contemplatiuam legimus euocatos: & ideo eidem mulieri confidenter permittere poteris, vt transeat ad religionem, castitatis votum seruatura.

Præterea de muliere, quæ a viro appetitur, cuius consanguineus se cum ea deliquisse proponit, si hoc publice confiteri recusat propter metum & potentiam mulieris: prouidentiæ tuæ duximus respondendum, vt matrimonium ipsum fieri, nisi iuramentum interueniisset, districte prohibeas, ne deterius inde contingat.

CAP. XXXI.

ANNO CHRISTI 1179.

Idem procuratori & canonicis Soranis, in eodem libro.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam Mariota latrix præsentium, supplici nobis insinuatione monstrauit, quod dum esset in adolescentia constituta, quemdam adolescentem E. nomine, in tantum adamauit, quod vterque inter se de matrimonio contrahendo sub trium personarum testimonio præstitit iuramentum: quod parentes ipsius mulieris ignorantes, eam inuitam & reclamantem, cuidam alii in vxorem tradiderunt. Quem ita exhorruit, quod se ab eo nullo modo cognosci permisit. Cumque publice profiteretur, quod a priore viro cognita esset, atque iurata: episcopus Soranus, qui tunc erat, eos ante præsentiam suam fecit venire: & cognito atque probato, quod inter eos esset proxima linea consanguinitatis, quod solui deberent, nec possent de iure coniungi, ipsos ab inuicem separauit. Ceterum cum causa ipsa tractaretur, & viro cui tradita fuit a parentibus consentire nollet, ipse aliam vxorem traduxit, & ista cuidam viro Ptolemæo nomine, publice in conspectu ecclesiæ nupsit. Tandem cum de illo filium genuisset, pater illius Ptolemæi quærens occasionem diuortii faciendi, ei opposuit, quod filium suum nec potuit, nec debuit de iure in virum habere, eo quod ab alio viro, qui nondum defunctus est, prius desponsata fuisset. Quia vero assertioni eius fidem, sicut non debuimus, non adhibuimus, nec hoc potuimus sub silentio præterire, eam ad vos duximus remittendam, per A. S. præcipiendo mandantes, quatenus rei veritate plenius inquisita & cognita, si inueneritis, quod prædicta mulier a priore viro fuerit iudicio ecclesiæ separata, & ab eodem Ptolemæo sine contradictione ecclesiæ in vxorem traducta, & ille cui inuita & renitens copulata est, de præsenti vita decessit, prædictum Ptolemæum moneatis & compellatis, vt prædictam Mariotam postposita occasione recipiat, & sicut vxorem suam diligere studeat, & maritali affectu tractare. Alioquin eum & superinductam, & patrem etiam ipsius, si huic rei restiterit, vinculo excommunicationis innodetis, & vsque ad condignam satisfactionem ipsam sententiam inuiolabiliter faciatis obseruari.

ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXXII. *Idem illustri Anglorum regi.*

Magnificentiæ tuæ literas, quas pro R. milite super iure patronatus ecclesiæ de Ligurgis, apostolatui nostro serenitas regia destinauit, ea qua decuit benignitate recepimus, promptum animum plenamque voluntatem habentes, excellentiæ tuæ preces, in quibus cum Deo & honestate poterimus, exaudire. Verum quoniam sanctorum patrum statutis contrarium videtur, si clericos ab ecclesiis, quas canonice adepti sunt, patronatus obtentu sustineremus amoueri, salua conscientia, prænominato militi non potuimus nostrum in parte ista impartiri fauorem: cum ex hoc ei, si de iure debet habere, præiudicium in posterum non generetur.

CAP. XXXIII.

Idem archiepiscopis & episcopis per Galliam constitutis.

Nostris est auribus intimatum, quod nonnulli ambitione nimia tracti, occasione laici vel potentiæ sæcularis, in sæculari foro, nec requisita episcopi audientia, patronatus ecclesiarum & ecclesiastica beneficia sibi præsumunt in vestris parochiis vendicare. Quoniam igitur huiusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde contendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, ac prærogatiua gaudere: fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eos quos patronatus ecclesiarum vel ecclesiastica beneficia constiterit prædicto modo adeptos, si commoniti minime resignauerint, nisi præscriptione aut episcopali * confessione muniti fuerint, sublato appellationis diffugio, ab officiis reddatis & beneficiis alienos. Si vero nec sic destiterint, eos vinculo anathematis innodetis, & vsque ad dignam satisfactionem teneatis, & faciatis tenere adstrictos.

*f. concessione

CAP. XXXIV.

Ad hoc, quoniam quidam laici ecclesias terris & aliis possessionibus spoliant, vt sic viros ecclesiasticos faciant coram iudice sæculari litigare: præsentium auctoritate vobis iniungimus, vt id publice sub anathematis interminatione curetis prohibere. Si quis autem prohibitionis vestræ

contemptor extiterit, eum, si manifestum fuerit, appellatione cessante, excommunicationi subdatis, & vsque ad dignam satisfactionem, sicut excommunicatum, faciatis arctius euitari. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXXV. *Idem Lugdunensi archiepiscopo.*

Grauis illa & odibilis querimonia, quæ vsque ad nos super depositio tuo tibi hactenus denegato peruenit, duplici nos anxietate perstrinxit, eo quod tibi in hoc & deesse non possumus, & adesse, prout velles, efficaciter non valemus. Cum enim non constet nobis, pecuniam tuam, quam ille, vt vir Belial, impia & detestabili surreptione furatus est, in vtilitates ecclesiæ conuersam, nec de iure debemus, nec possumus contra canonicos eiusdem ecclesiæ præcise intentare iussionis instantiam, vt tibi eamdem reddant pecuniam, personæ, non ecclesiæ commendatam. Quocirca discretioni tuæ consulimus, & internæ caritatis intuitu suademus, vt in raptorem illum & furem, tuam interim dirigas actionem, eo quod, vt audiuimus, loculos habet. Nos enim venerabilibus fratribus nostris Senonensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, & Parisiensi episcopo dedimus in mandatis, vt illum iniquum sub duris quæstionibus ponant, & etiam, si oportuerit, vinculis macerent alligatum, & affligant, vt bene ligatus, cogatur reddere, quæ male dissolutus, ausus est asportare. Ceterum circa ecclesiam illum affectum te habere volumus, vt nihil ab ea requiras * indebite. Si autem cum eis amicabiliter poteris pactionem pacisci, noueris id nobis acceptum. * indebitum.

CAP. XXXVI. *Idem Bituricensi archiepiscopo.*

Consuluit nos tua fraternitas, an sit appellationibus deferendum a carissimo in Christo filio nostro L. illustri Francorum rege pro Iudæis interpositis, vt Christiana mancipia detineant, & vtrum sustinere debeas, quod de nouo construant synagogas, vbi eas nullatenus habuerunt. Scripsimus itaque memorato regi, vt a defensione Iudæorum in hac parte desistat. Super hoc etiam ipsum per alios fecimus admoneri, & credimus quod monitis nostris acquiescet: quia non esset rectum, vt quod a sanctis patribus & nuper in Concilio statutum est, negligenter seruaret.

Vnde

ANNO CHRISTI 1179. Vnde non conuenit, vt pro huiusmodi appellationibus ab obseruatione decreti debeas abstinere. Iudæos etiam de nouo constituere synagogas, vbi eas scilicet non habuerint, pati non debes. Verum si antiquæ corruerint, vel ruinam minentur, vt reædificent potes æquanimiter tolerare: non autem vt eas exaltent, aut ampliores, aut precioſiores faciant, quam antea fuisse noscuntur. Quod vtique pro magno habere debent, quod in veteribus synagogis & suis obseruantiis tolerantur.

CAP. XXXVII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

A memoria nostra non recedit, qualiter in primo anno vestræ promotionis scriptum literarum felicis memoriæ prædecessoris nostri Honorii papæ nobis feceritis præsentari, in quo continebatur, antecessoribus vestris apostolica benignitate fuisse indultum, vt tam eis quam successoribus suis liberum esset per totam Angliam ante se crucem deferre. Nos vero antecessoris nostri vestigiis inhærentes, & scripti nostri munimine confirmauimus, quod antecessoribus vestris clementer fuit indultum. Postmodum autem sanctæ memoriæ & venerandæ Thomas quondam archiepiscopus Cantuariensis existimans hoc in depressionem iuris & suæ dignitatis redundare, exinde cœpit quæstionem mouere, & propter hoc ad sedem apostolicam appellare, affirmans, (si bene meminimus) quod tibi vel prædecessoribus tuis id nullatenus licuit. Sicque factum est, quod nos tibi per scripta nostra prohibuimus, ne in prouincia Cantuariensis ecclesiæ, donec de causa cognosceretur, ante te crucem aliqua ratione deferres. Quoniam ergo per dilectos filios nostros I. & A. clericos tuos grauem coram nobis deposuisti querimoniam, asserens quod te a possessione huius rei quam tu & antecessores tui habueratis, absque cognitione iudicii spoliassemus: nos igitur tibi tamquam venerabili fratri nostro deferre volentes, & iura tua integra & illibata seruare, præsentibus literis statuimus, quod literæ prohibitionis nostræ nullum tibi præiudicium faciant, quo minus tibi & successoribus tuis liberum sit, quemadmodum vobis est beneficio priuilegiorum sedis apostolicæ indultum, tuque & prædecessores tui id facere consueuistis, ante vos per totam Angliam de-

ferre crucem, quousque diffinitiua sententia determinetur, an id ecclesia tua de iure habere debeat. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. XXXVIII.

Lucius III. Magistro & fratribus militiæ S. Iacobi.

Vestra deuotio duxit inquirendum, vtrum nobis ecclesias parochiales adeuntibus vtile sit Missas eorum audire, qui concubinas habere creduntur. De hoc enim videntur diuersæ sacrorum Canonum sententiæ manasse. Alicubi enim dicitur: Nullus audiat Missam presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere. Alicubi legitur: Non potest quis quantumcumque pollutus, diuina sacramenta polluere, quæ purgatoria cunctarum pollutionum existunt. Quicumque enim sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepide Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. Ceterum aliud crimen est notorium, aliud occultum. Notorium diffinitur, de quo presbyter canonice condemnatur: occultum, quod adhuc ab ecclesia toleratur. Item aliud est a talium officiis abstinere, vt peccandi licentia ceteris auferatur, & huiusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur: atque aliud, si tamquam falsa in fornicatione iacentium talia mysteria respuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod a clericis & presbyteris quamuis fornicariis, quamdiu ab ecclesia tolerantur, nec est crimen euidens, licite audiuntur diuina officia, & alia recipiuntur ecclesiastica sacramenta.

Quod sit notorium crimen.

Quod occultum.

CAP. XXXIX. *Item Strigonienſi archiepiſcopo.*

Ad apostolicæ sedis regimen, *&c.* Intelleximus ex literis tuis, quod quædam consuetudo in Hungaria inoleuit, vt populi multitudo plerumque de parochia episcopi vnius in alterius diœcesin transferatur. In qua licet per multa tempora moram habuerint, vterque tamen episcoporum, tam is a cuius parochia recesserunt, quam is in cuius parochia commorantur, eorum decimas exigit, & eos, nisi ad voluntatem ipsius soluant, interdicto supponit: vnde inuidiæ & plurimæ contentiones oriuntur. Ideoque tua fraternitas nos duxit consulendos, cui potius decimæ sint reddendæ. Noueris ergo quod si de artificio, vel

ANNO CHRISTI 1179. de negotiatione aut etiam de agricultura, quam intra terminos parochiæ in qua moratur, exercet, vel huiusmodi aliis decimæ soluantur: æquum est, vt ecclesiæ illi reddantur, in qua ille qui reddit, per totum anni circulum Missam audiuit.

CAP. XL. *Alexander III. Brixiensi episcopo.*

Quoniam a nobis tua solicitudo requisiuit, quid de decimis noualium tuæ diœcesis statuendum fuerit, fraternitati tuæ præsentibus literis respondemus, vt si terræ illæ quæ arabiles fiunt, infra certam alicuius parochiam fuerint, tu earum decimas tua ex parte retentas, eidem ecclesiæ facias assignari. Alioquin ipsas aliis ecclesiis secundum discretionem tuam poteris deputare, vel ad opus tuum tenere, ita quod si quis tibi in his contraire præsumpserit, tu eum ecclesiastica censura vsque ad dignam satisfactionem percellas. Sententias vero super decimis a consulibus datas, præsertim cum sanctorum patrum institutionibus obuient, irritas esse decernas, & eas contradictione & appellatione cessante in irritum reuoces. Quod si laicus aliquis a clericis, siue conuersis decimas de laboribus suis in tua diœcesi requisiuerit, tu eum ab exactione huiusmodi prorsus compellas: & laicos illos, qui a colonis tertiam vel quartam partem laborum suorum ante solutionem decimarum recipiunt, decimam de portione sua secundum quod colonus de parte, quæ illum contingit, exoluere consueuit, absque diminutione aliqua his quibus debentur, facias exhibere.

Supra de decimis præstandis, Cum homines.

CAP. XLI. *Alexander III. Ianuensi episcopo.*

Tua nos fraternitas duxit consulendos, quid de his agere debeas, qui desponsant aliquas mulieres, & processu temporis antequam eas ducant, vel cognoscant, alias in vxores accipiunt. Super hoc vtique consultationi tuæ taliter respondemus, quod si vir & mulier sese inuicem receperint expresso consensu mutuo de præsenti, neuter eorum, altero superstite, poterit ad alia vota se transferre, etsi possit ad monasterium transmigrare. Verum si inter ipsos non accessit consensus mutuus de præsenti, sed promissio de futuro, scilicet quod vterque dixerit alteri: Ego

Supra de matrimonio contrahendo, Licet porro.

te recipiam in meam, & ego te in meum: Si alius mulierem desponsauit & traduxit, & si inter primos iuramentum fuit (sicut diximus) de futuro, huius desponsationis intuitu secundum non poterit separari matrimonium, sed eis est de violatione iuramenti pœnitentia iniungenda. De aliis vero qui coram te super desponsatione facta per consensum mutuum de præsenti, mouent controuersiam, & post appellationem ante sententiam, vel cognitionem causæ ad sedem apostolicam interponunt, & appellatione pendente accipiunt alias in vxores: hoc arbitramur agendum, vt si amodo in tali casu aliqui duxerint appellandum, eis in ecclesia publice interdicas, ne ante decisionem causæ aliud contrahant matrimonium: & si contra interdictum ecclesiæ, ita publice factum, venire præsumpserint: matrimonium tam præsumptuose contractum poteris irritare. De illis vero qui in minori ætate desponsantur, traduntur, & coniunguntur, & processu temporis diuortium postulant, minorem allegantes ætatem, aut vim sibi a parentibus factam: hoc inquisitioni tuæ præsentibus literis respondemus, quod si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali coniungi, minoris ætatis intuitu non debent ab inuicem separari, si vnus in alium visus fuerit consensisse, cum ætatem videatur suppleſſe malitia: sed cuiuscumque fuerint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare, nisi post violentiam consensus accedat. Anno Christi 1179.

Ætatē supplerī malitia.

CAP. XLII.

Illud quoque nihilo minus ex tua inquisitione innotuit, quod cum quædam libera mulier per annos decem & vltra cuidam seruo scienter cohabitauerit, & ab eo fuerit carnaliter cognita, nunc ipsum asserit suum non esse maritum, pro eo quod testes desponsationis non comparent. Verum vir eam vendicat in vxorem, & ostendit publicum instrumentum, quo sese coniuges nouerant, & propter quod ipsum ei donationem fecisse propter nuptias appareret. Mulier vero instrumentum illud vitiosum fuisse fatetur, & plures testes produxit, quod seruus ille ab inimicis mulieris sæpe rogatus, vt eam desponsaret, & ille se non eam desponsasse, nec desponsaturam firmiter asserebat. Vir autem non nisi publico instrumento, & quibusdam

ANNO CHRISTI 1179. testibus, qui viderant eam annulos deferentem, mulierem propriam probauit esse vxorem. Sed mulier, de more illarum quæ panes * mulierum vendunt, se annulos detulisse. Vnde quoniam in huiusmodi dubietate fama viciniæ magis debet attendi, tuæ solicitudinis erit famam inquirere, vtrum prædictus vir in lecto eam & in mensa sicut suam vxorem, aut concubinam habuerit: & si fama loci habet, quod vir ipsam sicut vxorem tenuerit, cum matrimonium sit coniunctio maris & feminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem renitens: cogenda est mulier, vt eidem viro affectu seruiat coniugali, præsertim si præscriptum instrumentum ab eo * cognitum fuerit, qui suum officium fideliter adimpleuerit.

Matrimonii diffinitio.

* leg. retinens:

CAP. XLIII. *Idem * Exoniensi episcopo.*

Præterea hi qui iurant de matrimonio contrahendo: vsque, Si autem promiserunt, coniungant. Si autem sibi inuicem id remittere voluerint, ne forte deterius inde contingat, vt talem sibi ducat, quam semper odio habeat, videtur quod ad instar eorum qui societatem iuramento, vel fidei interpositione contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.

Pars illius cap. Super eo quod a nobis.

CAP. XLIV. *Ex Concilio Moguntino B. lib. 5.*

In baptismo, vel chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est baptizatus vel confirmatus.

CAP. XLV.

Item ex Concilio apud Compendium.

Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur: & omnes quos ipse baptizauit.

CAP. XLVI.

Item ex Concilio habito apud Vvormatiam, cap. 4.

Mulieres vero cum separatæ fuerint pro hac vel alia licita causa a propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum, accipiant alium virum, si voluerint: similiter & vir vxorem.

CAP. XLVII.

ANNO CHRISTI 1179.

Alexander III. Cantuariensi archiepiscopo.

Veniens ad nos cum literis tuis L. presbyter tuus, supplici nobis relatione monstrauit, & hoc idem tuæ literæ continebant, quod cum in ecclesia * Ouen. institutus fuisset, ei fuit obiectum, quod in ecclesia ipsa non canonice habuisset ingressum, videlicet quod prius promisisset vnicuique parochianorum barile vini remittere, quod sacerdoti eiusdem ecclesiæ, qui pro tempore ibi seruiret, consueuerat pro beneficio dari. Verum cum duo apparuissent, qui iurati deposuerunt presbyterum talem fecisse promissionem, & cum altero illorum pactum illud dicerent factum fuisse: tu pro presbytero, vt decuit, & rationis exigit ordo, iudicasti: & nos sententiam tuam, prout dignum est, commendamus; eo quod ille qui eodem infectus erat crimine, non posset contra alium testificari, cum etiam nulli de se confesso aduersus alium in eodem crimine sit credendum, & vnus testis non sufficiat ad cuiuslibet rei probationem. Sane quod in literis inseruisse diceris, parentes suos promisisse, vt infra quindecim dies eidem ecclesiæ deberet spontanee cedere: prudentiæ tuæ significamus, quod ipsum, cum de conscientia sua promissionem factam fuisse diffiteatur, super hoc monere potes atque hortari, sed ei vim nullam debes inferre. Ideo fraternitati tuæ per apostolica scripta præsentibus mandamus, quatenus sententiam tuam facias firmiter obseruari, prædicto L. ecclesiam ipsam cum omni iure suo integram & illibatam conseruans, parochianos eiusdem ecclesiæ ad iura sua sibi soluenda, diligenter commoneas, & appellatione remota compellas. Si autem exinde aliqua laborat infamia, ei cum quinta manu vel tertia dumtaxat, sui ordinis purgationem indicas. Qua recepta, eum ab infamiæ nota incunctanter absoluas.

CAP. XLVIII. *Idem Panormitano archiepiscopo.*

In archiepiscopatu tuo dicitur contigisse, quod quandoque Sarraceni mulieres Christianas rapiunt & pueros, & eis abuti præsumunt, & quosdam etiam interdum occidunt. Cum autem excessus huiusmodi carissimus in Chri-

ANNO CHRISTI 1179. sto filius noster illustris rex Siciliæ, tibi & aliis personis ecclesiasticis, quæ pontificali supereminent dignitate, commisit puniendos: quid de Sarracenis agendum sit, qui fuerint in nefario scelere intercepti, nos duxit prudentia tua consulendos. Super quo vtique tuæ consultationi taliter respondemus, quod si tales in tua iurisdictione sint vel fuerint postmodum intercepti, pecuniaria poteris eos pœna mulctare, & etiam flagellis afficere: ea tamen moderatione adhibita, quod flagella in vindictam sanguinis transire minime videantur. Si vero fuerint ita super hoc graues Sarracenorum excessus, quod mortem vel truncationem membrorum debeant sustinere, vindictam ipsam reserues regiæ potestati.

CAP. XLIX.

De illo autem qui se vxorem fratris sui, antequam ei matrimonio iungeretur, cognouisse proponit, hoc tuæ prudentiæ respondemus, quod nisi fuerit publicum & notorium, aut idoneis testibus approbatum, ipsum prius prædictam mulierem carnaliter cognouisse, prædictum matrimonium occasione illa dirimi non permittas.

Super eo vero, quod asseris Sarracenum quemdam de muliere quadam Christiana, quam quatuordecim annos tenuerat, filios suscepisse: discretioni tuæ duximus respondendum, quod tam Sarracenus quam mulier pro tanto excessu graui sunt animaduersione plectendi.

CAP. L. *Lucius tertius * Curensi episcopo, in registro.*

Ex tuarum literarum continentia intelleximus, quod cum H. presbyterum, quia infamabatur de homicidio, communicato fratrum consilio, in episcopatu tuo a sacerdotali officio suspendisses: prædecessoris tui literas tulit in medium, quibus apparuit eum iudicio aquæ frigidæ suam innocentiam purgauisse, & episcopum suis illum literis absoluisse. Scholares etiam qui homicidium, instigante diabolo, perpetrauerant, * immunes ipsos a crimine, tactis sacrosanctis euangeliis, affirmauerunt. Quia vero cum peregrina iudicia a sacris Canonibus sint inhibita, purgationem quam præstitit non sufficere putantes: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si accu-

* *f.* immunem ipsum

satores idonei minime apparuerint, qui eumdem de homicidio conuincere possint, vt cum septima vel quinta manu sui ordinis, sicut expedire cognoueris, per purgationem canonicam innocentiam ostendat, sibi iniungas: quam cum præstiterit, suspensionem sine mora & difficultate relaxes: & eum testimonii boni annuntians, ab infamia homicidii, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate nostra fretus, absoluas. Is autem qui infamatus, sese immunem a crimine homicidii, præstito iuramento firmabit, & purgatores qui eum credant verum iurasse, iurare debebunt. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. LI. *Alexander tertius Toletano archiepiscopo.*

Latores præsentium cum literis tuis ad nostram præsentiam accedentes, suum nobis excessum plenius intimauerunt; scilicet quod tam ipsi quam alii multi, postquam interdicti & excommunicati fuerant, diuina præsumpserunt officia celebrare. Quoniam vero cum is magnam multitudinem in hoc peccasse dicebat, nec nobis, quis eorum magis vel minus deliquerit, innotescere potuit: negotium ipsum discretionis tuæ arbitrio duximus remittendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus rei veritate diligentius inquisita, si quadraginta solummodo vel pauciores in his deliquisse constiterit, omnes in perpetuum ab officio sacerdotali deponas. Si vero multitudinem magnam in hoc peccasse cognoueris, eos quos magis causam esse delicti constiterit, perpetua depositione condemnes, & alios qui non tantum deliquerunt, ab officio ad tempus suspendas, & omnibus pœnitentiam secundum discretionem tibi a Deo datam iniungas.

CAP. LII. *Idem Lucensi episcopo.*

De secunda vero quæstione, hoc tuam volumus discretionem tenere, quod propinqui eius quem pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum iniectione in clericos, violatione multarum ecclesiarum, & incestu, vinculo excommunicationis adstringis: monendi sunt, vt pro eo satisfactionem exhibeant; quod si fecerint, qui laborans in extremis, præstito iuramen-

ANNO CHRISTI 1179. mento per presbyterum * tenuerit ab excommunicationis sententia relaxari, in cœmeterio sepeliri poterit. Si autem propinqui eius tuis acquiescere monitis contradixerint, quia iam non est peccatum purgatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.

*f. obtinuerit

CAP. LIII. *Idem Vvintonienſi epiſcopo.*

Præterea qui ad sedem apostolicam appellant de clericis, & postea grauia & enormia committentes, se, cum conueniuntur, tuentur appellatione: hoc duximus respondendum, quod si post appellationem grauia committunt, & ita publice & manifeste, quod alii scandalizentur, & decor ecclesiasticæ honestatis deformetur, eos appellantes in tanta nequitia & iniquitate non debes tueri, quo minus coram te excessus canonica censura puniatur. Porro de his qui sententia excommunicationis innodati, iurant ecclesiæ iudicio stare, & mox obliti, in vocem appellationis prorumpunt: discretioni tuæ significamus, quod eos per excommunicationem compellere debes suam appellationem prosequi, vel iudicio ecclesiæ stare.

Supra de appellat. Quod vero 3.

Supra de appellat. Præterea 29.

CAP. LIV.
Idem Bononienſi epiſcopo & archipresbytero.

Consuluit nos vestra dilectio, vtrum appellatio, quæ ab omni grauamine interponitur, teneat. Super quo vtique consultationi vestræ taliter respondemus, quod si forte generaliter appellationem interponeret aliquis ab omni grauamine, quod sibi contingere posset, huiusmodi appellatio tenere non debet. Si vero aliquis ab aliquo iudice super omni grauamine, quod in vna causa sibi contingere possit, appellationis obstaculum interponeret: quamquam generalis appellatio sit interposita, appellationi tamen huiusmodi est deferendum.

Supra de appellat. Super eo 3.

CAP. LV. *Idem Norvvicenſi epiſcopo.*

Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicuius criminis: vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi ordine iudiciario quis probare possit, non debet eum nominatim redarguere, sed indeterminate, sicut dixit Christus: *Vnus vestrum me traditurus est.* Si vero ille cui damnum il-

Matth.26. Marc.14.

latum est, petierit iustitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet ei confessus sit, sed tamen non potest nominatim eum remouere a communione, licet sciat eum esse reum: quia non vt iudex scit, sed vt Deus. Sed eum debet admonere, ne se ingerat, quia nec Christus Iudam a communione remouit. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. LVI. *Idem ex Concilio Maticensi.*

In decretis Burch. Iuonis, Gratiani, hæc tribuũtur Concilio Toletano.

De seruorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscrete promouentur, placuit omnibus cum sacris Canonibus concordare: & statutum est, vt nullus episcoporum deinceps ad sacros ordines eos promouere præsumat, nisi prius a dominis suis libertatem sint consecuti: & si quilibet seruus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate, vel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit, decretum est, vt deponatur, & dominus eius eum recipiat. Si vero auus vel pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem prouincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit, ignotum sit: & postea veniens dominus illius, legibus eum acquisierit, sancitum est, vt si dominus illius libertatem illi dare voluerit, in gradu suo permaneat: Si vero eum catena seruitutis a castris dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat, quia iuxta sacros Canones, vilis persona manens, sacerdotii dignitate frui non potest.

CAP. LVII. *Innocentius Aquileiensi patriarchæ.*

Quoties frater noster Adispertinus *Tudertinus episcopus, & in nostra & in vestra præsentia fuerit de simonia impetitus, prudentiam tuam latere non credimus: cuius causa nostra tandem ventilata præsentia, producti sunt accusatores & testes, viua voce & scripto accusantes eum, eo quod ecclesiam sancti Petri de Paio, presbytero Paulo dedit pro mittendis quatuor modiis frumenti, quos ab eadem ecclesia susceperit. Verum quoniam neque testes, neque accusantes secundum formam Canonum sanctorum patrum in causa illa procedere potuerunt: communi fratrum nostrorum consilio iudicamus, vt tertia ma- *Tridentinus

Hæc paulo aliter in decretalibus titulo 34.

ANNO CHRISTI 1179. nu sui ordinis, & quarta manu abbatum & religiosorum sacerdotum, de prædicta simonia in vestra præsentia se expurget. Porro purgationis tenor erit hic: Idem episcopus super sancta Dei euangelia iurabit, primum, quod pro ecclesia sancti Petri de Paio, a presbytero Paulo de Ada, neque per se, neque per submissam personam, nec pro eo alius, se sciente, precium acceperit. Deinde vero purgatores iurabunt super sancta Dei euangelia, quod ipsi credunt verum esse quod ipse iurauerat.

CAP. LVIII. * *Exonienſi &* * *Couetrenſi epiſcopis.*

* Matthæi Ex parte * Matthæi clerici accepimus, quod cum ipse ab ecclesia de Gundune, fuisset violenter eiectus, *&c. vsque in finem, ibi:* Cum sanctuarium Dei non possit iure hereditario possideri.

CAP. LIX. *Alexander III. Cenomanenſi epiſcopo.*

Ex literarum tuarum tenore perpendimus, quod F. lator præsentium in subdiaconatus officio constitutus, quandam sibi in coniugium copulauit. Vnde tu, sicut vir discretus ac prouidus, ipsum eamdem quam in vxorem duxerat, abiurare fecisti. Super quo facto prudentiam tuam in Domino commendamus, per præsentium scripta tibi mandantes, quatenus si ad canonicum, vel monasticum ordinem transire voluerit, post septennem pœnitentiam in claustro laudabiliter peractam, si tibi, vel successori tuo idoneum visum fuerit, eum ad maiores ordines promoueri concedas. Quod si ad religionem se tranferre noluerit, eum nec in subdiaconatu ministrare, nec ad vlteriores ordines permittas promoueri; in minoribus tamen ordinibus poterit ministrare.

CAP. LX. *Idem Cantuarienſi archiepiſcopo.*

Ad extirpandas successiones a sacris Dei ecclesiis, studio totius solicitudinis debemus intendere: te etiam decet ad hoc vigilem curam adhibere, ne circa ministerium susceptí regiminis videamur minus diligentes existere, si vitia in ecclesiis vel in ecclesiasticis viris permiserimus pullulare. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si qui filiorum clerico-

rum tuæ prouinciæ teneant eccleſias tamquam perſonæ vel vicarii, nulla perſona media, in quibus partes eorum miniſtrauerant, eos, ſiue geniti fuerint in ſacerdotio, ſiue non, ab ipſis eccleſiis, contradictione & appellatione ceſſante, non differas amouere. Si vero aliqui ſint filii clericorum, qui eccleſias quas patres eorum tenuerunt, perſonis aliis mediis ſunt adepti: eos, dummodo idonei ſint, in ipſis poteris ſuſtinere: ita quidem, quod ſi vnus plures eccleſias quas pater eius tenuerat, poſſidet, quarum vna poſſit ſibi ſufficere: ipſum vna, quam maluerit, appellatione remota, facias eſſe contentum: dummodo eccleſiæ non ſint tales, quarum vna a reliqua pendere videatur. ANNO CHRISTI 1179.

CAP. LXI.

*Vrbanus tertius * Senonenſi archiepiſcopo.*

Ad hæc cum nonnunquam inter aliquos parochianos tuos, vel inter eos & alios coram iudicibus delegatis agitetur controuerſia, ſæpe a iudicibus ipſis, vt aſſeris, apoſtolica auctoritate tibi iniungitur, vt alteram partium forte contemnentem parere iudicio, vel ob aliam cauſam rationabilem eccleſiaſtica diſtrictione percellas. Illi vero qui ſubiacere excommunicationi mandantur, literas ad alios iudices a ſede apoſtolica impetrant, a quibus nihilo minus auctoritate apoſtolica tibi mandatur, vt eos qui de mandato priorum iudicum fuerant excommunicati, habeas abſolutos. Super quo tua diſcretio dubitat, quid tibi in diuerſitate huiuſmodi ſit agendum: ad quod reſpondemus, quod ſi literæ ad ſecundos iudices impetratæ tacita veritate non fuerint, eos ad mandatum eorum abſolutos habere debes, præcipue cum Romana eccleſia abſolutionem ſententiæ delegatorum iudicum, nequaquam conſueuerit aliis delegare: niſi in literis commiſſionis expreſſe contineatur de ſufficienti cautione præſtanda ab his, qui abſolui debent, quod iudicio eccleſiæ debeant obedire.

CAP. LXII. *Idem Legionenſi epiſcopo.*

Ex literis tuæ fraternitatis nobis innotuit, quod diaconus præſentium lator, volens ante tempus ordinari in presbyterum, aſſeruit ſe per ordinationem tuam gradum ſa-

ANNO CHRISTI 1179. cerdotalem adeptum: & cum ei manum non impoſuiſſes, Miſſarum celebrationem publice vſurpauit. Poſtmodum vero Domino inſpirante, rediit ad ſeipſum, & proprium cognoſcens exceſſum, in tanto ſibi periculo conſuli poſtulauit. Quia igitur ſuper hoc tua nos duxit fraternitas conſulendos, literis præſentibus reſpondemus, quod ad ſacerdotis officium non poterit promoueri. A diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua prouiſione maneat ſuſpenſus. De beneficio autem cum eo miſericorditer agatur, ne ſuſtentatione priuatus ad ſæculi negotia reuertatur. Vt autem ſecurius ei poſſis hanc facere miſericordiam, de agenda pœnitentia circa eum diligentem curam non deſinas exhibere. Salubrius autem ſibi abſque dubio prouidebit, ſi ad regularem vitam ſe duxerit transferendum.

CAP. LXIII. *Idem Florentino epiſcopo.*

Literas fraternitatis tuæ debita benignitatẽ ſuſcepimus, quibus certiores de ſinceritate tuæ fidei & deuotionis effecti, ad honorem tuum & commodum abundantius prouocamur. Verum quia a nobis poſtulaſti, vtrum poſtquam deſponſalia inter aliquas legitimas perſonas contracta fuerint, & antequam a viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, alter ad conſummandam copulam maritalem compelli debeat, vt ſe poſſit ad ſecunda vota transferre: tuæ ſolicitudini reſpondemus, quod ad accipiendum eum cogi non debet, cum inter eos matrimonium non ſit conſummatum.

De illa vero, quæ viro ſuo labente in hæreſin, ipſius conſortium declinauit, vtrum reuertente illo ad catholicam veritatem, ad redintegrandum matrimonium ſit cogenda: videtur nobis quod ſi mulier ea dumtaxat intentione diſceſſit, vt lapſus in hæreſin, tædio pariter & confuſione affectus, ſe ab errore ſuo conuerteret: ei, cum reuerſus fuerit, eſt reddenda: quæ etiam, ſi reuerti noluerit, compelletur. Si vero iudicio eccleſiæ ſine ſpe matrimonii redintegrandi receſſit, ad recipiendum eum nullatenus eam ducimus compellendam. De vxore vero, vtrum quemadmodum & vir, liberam debeat habere ſepulturam, videtur nobis, quod nulla ſuper hoc inter virum & mulierẽ ſit differentia, ſed vtrique, in caſu iſto, æqualem credimus eſſe fa-

cultatem, cum electio ista ad eum potius statum perti- ANNO CHRISTI 1179.
neat, in quo mulier soluitur a lege viri. Vtrum autem pa-
ter minores filios, *quo magis voluerit, valeat sepelire, *vbi
non inuenimus a sanctis patribus diffinitum, & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum.

CAP. LXIV. *Idem Marimondensi abbati.*

Inter cetera quæ a nobis sunt pro tuo ministerio requisita, illud quoque nuntii solicitudo non tacuit, quod quidam monachus tuus, cum esset olim in sæculo constitutus, presbyteratus officium, prætermisso diaconatu, suscepit: super quo tua postulat deuotio dispensari. Intelleximus autem quod ille non malitia, sed pia, vt sibi videbatur, cautela præmonitus, ordinem diaconii quem se accepisse simularat, omisit, ne, sicut eum quidam auunculus eius instigabat, de manu schismatici sortiretur. Vnde quia de his nihil nobis constare potuit, examinationem facti huius tuæ duximus conscientiæ relinquendam, auctoritate apostolica mandantes, vt si absque dubitatione constiterit, quod ille non ex superbia, sed vt schismatici manus euaderet, & indignationis auunculi sui aculeos declinaret, tali simulatione sit vsus, competenti tempore ordinem facias ei diaconatus impendi, & sic post aliquanti temporis abstinentiam, quam tuæ committimus discretioni, dumtaxat corde contrito & humiliato spiritu, in beneficio sacerdotalis ordinis poterit exerceri.

CAP. XLV.

Idem archiepiscopo Turonensi, Andegauensi episcopo, & abbati Salmurensi.

Ad audientiam nostram, venerabili fratre nostro Cenomanensi episcopo intimante, peruenit, quod dilectus filius noster Vu. archidiaconus eius, de morte cuiusdam mulieris, quæ per officiales ipsius archidiaconi interfecta proponitur, non aliter quam si ipse occiderit, infamatur. Ceterum quia idem archidiaconus ab huiusmodi reatu se asserit esse innocentem, nos prouidere volentes, ne infamia polluat, quem non fecit nocentem: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus per episcopatum Cenomanensem & ciuitatem facias publi-

ANNO CHRISTI 1179. ce nuntiari, vt si qui de hoc ipsum archidiaconum accusare voluerint, eum secundum iuris ordinem coram vobis accusent, & nisi comparuerint, qui de homicidio illo eum velint impetere, causam conuocatis partibus audiatis, & sublato appellationis obstaculo, debito fine terminetis. Si vero publica & manifesta denuntiatione facta, infra quadraginta dies accusator non apparuerit, vel etiam in probatione defecerit, prædicto archidiacono secundum quantitatem infamiæ, qua laborat, purgationem canonicam imponatis: & ea præstita & recepta, ipsum a nota infamiæ, contradictione & appellatione cessante, absolutum publice nuntietis, & faciatis absolutum haberi.

CAP. LXVI.

Idem vniuersis suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ.

Cum non ignoretis B. venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum vobis non solum metropolitico, sed etiam iure legationis præesse, mirabile satis est, quod quidam vestrum (sicut audiuimus) asseuerare præsumunt, quod idem archiepiscopus nullam causam de episcopatibus vestris, siue iure legationis, siue metropoleos, audire debeat, nisi per appellationem factam ad ipsum. Sane licet forte metropolitico iure non debeat causam audire de episcopatibus vestris, nisi ad eum per apellationem deferatur, legationis tamen obtentu vniuersas causas de ipsis episcopatibus, quæ per appellationem vel querimoniam aliquorum perueniunt ad audientiam suam, audire potest & debet, sicut cui in prouincia sua vices nostras gerere comprobatur. Mandamus itaque vobis atque præcipimus, quatenus causas, quæ de episcopatibus vestris ad eumdem archiepiscopum perferuntur, eius iudicio relinquatis: nec quemlibet clericum aut laicum vestræ iurisdictionis de cetero deterrere vel impedire tentetis, quo minus causas suas ad præfatum archiepiscopum, si voluerint, possint transferre.

CAP. LXVII. *Clemens III. Saguntino episcopo.*

Peruenit ad nos, quod in episcopatu tuo sæpe contingat, quod a laico enormis & intolerabilis iniuria clerico, multis adstantibus & videntibus, inferatur, vt plebe præ-

sente in ecclesia, eam diabolicæ fraudis instinctu accidit horribiliter humano perfundi sanguine: & ob hoc iniuriantes in causam tracti, negant se tantum facinus commisisse; & cum læsus illatam sibi iniuriam, eorum testimonio qui præsentes extiterunt & viderunt, probare desideret, ipsimet, licet veritatem cognouerint, contemnunt veritati testimonium perhibere. Sicque fit, quod ecclesiastica iustitia deperit, & ordo clericalis vilescit. Accidit etiam, quod cum plures frequenter in clericos temere violentas manus iniiciant, ad sedem apostolicam plurimis nequeunt obstaculis laborare. Et quia super his tua nos fraternitas duxit consulendos, tuæ consultationi taliter respondemus, quod hi qui de rebus ecclesiasticis nolunt testimonium perhibere, si alias veritas nequiuerit elici, ad id sunt per ecclesiasticam censuram compellendi. Si vero clerici passi iniuriam, veritatem forte aliquorum testimonio nequiuerint comprobare, licet iuxta rigorem Canonum vnius testimonio non sit standum, tamen iuxta consuetudinem Romanæ ecclesiæ, propter reuerentiam clericalis ordinis, ipsorum iuramento fidem volumus adhiberi. Illos autem qui valetudine præpediti, pro absolutionis beneficio ad sedem apostolicam nequeunt laborare: recepto ab eis sicut moris est iuramento, poteris absoluere, ita quod sanitati pristinæ restituti, apostolico se conspectui repræsentent. Sexui vero femineo & pueris ac senibus super hoc satis te credimus posse libere dispensare. Ecclesias insuper quæ sanguinis vel seminis sunt effusione pollutæ, ciuitatis clericis conuocatis, cum processione & aquæ benedictæ adspersione, prout in ordinario habetur adscriptum, poteris emundare. De his etiam, qui clericis non enormem, sed modicam, vel leuem iniuriam irrogauerint, tuæ fraternitatis arbitrio duximus relinquendum. ANNO CHRISTI 1179.

Hæc in decret. titul. 3. adscribuntur Innocētio III. vbi quædā aliter leguntur.

SEDES apostolica consueuit exhibere se petentibus liberalem; sed quidam eius gratia nequiter abutuntur, dum quod ipsa de benignitate concedit, ipsi ad malignitatem retorquent. Quidam igitur volentes malignari, in commissionibus minores personas propriis nominibus exprimunt, maiores vero & digniores specialibus vocabulis non designant: sed eas in generalitate inuolutas comprehen-

ANNO CHRISTI 1179.

dunt; vt ita facilius commissiones impetrent, sub hac forma: Conquestus est talis de illo, & quibusdam aliis propriis nominibus exprimendis, quod ei in tali negotio & aliis graues existunt. Eorum igitur volentes obuiare malignitatibus, decreuimus, vt cum in nostris commissionibus minores & viliores personæ solummodo designantur, maiores & digniores sub generali clausula non intelligantur includi: nec effrenem multitudinem hac occasione liceat includere, vt de maioribus & minoribus audiantur, qui de minoribus & leuioribus tantum faciant mentionem. Si quis vero maiores personas expresserit, vt non velit cum eis experiri iudicio, sed vt descendere valeat ad minores, quia fraus & dolus ei non debet patrocinari, tamquam mendax precator careat impetratis.

LECTORI BENEVOLO
BARTHOLOMÆVS POIN, SALVTEM.

HÆC sunt, quæ ex archetypo illo, cuius supra mentio fit, lectu adeo difficili, summo labore descripsimus. Quæ si cui grata & vtilia fuerint, primum gratias agat Deo, qui horum qualecumque exemplar hucusque seruauit: deinde F. Petro Crab, qui hoc ipsum, vt inter Concilia ederetur, procurauit: postremo & nobis quos non piguit (quamquam non deerant qui dehortarentur, & absterrerent) vtilitatis publicæ gratia molestiæ tantum perferre, vt quæ antehac difficillime legi poterant, iam cuiuis lectu facilia redderentur. Ceterum si quibus in his locus aliquis intricatior, mutilus aut minus absolutus videtur, ii nouerint, difficultatem eam sibi nobiscum esse communem. Neque enim archetypon ipsum adeo tersum fuit, quin & nos aliquoties hæsitare cogeremur. Maluimus autem & te subinde nobiscum hærere, quam conieciisse ac mutasse quiduis temere videri. Certe in editione hac postrema permultis locis mendæ sublatæ sunt opera F. Laurentii Surii, & plurima suæ integritati restituta.

PLVRIVM Conciliorum prouincialium sub Alexandro in Anglia celebratorum mentionem inuenies apud scriptores Anglicanarum rerum. Ego cum delectu ea dumtaxat excerpenda putaui, quæ ad ecclesiam in fide & moribus ædificandam pertinere visum fuit: faciam deinceps idem in reliquis subsequentibus pontificibus omittendo superflua, apponendo necessaria.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONCILI-
ORUM.
TOM. XXVII.

1118
1170

Th
1001a